John
Crawford,
M.D.

HIERONYMI DAVIDIS GAUBII,

MEDICINAE ET CHEMIAE IN ACADEMIA BATAVA, QUAE LEIDAE EST, PROFESSORIS,

LIBELLUS DE METHODO CONCINNANDI FORMULAS MEDICAMENTORUM.

EDITIO QUARTA, ITERUM REVISA ET ACCURATA.

ACCEDUNT

ORATIONES DUAE; QUARUM

PRIMA OSTENDITUR, CHEMIAM JURE ARTIBUS ACADEMICIS ESSE INSERENDAM

ALTERA AGIT DE VANA VITAE LONGAE A CHEMICIS PROMISSAE EXSPECTATIONE.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD SAMUELEM ET JOH. LUCHTMANS,
M D C C L X X X V I.

LIBRARY OF THE
FOUNDED 1813
UNIVERSITY OF MARYLAND.
16152

Crawford

VENERANDO SENI,

JOANNI GAUBIO,

POLIATRO AMSTELAEDAMENSI, PRIMUM PATRUO, NUNC ET SOCERO SUO,

HIERONYMUS DAVID GAUBIUS.

Vix exſpectaveris, hodie quod obvenit. Toties, quâ es, liberalitate, anno vertente, me meosve ſtrenâ cumulaſti, nihil viciſſim abs me recipiens. Nunc & Tibi ego ſtrenam offero; at qua divitiae haud creſcent: triobolari modò bibliotheca auctior erit libello, quem, dignioris impos muneris, Tuo conſecro Nomini. Quaeris: cur ita? Titulos aſpice, quibus Te alloquor: ſplendidiores enim, ut potuiſſem, addere nolui; ne obſcurior eſſet facti ratio. Non praeſidium foetui huic a Te peto, qui, adverſus neminem injurioſus, par a Cordatis mihi polliceor, reliquos temno. Neque favorem capto Tuum: hoc enim fruor maximo, datâ etiam in matrimonium mihi Filiâ Tuâ, nunc unicâ, ut pignore cariſſimo, ejusdem certus. Quid tandem? Monimentum po-

nere conor, quo conſtet publico, quantum devenerer utrumque illud arctiſſimae neceſſitudinis vinculum, quo & commune genus, & Tuus in me amor, tot tantisque documentis, maximè in conjugalibus meis votis, probatus, Tibi me adſtringunt. Neque id, ut parvi forte aevi fuerit, ſpernes; cum aliud perennius, Tuisve in me meritis reſpondens, vires recuſent. Quin & ſcio, ſolam Tibi, ut Optimo cuique, ſatis eſſe gratam acceptorum recordationem. Gratulor hinc Tibi, mihi gaudeo, Te quod, in quinti decimi aetatis quinquennii jam ferè conſtitutum exitu, eò ſuperſtitem ſervaverit usque Propitium Numen, id ut propoſitum exſequi mihi liceat; dum Magnum BOERHAAVIUM, Tuo quem Nomini hic jungere animus erat, votis maturius ereptum meis lugeo. Manium quietem temerè violaſſe nefas. Soli ergo Tibi fructus hic qualiscunque mei laboris cedit. Tu, ut publicam pietatis in Te meae teſſeram, comis accipe, viridique valens ſenectute, quod reliquum dederit DEUS, vitae ſpatium felix vegetusque decurre!

Dedi Leidae 17$\frac{31}{12}$38.

ME-

MEDICINAE TIRONIBUS

S.

Ex quo ad Medicinam faciendam animum applicare coepi, inter cetera quidem maximè illa me torſit iſtius operis pars, quae remedii inventi eam poſtulat deſcriptionem, qua & concinne reſpondeat indicationi, & rite ab iis, id qui negotii ſibi aſſumſerunt, praeparari, aegroque aptè adhiberi queat. Facilè quippe videbam, non hic ſufficere generalia in hanc rem, quae ſola plerumque in Academiis addiſcuntur; petenda eſſe ex ſingularibus, imo & ex ſingulariſſimis aegri remediique conditionibus, juſtam quae hic determinationem figere poſſint; non dari medicamentorum formulas eidem ſcopo in univerſum aptas; idemque indicatum aliis quandoque & aliis modis formisque eſſe exequendum, ut ſingulari, circa quem ſolum Practicus verſatur, homini profit, ſatisfaciat. Notabam inſuper, hic, ſi uſpiam, uſui eſſe Divi Senis monitum: μηδὲν εἰκῇ, μηδὲν ὑπεροράν: ſi quid enim in praeſcribendo remedio temerè, ſi quid perfunctoriè, poſitum fuerit, facile Medicum ſcopo aberrare, utcunque ceterum rectè collineaverit; reliquum omne, quod agit practicus, ſola ferè ſpeculatione abſolvi, juvare nihil, niſi praeſcripto applicatoque juſtè remedio velut in actum dedu-

catur; tum demum finem obtineri artis, id ſi dextrè curatum fuerit; neque adeò ex iis, quae animo conceperis, ſed quae mandaveris chartae, decerni; eſſe hinc rem, cùm aegri, tùm Medici reſpectu, non levi periculo plenam. Nec moleſtia exemtum me comperiebam, ſi quando, improbo conatu, memoriae imprimerem formulas a Praeceptoribus aliisve fide dignis Auctoribus concinnatas: praeterquam enim, quod puerile id molimen crederem, facile praevidebam, haud mihi ſemper in Praxi occurſuros caſus, omni conditione iis geminos, quibus illae a ſuis conditoribus fuiſſent accommodatae, ideoque redituram vel novas componendi, vel edoctas mutandi, neceſſitatem. Extemporanea etiam, quam praeceps in multis morbis occaſio ſaepe exigit, conſuetudo autem plurimis in locis in univerſum quoque introduxit, praeſcriptio, tum ſervilis jugi horror, obſtabant, quo minus a me ipſo impetrarem, ut ex aliis tantum ſapere, aliorum exemplis ſemper inhaerere conſtituerem. Neque placebat, quod Veterani, his in anguſtiis a me conſulti, dictitabant, experientia totum hoc opus, ut arduum tironi videatur, reddi leviſſimum: timebam quippe, ne per eventus infelices, ipſasque mortes, & non reparanda famae diſpendia, eo me duceret demùm iſthaec magiſtra. Putavi ergo in id mihi prius, quam ad Praxin accederem, incumbendum

eſſe,

eſſe, ut animo comprehenderem, quidquid de hac re certi ac legitimi a Medicinae Antiſtitibus limitatum eſſet. Quare me dedi evolvendis omnibus, quae aſſequi poteram, Medicorum hoc ſuper themate ſcriptis, regulisque, quas ibi ſtatutas inveniebam, generalibus comparandis ad ipſa formularum exempla ab optimis Practicis deſcripta. Quumque ſic ſatis citò deprehenderem, regularum multas adeò eſſe inſtabiles, ut ſaepius negligantur, quam obſerventur; alias verò etiam inter ſe pugnare; exceptiones dari regulis longè numeroſiores, ſi quae quotidie ſub ipſo artis exercitio etiam a peritiſſimis praeſcribuntur, conferas; plurimos autem eorum, qui hac in parte tironum taedia lenire erant conati, ſui velut oblitos, tamquam magiſtros magiſtris, non vero imperitis tironibus, ſcripſiſſe; alios, brevitatis nimium ſtudioſos, ſpiſſiores etiam nebulas mihi ſaltem offundere: hinc eo conſilii tandem perveni, ut in adverſaria conjecerim omnes, quas de ſingulari quavis formularum ſpecie conditas inveniebam, regulas, his dein junxerim, quotquot occurrebant, exceptiones, ac tum ex utrisque inter ſe collatis, facto moderamine, generalia, mihique viſa clariora, deduxerim theoremata, quae poſt, in ordinem ad ſuos quaeque titulos redacta, Encheiridion mihi exhibuere, quod mentem manumque in Praxi exercenda dirigebat.

 Sic

Sic enatum eſt, quod videtis, opuſculum, meis tantum uſibus deſtinatum. Idem vero in lucem edendi haec tandem unica fuit occaſio. Quum Chemiam publicè in hac Academia docendi muneri admotus, Summo ſuadente BOERHAAVIO, annuo curſui Chemico ſubjungere aggrederer Pharmaceuticum; non inutile fore videbatur, ſi, una cum officinali medicamentorum praeparatione, ſimul & magiſtralem exhiberem praeſcriptionem auditoribus. Recurrens ergo ad ea, quae olim de hoc themate meos in uſus collecta digeſſeram, inde, ut ſua cuique placent, hauſi normam materiemque dicendorum; ut generales haberent regulas, qui me audirent, ad quas in exercitio, quod ſimul offerendum cenſui, ſe conformare poſſent. Quandoquidem vero exiguum temporis, quo curſus hic abſolvi debebat, ſpatium lentorem dictationis non permittebat; neque interim properatae elocutionis impetu expoſita animo diſtincte ſatis imprimi poterant, ut domi recocta formulas ad datos caſus ex arte praeſcripturis uſui esſent; conſtitui tandem hanc Meorum moleſtiam praelo levare, ratus, ita magis me prodeſſe iis poſſe. Id ſi obtineo, ſatis eſt. Si ſimul & in alios boni quid inde redundat, exſulto. Sin minus: laudabilis ſaltem conatûs conſcientia pro ſolamine laborum eſt. Valete! Scripſi Leidae $17\frac{29}{12}38$.

At-

Atque haec primae praemiſeram iſtius libelli editioni. Nunc quae ad alteram praefanda habeo, adjiciam. Primum quidem; quod tamen levioris momenti eſt, &, me etiam non monente, a quovis, cui ambas inter ſeſe conferre libuerit, facile animadverti poteſt; non ita meus mihi, cum reviderem, placuit labor, ut non quamplurimis paſſim locis nonnulla expungenda, alia mutanda, quaedam clariore ſermone exponenda, multa poſtremo, quae ad rem facientia ante praetermiſiſſem, ſuperaddenda eſſe exiſtimarem. Quapropter & pleniora ſingulis fermè formularum hiſtoriis exempla ſubjunxi, quorum ope tirones diſtinctius cauſas regularum ac uſus intelligerent. Index quoque remediorum ad calcem adjectus eſt, qui levi opera, quae quis deſideret, invenienda offerat. Denique, tametſi iſtud abs me impetrare non potui, quod Cuidam capitale viſum, ut definitionem formulae breviorem prolixiori meae ſubſtituerem, novaque, quam *ſcientificam* vocant, methodo theoremata mea demonſtrarem, & calculo Algebraico uterer ad proportionem ingredientium remedii &c. eruendam; in digerenda tamen hiſtoria formularum generali diverſum a priore ordinem ex parte adhibui, qui, quod ex ipſa rei natura propius petitus ſit, congruentior forte videri poſſit atque manuducendo tironi aptior. Penes Te vero L. B. judicium eſto, num curis poſterioribus aliquid boni praeſtiterim.

Supereſt, quod moneam, aliud, idemque gravius, & minime praetereundum. In priore nimirum editione depromſeram ex Materie Medica Celeberrimi Viri H. BOERHAAVE pleraque eorum ſpeciminum, quibus ad illuſtrandas ſingularum formularum hiſtorias opus erat: neque adeo eam ob cauſam, quod Iſto olim Praeceptore eſſem uſus, eodemque deinde Patrono ac fortunae meae Fabro: quamvis hoc etiam jure plurimi faciam, & ingratus ſim, ſi data quavis occaſione profiteri erubeſcam: ſed ideo potiſſimum, quia vix alium inter Practicos noſtri temporis Auctorem noſſem, cujus ſcripta ubique locorum magis eſſent celebrata, & qui, quod praecipuum eſt, in determinando remediorum a ſe praeſcriptorum uſu legitimo ac tempeſtivo fuiſſet ſolicitior: ut hinc tirones iſta circumſpectione ab omni abuſu ſecuriſſimos praeſtare poſſem, nec eſſet, quod mihi imputarent, ſi quid forte erroris in adminiſtratione mearum formularum commiſiſſent. His ipſis igitur rationibus inductus nunc etiam in eodem inſtituto perſiſtere non dubitavi. Nihilominus deeſſe nequeo, quo minus memorem, viſum eſſe Illuſtri Viro D. W. TRILLERO, in Academia Vitembergenſi cum maxime Profeſſori Celeberrimo, ſingularis plane eruditionis Medico, in praefatione perhonorifica, qua nuperam mei libelli editionem Francofurtanam commendare non dedignatus eſt, monere Artis Medicae tirones, ut in adhibendis remedio-

rum

rum generoſiorum, quae alvum ducunt & vomitus cient, formulis ex BOERHAAVIO depromptis, aut ad Ejus mentem a me compoſitis, circumſpectione utantur: largiores enim earum eſſe doſes, toroſis, quadratis ac ſuccoſis Batavorum corporibus, nec deſidia, nec luxuria vitiatis, adaptatas, quas fluxiora & effoeminatiora Germanorum corpora vix tuto ferre poſſe videantur, &c. Quam equidem monitionem, a Tanti Nominis Medico profectam, honeſtiſſimisque inſuper verbis conceptam, quum diligentiore etiam examine haud injuſtam deprehenderim, pace Clariſſimi Viri, cujus eximiam erga me humanitatem gratiſſimus publicè agnoſco, meam nunc facere liceat, iterumque & ſerio Medicorum Filiis inculcare, ut, priusquam ad praxin ſeſe conferant, non modo quaecunque de conditionibus ad doſes medicamentorum determinandas requiſitis ſuo loco propoſui, diligenter animo complectantur; ſed celebriorum quoque in ſua, quam quisque incolit, regione Practicorum exempla perpetuo ante oculos habeant, ad quae in praeſcribendo ſeſe conforment, uſuque tandem diſcant popularium ſuorum naturae ſua accommodare remedia. Quod dum facio, nolim tamen quis exiſtimet, probare me trepidantem ac ſaepe ridiculam illorum ſolertiam, qui aut Naturae αὐτοκράτεια nimium freti, aut de facultatibus remediorum plus, quam in iis eſt, ſperantes, aut denique, ne quid turpius dicam, indicatio-

tioni, quam ſuo modo conſtituerunt, diffidentes, minutulis adeo doſibus curationes aggrediuntur, ut abſtinentia potius extenuare, quam data opera jugulare velle morbum videantur, certe neſcias, agantne an ludant in re ſeria, vincive an vincere malint. Laudo ac veneror Medicum circumſpectum, & cautum ſuo loco ac tempore cunctatorem, & ſapientem Naturae miniſtrum, qui temerario auſu nunquam praecipitetur, nec farragine remediorum gravet, multo minus violentia opprimat: attamen cordatum quoque ac intrepidum, conſilii prudenter capti certum, & qui agendi opportunitates gnave rapiat, cumque agendum eſt, idoneum nodo cuneum adhibeat, nec dubiae ſtillicidii diuturni actioni committat, quod virtute majore tutius citiusque impetrare potuiſſet. Gravius quidem & evidentius, at rarius tamen, enormi doſi peccatur: longe, puto, frequentius in contrarium, nec minore ſemper cum detrimento aegri. Si ſanare morbum tuae curae creditum potuiſti, nec ſanaſti tamen, quidquid ex eo mali deinceps conſequitur, tuae negligentiae recte imputabitur. Ineſt in quovis remedio certus virium gradus modusque: ineſt & ſuus unicuique morbo: quin vivum etiam corpus ſua pollet facultate, qua rebus cum morboſis, tum medicatis, utriſque nimirum mutationem intentantibus, reſiſtit. Itaque ſicubi remedium non ea porrexeris quantitate, ut ſuperare morbum poſſit, puſillum, quod dederis,

ris, aut Natura ſubiget, inque alimentum convertet, aut morbus ſuffocabit. Quod cum in omni medicamentorum genere locum habere & ratio ſuadeat, & experimenta evincant, credibile profecto eſt, inter plurimas cauſas, ob quas multoties morborum curationes aut lentius procedunt, aut plane in caſſum cadunt, hanc etiam jure numerandam eſſe, quod remedia, ceterum oppoſitè, prae Medici timiditate, aegrive faſtidio, qua decet, quantitate non adhibeantur. Et quis in dubium vocet, idcirco etiam multarum rerum ſpecificas, quas dicunt, virtutes nos latere, quia nunquam plenis ſuis doſibus propinantur? Iſtud ſaltem perſuaſiſſimum habeo, bonam partem feliciſſimorum ſucceſſuum, quibus tantam in Praxi celebritatem ſuo merito conſecutus eſt Vir Summus BOERHAAVIUS, ex hoc etiam fonte profluxiſſe. Sed de his ſatis. Scripſi Leidae $17\frac{8}{8}51$.

Denique ad tertiam, quae cum maxime prodit paſſim emendatior & auctior, editionem illud vel verbo ſignificandum eſt, exemplorum, quae ex BOERHAAVII Materia Medica deprompta ſunt, citationes ad editionem hujus opuſculi poſthumam, Leidenſem, anni 1740 accuratas eſſe. Valete! D. Lugd. Bat. A. CIↃIↃCCLXVI.

ELEN-

ELENCHUS CAPITUM.

Προλεγομένα. *Pag.* 1
Regulae Generales ante Praeſcriptionem Formularum obſervandae. 7
De Formularum Dotibus Generalibus. 17
Inſcriptio, Praepoſitio, Materiae deſignatio. 18
De Formula Simplice. ibid.
Hujus Doſis. 19
Quantitas Generalis. 27
De Formula Compoſita. 28
Hujus Partes: Baſis, Adjuvans, Corrigens, Conſtituens: harum Proportio mutua, Doſis, Quantitas Generalis, Qualitates, Conſiſtentia, Color, Odor, Sapor, Virtus medicata. 30
Ingredientium Ordo, Modus ſcribendi. 48
Pondera & Menſurae. 51
Subſcriptio. 56
Signatura. 58
De Formulis in Specie. 63
De Formulis Internorum Medicamentorum. ibid.
De Pulvere Interno. ibid.
Bolo. 79
Electario. 87
Eclegmate. 94
Pilulis. 101
Trochiſcis internis. 114
Electario ſolido. 122
Rotulis. 129
De Infuſis internis. 134
Decoctis internis. 155
Succis Expreſſis. 174

Mix-

Emulſis. 185
Mixturis Internis. 203
Julapio. 204
Mixtura Media. 217
Mixtura Contracta. 227
De Formulis Medicamentorum Externorum. 237
De Formulis Externis Communibus. ibid.
De Injectione. ibid.
Adſpergine. 245
Epithemate in genere. 249
Epithemate Liquido. 250
Sicco. 262
Cataplasmate in genere. 273
——— *Cocto.* ibid.
——— *Crudo.* 286
Balneo in genere. 294
——— *Humido.* 295
——— *Vaporoſo in genere.* 306
Vaporatione humida. ibid.
Suffitu. 317
Emplaſtro. 327
Cerato. 342
Unguento. 347
Balſamo Odorato. 358
Linimento. 368
Epiſpaſticis. 376
Fricio. 380
De Formulis Externis Propriis. 381
De Formulis Capiti dicatis. ibid.
Cucufa. ibid.
Frontali. ibid.

Col-

Collyrio. 385
Naſalibus in genere. 388
Errhinis. ibid.
Odoramentis. 394
De Stomaticis in genere. 397
Dentifricio. ibid.
Apophlegmatiſmo. 400
Gargariſmate. 409
Scuto. 414
Clyſmate Inteſtinali. 414
Suppoſitorio. 428
Peſſo & Nodulo Uterino. 435

ORATIONES.

I. *Qua oſtenditur, Chemiam jure artibus Academicis eſſe inſerendam.* 457
II. *De vana vitae longae a Chemicis promiſſae exſpectatione.* 491

HIER.

Library of
UNIVERSITY OF MARYLAND
1813
SCHOOL OF MEDICINE

HIER. DAVIDIS GAUBII

AD

Methodum Concinnandi Formulas Medicamentorum

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ.

1.

FORMULA vocatur Medicis remedii pharmaceutici, ex arte inventi, quod ad materiem & formam, rationalis conſignatio, juxta quam id a pharmacopœo aptè parari, atque aegro commodé & fructuoſe adhiberi poſſit.

2. Illa autem Medicinae Practicae pars, quae tradit regulas, ſecundum quas conſignatio iſta (1) perfici debet, *Methodus* audit *Concinnandi Formulas*.

3. *Materiem* Formulae (1) ſuppeditat Ὕλη dicta ἰατρικὴ, tam naturalis, quam factitia.

 For-

Formam, quae varia eſt, diverſae, tam in aegro, quam in materie ſelecta, obviae conditiones determinant. *Finis* eſt legitima praeparatio atque applicatio illius auxilii, quo indicationi ſuae ſatisfacere conatur Medicus.

4. Complectitur ergo Methodus haec (2) ultimum eorum, quae Medico artem ſuam exercenti agenda ſunt. Ad eam tendit, quidquid ferè in aliis diſciplinae medicae partibus docetur. Haec demum fine ſuo beat artificem.

5. Unde neceſſitas, utilitas, & nobilitas ejus abunde patent.

6. Dividitur Formula (1) in *Officinalem* & *Magiſtralem:* quarum illa remedium ſpectat in officinis pharmaceuticis ad uſus futuros parandum atque aſſervandum; haec vero ex tempore conficiendum & applicandum. De poſteriore praeprimis hic agetur.

7. Haec (6) ut ex arte praeſcribi poſſit, ſupponitur prius cognita

α. *Indicationum Doctrina*, utpote inſtruens Medicum, an, quid, tum per quae, & quali

quali modo, tempore, ordine &c. applicata, inſtrumenta ſit agendum.

β. Univerſa *Materies Medica*; ut quae praeſcribendae formulae materiem (3) praebet: praeprimis tamen illa, quae ibi locorum, ubi Medicus praxin exercet, praeſto habetur.

γ. Tandem & *Pharmacia Chemica* hujusque omnes operandi modi, atque effecta, tam ſimplicia praeparata, quam compoſita: illos enim dirigit, his utitur, cum formulam praeſcribit Medicus.

8. Nec ſanè ſuperficiaria ſaltem, ut vulgò occurrit, binarum poſteriorum (7. β. γ.) hic requiritur cognitio. Quî enim pharmacopœo dabit leges ignarus ipſe agendorum? Quomodo delectus fieri cum ratione poteſt rerum ignotarum? Quo fundamento effectus applicatorum praevidebit, horum natura quem & vires latent. Vix profecto dici poteſt, quantum haec ignorantia rei medicae inferat detrimentum, praeprimis in noſtro Belgio. Nihil enim frequentius eſt, quam materias uſui medicato deſtinatas ab aromatariis turpi lucro inhiantibus peſſime corrumpi, multimodis in-

ſutari, imperitisque ſic aliud pro alio plerumque venum tradi. Quam rara deinde avis eſt pharmacopoeus, qui ſuo commiſſus genio, nec in faciendo delectu, nec in rationali operis ſui exercitatione aut ſciens fallat, aut imperitus delinquat? Quo magis Medicum ſolida iſtarum rerum notitia inſtructum eſſe oportet; ut qui non manu ducere duntaxat pharmacopoeum debeat; ſed cui in urbibus bene conſtitutis examinandorum pharmacopoliorum cura a Magiſtratibus etiam demandata ſit; imo nonnullis quoque in locis ipſemet pharmacopoeum agere non detrectet. Ne dicam illud inſuper a Poliatris requiri, ut, quae in apothecis ſuarum urbium ad ſuos uſus parata proſtare velint, remedia deſignent ac publica, quae vocant, diſpenſatoria condant, ad quorum praeſcriptum pharmacopoei ſeſe conforment. Turpe dictu & odioſum, quam multa in illis erronea paſſim occurrant, futilia, abnormia, repugnantia, quae tametſi velut ex tripode pronunciata vim legis habere debeant, ſuorum nihilominus Dictatorum inſcitiam adeo manifeſte produnt, ut vel pharmacopoeorum tironibus nonnunquam ſeſe deridendos propinent, quandoque & diris devovendos. Utinam & prioris (7. α.) major

paſſim

peſſim haberetur ratio! Nullum dari remedium, niſi quod tempeſtivus uſus faciat, apud veros quosque Medicos in confeſſo eſt. In eo itaque prudens ille animi ſenſus, qui Practicum conſummat ac commendat, verſatur, ut tempora atque opportunitates agendi in morbis cognoſcat, & ſuas cuique aegro aptet adhibendorum auxiliorum rationes & modos, quibus proſper operae navatae eventus obtineatur. Illuc vero demum eſt agere ſecundum indicationes: nec aliunde, niſi ex legitimo doctrinae indicationum uſu, haec promitur ſapientia. Quidquid in praxi ad iſtam normam non dirigitur, tametſi feliciter eveniat, fortuitum modo eſt, nec conſilio, ſed caſui, debetur, neque oblectamenti aut gloriae materiem, niſi vanis oſtentatoribus, praebere poteſt. Unde videant tirones, num recte ſibi perſuadeant, ſe veri Medici perſonam digne tuituros eſſe, etiamſi nihil aut parum operae in iſta diſciplinae medicae parte collocaverint.

9. Ex quibus (7 & 8), collatis ad (4), pronum eſt colligere, non adeo, ut fertur, levis eſſe momenti atque exigui temporis negotium, cujus hic regulas exhibere aggredimur.

mur. Facilitatem tamen dabit exercitatio juſto doctrinae ordini juncta.

20. Cum igitur ſupponere liceat aliunde ſatis cognita, quorum ſcientia ad rationalem formularum praeſcriptionem addiſcendam in anteceſſum requiritur (7 & 8), partiemur materiem dicendorum in tria ſumma capita: quorum prius, ſpecie *Introductionis*, ſuccinctas dabit regulas, artem hanc exercituro obſervandas; alterum *Generales* ſiſtet *Formularum Dotes;* tertium exponet ea, quae ad *Singulares Formularum Species* pertinent.

I N-

INTRODUCTIO

SEU

REGULAE GENERALES

ante praeſcriptionem formularum obſervandae.

11. Medicus, vir prudens, praeſcribat nihil, niſi cujus ſufficientem queat reddere rationem, cum requiritur: hinc nunquam tumultuario, ſed ſemper ex indicatione prius rite deducta, agat.

12. Ante omnia ergo juſta methodo determinet, an oblato in caſu aliquid per medicamenta agendum incumbat.

13. Unde, ſi vel cognitum Naturae ſolius ad morbi propulſionem ſufficiens robur, vel abſoluta mali immedicabilitas, vel praeviſum ex morbi curatione pejus naſciturum malum, vel dubia hactenus morbi indoles &c. absque morae periculo, agendum nihil dictant; probum eſt a praeſcriptione abſtinere: ne vel noceatur aegro, vel is ſine neceſſitate emungatur. *Medici plus interdum quiete, quam movendo & agendo proficiunt.* Livius.

14. At cum pleriſque durum ſit, a Medico penitus deſtitui; aliquando etiam ignominioſum, artis prodere imperfectionem; hinc ſi conditio aegri fert, praeſtat nonnunquam, in dictis caſibus (13), prae-

 ſcri-

ſcribendo ejusmodi, quae dum non proſunt, haud tamen obſint, in ſpeciem ſaltem aliquid agere. Habeat iſtum in finem Medicus familiares ſibi formulas quasdam, ex inertioribus conflatas, Emulſiones, Mixturas, Pulvisculos inefficaces, &c. quibus nihil effecturis tranquillum reddat aegrum, qui ſaepe mavult pia hac fraude decipi, quam prognoſtico relinqui. Id, quod vel maximè in gravidarum aegritudinibus, virginumque & mulierum morbis dubiis, notandum.

15. Iis etiam, qui flagitioſe aut deſperanter abs Medico noxium petunt pharmacum, quandoque conſultius eſt dato, quod obeſſe nequeat, ſimulate ſatisfacere, quam aperte negare; ne forte ab aliis, quos aut imperitia aut turpe lucrum faſcinat, quod male cupiunt, impetrent.

16. Si vero omnino agere jubet Medicum indicatio; jam porro quid, per quae &c. ſit agendum, determinare convenit: quae quidem omnia per eam ipſam indicationum doctrinam, quam hic ſupponimus cognitam (10) inveniuntur: undo eò ablegantes tironem, nonnulla ſaltem, propius ad noſtrum inſtitutum pertinentia, nunc ſubjungemus.

17. Finis primarius Artis, tuta nimirum, cita & jucunda curatio, ſemper ante oculos verſetur Medico; ut ad hunc omnes actiones ſuas, quoad fieri poteſt, dirigat.

18. Itaque jurisjurandi, quo ſe obſtrinxit, memor, nec prece, nec pretio, nec auctoritate adduci

ci ſe patiatur ad aliud agendum, quam quod legitima ſuaſerit indicatio: ad nihil certe, quod indubie nociturum praevideat.

19. Eligantur autem remedia efficacia, & ſcopo conſequendo maximè appropriata, tam ratione materiae, quam formae.

20. Sint tamen ſimul ejusmodi, quae tuto, ſine periculo, exhiberi queant: quamvis, in caſibus deſperatis, nonnunquam aliquid tentare liceat; modo id fiat cum judicio, dubiique eventus praedictione.

21. Nova ideo, nondum probè explorata, ne adhibe, ſi aliis idem praeſtare poſſis: ſin minus, utere illis ſumma cum prudentia; ne famae incurras periculum. Audacia ſaepe magis, quam ignorantia, inviſum reddit Medicum.

22. Effoeta & obſoleta, facile per moram degenerantia, ſi potes, cave; ne nauſeam noxamve aegro parias, aut ſaltem effectu fruſterris. Unde praeſtat, caeteris paribus, ex officina pharmaceutica celebriore medicamenta depromere, quia diſtractio ibi celerior frequentiorem exigit renovationem: quamvis interim bona fides atque peritia pharmacopoeum magis commendent.

23. A draſticis abſtinendum, ſi mitiora ſufficiant: ſin minus, dentur circumſpectiſſime: id quod vel maxime animadvertendum in hominibus debilioribus, aut valde ſenſilibus; ne vehementiae remedii ſuccumbant in artis artificisve opprobrium.

24. Quae difficilioris ſunt praeparationis, vel exhibe propria manu confecta, vel non praeſcribe; niſi de fide & dexteritate pharmacopoei certus ſis: ſaltem non exhibe prius, quam rite examinaveris.

25. A pretioſioribus tibi tempera, ſi minus cara ejusdem efficaciae praeſto ſunt: quod plerumque obtinet. Ditiorum interim luxui aliquid dandum; utpote qui ſaepius ex pretio vim remedii aeſtimant. Hinc taxam rei medicamentariae haud plane ignorare decet.

26. Exotica non temere indigenis antehabeto. Praeſtat his uti, ſi ſcopo ſufficiunt: minus enim fraudibus & corruptioni obnoxia ſunt, & plerumque certius dignoſcuntur, quae domi nata.

27. Quae nomine, ſapore, aliisve qualitatibus, in vulgus nota ſunt, aut minus uſitato ſub titulo, aut aliis mixtis tecta praeſcribere aliquando prudentiae eſt; ne vel horreant ea aegri, vel tamquam vilia, noxia, aut nihil praeſtitura aſpernentur. Fac autem, ut, quid velis, intelligat pharmacopoeus.

28. Satius eſt conſuetum, quam inconſuetum, dare medicamentum: idquod circa Emetica, Purgantia, Opiata &c. praeprimis locum habet.

29. Ingrata, nauſeoſa, moleſta, quantum fieri poteſt, vitentur, aut ſaltem parciore quantitate cum aliis remixta abſcondantur artificioſe. Praeſtat nullum, quam tale exhibere remedium, a quo Natura abhorreat: cujus regulae praeprimis in foeminis delicatioribus, infantibus &c. ratio habenda.

30.

30. Hinc & aegri idioſyncraſiam, ratione ſingularis cujusdam pharmaci, aliquando expiſcari convenit; quippe quae remedium, etiam caeteroqui maxime appropriatum, nonnunquam inutile, imò noxium reddit: licet interim ſaepe imaginaria potius, quam nativa, ſit. Virum novi, qui, cum fatuum lapidum cancrorum pulvisculum ingeſſit, vix mitius afficitur, quam alii ab arſenico.

31. Simplicitati quam maxime in praeſcribendis remediis ſtudeat Medicus, nec adeo molem aut numerum, ſed conciſam brevitatem, non pompam, ſed efficaciam, affectet. Unde ex immenſa materiae medicae ſylva non quaevis promiſcue congerenda, ſed probatiorum ſaltem delectus habendus.

32. Junior tamen Practicus, nondum fama florens, ſeculi, loci, hominumque, inter quos degit, moribus atque opinionibus, quousque ſcopus ejus permittit, tantillum ſeſe accommodet; ut, aliunde minus notus, hac ſibi via interim exiſtimationem comparet. Veteranus, aut in praxi confirmatior, ſecurè demum talia vilipendit.

33. Nativa praeparatis, ſimplicia compoſitis, praeferantur, ſi utrorumque virtus eadem eſt. Praeparatio atque compoſitio, praeterquam quod ex ſe aliquando mali plus, quam boni, afferant, inſuper & a pharmacopoei fide ac dexteritate, nonnunquam minimè laudandis, dependent. Simplicium contra genitrix eſt Natura, bona ſemper, ſibique conſtans.

34. Si remedio, quod ab homine fide digno, tan-

tanquam probatae in dato caſu virtutis, commendatum acceperis, uti animus eſt, in praeparandi & exhibendi modo & ratione cave, ne quidquam mutes, ſed te curioſe ad praeſcriptum conforma; dumne id periculoſum cenſeas. (21-23.). Succeſſus ſaepe ex iis, quae minima credas, pendet, & praeparationes, quae praeter rationem eſſe atque ad artis regulas offendere videantur, momentum quandoque ad efficientiam remedii afferre poſſunt. Uſu demum frequentiore paullatim deteguntur, quae tuto omittere aut caſtigare liceat. Superſtitioſa tamen, quibus imbecilli tantum animi capiuntur, Medicum dedecent.

35. Uti univerſae materiae medicae notitia utilis eſt Medico; ſic illa praeprimis accuratius requiruntur cognita, quae in pharmacopoeis loci, in quo praxin exercet, proſtant: ne talia praeſcribat, quibus carent officinae. Qui quidem error facile corrigendus foret; niſi pharmacopoeus quandoque ſibimet ipſi arrogaret licentiam, inconſulto Medico, aliud pro alio ſubſtituendi.

36. Porro, praeter vires atque doſes efficaces, varias itidem medicamentorum appellationes, uſitatas, ſcire convenit; ne idem remedium, eadem in formula, variis ſub nominibus pluries praeſcribatur. Diſce hinc ex diſpenſatoriis generales titulos, quibus plura conſimilis virtutis ſimplicia, junctim ſumta, compendii ergo, inſigniri ſolent, variaque unius & ejusdem remedii nomina apud pharmacopoeos frequentata. Peccatum quidem adverſus hanc regulam levis

levis plerumque momenti eſt & facile condonandum Medico, qui vires magis, quam nomina rerum ſpectet: at cum capitale nonnunquam ab inſulſis habeatur, vitari tamen debet; donec cordati tandem viri, ejectis e foro medico ſuperfluarum denominationum ſordibus, iſtam ridendi materiem ſannionibus eripuerint.

37. Tempora etiam, quibus herbae & alia magis minusve vigent, aut acquiri poſſunt, memoria teneantur; ne autumno vel hyeme deſiderentur recentia, quae aeſtate dudum emarcuerunt. Locorum natalium quoque meminiſſe nonnunquam ex uſu eſt.

38. Variae itidem variorum tam ſimplicium, quam compoſitorum, conſiſtentiae gnarus ſis; ne formam alienam, aut menſuram impropriam, praeſcribas.

39. Voluminis quoque & ſpecificae gravitatis diſcrepantiam in rebus medicamentariis haud prorſus negligito. Cognitio ejus in concinnandis formulis ſua non caret utilitate.

40. Principia atque mutuas remediorum ad ſe invicem, & ad inſtrumenta, quibus praeparantur, habitudines niſi ex pharmacia rationali didiceris, abſurdiſſima, & vel pharmacopoei famulo riſum moventia, utinam nec aegro noxia! quandoque in chartam conjicies.

41. Officinalium Compoſitorum ingredientia noſcito; ne vel ex tempore componenda mandes, quae jam compoſita proſtant; vel officinalibus praeſcriptis talia ſuperaddas, ex quibus compoſita ſunt; quam-

quamvis poſterius aliquando poſtulet indicatio; & vel prius etiam cum ratione fieri queat.

42. Nec congeras in unam formulam plura, quae, licet nomine, origine & praeparatione diſcrepantia, prorſus tamen ejusdem ſunt naturae & efficaciae: perinde enim eſt, ac ſi peccares contra (36).

43. Una quae formula commode comprehendi poſſunt, haud, praeter neceſſitatem, in plures diſpeſcito. Tempori interim atque opinioni hac in re ſubſerviendum (32): ſunt enim, qui paucitatem receptarum longe ferunt difficilius, quam numerum nimium.

44. Contra haud combinentur in unam eandemque formulam, quae ſimul aptè & ſine mutatione incongruâ componi, aut mixta commodè adhiberi nequeunt: id, quod circa olea meraca, balſama liquida, pinguia, cum aquoſis exhibenda, tum alia ſeſe mutuo deſtruentia &c. quorum poſtea mentio fiet, praeprimis notandum.

45. Ideo nec ſingulis, ſed urgentibus ſaltem, ſymptomatibus oppone remedia: effecta enim morbi, hoc hujusve cauſa ſuccifis, ſponte ceſſant, quae nonnunquam adeo diverſa ſunt, ut nimis oppoſita, quin contraria, indicent.

46. In morbis, aut ſymptomatis, valde urgentibus, promptiſſimè parabilia exhibeto; ne occaſio praeceps ſubterfugiat, aut pharmacopoeus feſtinando peccet.

47.

47. Si indicata remedia in quamcunque formulae ſpeciem commode redigi poſſunt; aegrum interroga; quamnam prae reliquis amet magis, aut horreat, cuinam adſueverit, cui minus? Artem ſic teque ipſum commendabis, & laetiorem reddes praeſcripti uſum.

48. Nec tamen, palato aegri dum ſtudes, morbi naturam, vim, ſymptomata, & ſi qui forte alii in aegro morbum primarium comitantur, affectus, obliviſcere. Non omnes omnis fert morbus formulas. Difficili deglutitione laborantem bolis, pilulis &c. ingerendis malè torſeris &c.

49. Quin medicamenta etiam non omnia omnibus ſunt formulis accommodata. Sudorifera formam amant liquidam; abſorbentia ſiccam; foetida, nauſeoſa, pilularem, & ſic porro: prout in ſingularibus formularum hiſtoriis poſtmodum indicabitur.

50. Aetatis quoque ratio habeatur in determinanda formulae ſpecie. Infantem ſi externis aequè facile ſanare potes, internis ne vexato: ſin minus, abſtine ſaltem a pilulis, bolis, & ſimilibus.

51. Temperamenti quoque varietas aliam quandoque & aliam poſtulat formulae ſpeciem. Siccis liquida, humidis ſicca magis quadrant: quamvis interim, ſi priorum (46 ad 49) aliqua huic conditioni obſtiterint, illorum potior ſit ratio.

52. Quae peregrè mitti, per longa itinera circumferri, aut quotidianos ad uſus in pera geſtari debent, medicamina, quoad fieri poteſt, in maximè

mè compendioſas, diutiſſimè conſervabiles, facillimè portatiles redigantur formulas.

53. Si ex praeſcripto medicamento melius habet aeger, ejusdem uſus continuandus eſt; donec aliud exigat indicatio : neque enim ſine ratione ullam facere mutationem decet (11).

54. Interim, manente eadem indicatione, variare quandoque formulas, & ingredientibus alia ſubſtituere aequivalentia convenit; ut viribus eadem diverſâ ſaltem ſub facie exhibeantur: quod in morbis chronicis, aegrisque moroſioribus, praecipuè expedit; ne longior eorundem uſus faſtidium moveat, aut in conſuetudinem abeat. Quin & ſuam ſic dexteritatem, artisque opulentiam, oſtendit Medicus.

55. Ubi autem datum remedium non juvat; haud pertinaciter in eodem perſtandum, ſed aliquando, vel ex parte, vel in totum, mutandum pro Medici perſpicacia. Si vero & noceat; prorſus eo abſiſtendum: a juvantibus enim & nocentibus praecipua indicatio. Ne tamen hoc monitum obſtare putes D. Hippocratis aphorismo: *omnia ſecundum rationem facienti, ſi ſecundum rationem non eveniant, non tranſire ad aliud oportet, manente eo, quod viſum eſt ab initio.* Qui ſtupidam damnat pertinaciam, non ideo timiditati ac inconſtantiae patrocinatur. Quin & pharmacopoeus in delectu, praeparatione, compoſitione, delinquens (8) quandoque in culpa eſt, cur remedium inefficax aut nocivum ſit; ut in cortice Peruviano & Mercurialibus non raro vidi:

DE FORMULARUM

Dotibus generalibus.

56. Multiplex materiae medicamentariae natura, morborum ac guſtuum diſcrepantia, commoditatis denique ſtudium, neceſſitudinem Medicis fecit de aliis atque aliis remediorum formis cogitandi: opulentia autem artis pharmaceuticae chemia adjutae in iis inveniendis concinnandisque fertilem ſeſe atque expeditam praebuit. Inde tot diverſae formularum natae ſpecies, quae etſi proprii ſingulae ingenii ſunt, non ita tamen differunt, quin multa inter ſe communia habeant. Juſta vero doctrinae methodus exigit, ut primum de generalibus, quibus conveniunt, dotibus dicam; deinde, quod cuivis ſpeciei primum eſt ac ſingulare, exponam.

57. Proxime igitur de Formulis in genere acturus multitudinem rerum dicendarum eo digeram ordine, quem Practici in praeſcribendo ſequi ſolent: naturalis enim eſt atque adeo tironibus maxime accommodatus, neque ſcholaſticis diviſionum cavillationibus obnoxius.

58. Quinque partes in formula numerantur: *Inſcriptio*, *Praepoſitio*, *Deſignatio Materiae*, *Subſcriptio* & *Signatura*, quas, tametſi non omnes aeque neceſſariae ſint, eo, quo poſui, ordine ſinguiatim deinceps pertractabo.

Inscriptio.

59. *Inſcriptio* in fronte chartae, arbitraria, a pleriſque omiſſa, notam, aut literas ut plurimum exhibet pium votum indicantes: uti ſunt †. CD. ID. II. *α*. & *ω*. & ſimilia, quae pro lubitu ſibi quisque fingere, aut & ſine peccato praetermittere poteſt.

Praepositio.

60. *Praepoſitio*, conſtantius uſitata, formulae initium facit, notisque Rec. vel ℞ i. e. *Recipe*, a linea ſcriptis exprimitur, hinc veluti jubet pharmacopoeum, quae ſequuntur, promere.

Materiae designatio.

61. In *Materia deſignanda*, quae pars formulae praecipua eſt, multa & magni pleraque momenti occurrunt, quorum alia ad ipſius materiae conditiones, alia ad modum deſignandi, pertinent. De illis primo loco agam.

62. Formula vel unico ſaltem ingrediente (ita Medici materiem appellant) ſimplice, aut compoſito officinali, conſtat, vel pluribus, Haec *Compoſita* vocatur, illa *Simplex*. De hac primo.

De Formula Simplice.

63. *Simplex* formula quum pluribus uno careat ingredientibus (62), praeter *Quantitatem*, vix aliud quidquam exhibet determinandum: qualitas enim materiae ejusmodi eſſe debet, ut indicationi ſatisfacere poſſit.

64.

64. Duplex autem haec *Quantitas* eſt: vel quae ſimul & ſemel praeſcribitur, vel quae una vice aegro exhibetur. Illam vocabo *Generalem*, hanc *Specialem*, ſeu potius *Doſin*, quae cum conſtituat priorem, prius pertractabitur.

65. In *Doſi* duo ſpectanda veniunt: *Moles* nimirum atque *Numerus*. *Doſis.*

66. *Molem* determinant variae tam aegri, quam medicamenti adhibendi, conditiones, a Medico probe prius ponderandae; ne, exceſſu vel defectu peccans, remedio etiam apte ſelecto aut noceat, aut ſaltem boni praeſtet nihil. Hinc attendendum

α. Ad *Morbi* naturam, materiem, ſedem, ſtatum, vim, cauſas, ſymptomata, &c. ut nodo aptus adhibeatur cuneus. Vehementia, velocia, altius radicata, valde tenacia &c. vix niſi grandiore doſi ſuperabis; quam ſi leviori malo oppoſueris, remedium novi cauſa morbi evadet.

β. Ad *Vires Vitae:* quum enim per hanc remedia in actum deducantur, utique requiritur, haec ut illi ſint proportionata, nec ſuffocent, a qua dirigi debebant. Fortes hinc validam, minutam debiles ferunt doſin. Oppreſſas interim vires ab exhauſtis probe dignoſcito.

γ. *Aetatis* dein ratio habenda. Quocirca ſequentes ferè obtinent generales regulae pro remediis internis iisque efficacioribus.

Pone doſin efficacem eſſe pro homine conſiſtentis aetatis 1 vel Drach. j.

Erit pron	Ann.	XIV ad XXI	—	$\frac{2}{3}$	vel Scrup. ij.
——	——	VII ad XIV	—	$\frac{1}{2}$	vel Drach. ß.
——	——	IV ad VII	—	$\frac{1}{3}$	vel Scrup. j.
——	——	IV ——	—	$\frac{1}{4}$	vel gr. XV.
——	——	III ——	—	$\frac{1}{6}$	vel Scrup. ß.
——	——	II ——	—	$\frac{1}{8}$	vel gr. VIII.
——	——	I ——	—	$\frac{1}{12}$	vel gr. V.

Senes bis pueri, ut viribus & victu, ſic & medicamentis: unde in his ſexagenarium cum juvene tertii ſeptennii, ſeptuagenarium cum adoleſcente ſecundi, octuagenarium cum puero primi, & ſic porro, comparare forſan licet. Neque tamen adeo haec conſtanter obtinent, quin multas ferant exceptiones: prout facile patet diverſos ejusdem aetatis homines, ratione virium, inter ſeſe conferenti. Accedit, quod ſenectus inducta rigiditate corpora minus ſenſilia reddat. (vide infra lit. τ.). Quare ex aetate ſola vix recte calculum poſueris.

δ. *Moles* quoque *Corporis* nonnunquam doſin variat: licet interim viribus illa non ſemper ſit proportionata.

ε. *Temperies* etiam limites hic figit. Bilioſi, Melancholici calidi, Humectantium, Refrigerantium, Laxantium, majorem plerumque copiam ferunt facile; laeduntur a minore etiam quantitate contrariorum,

rum, quae tamen, majore licet doſi, adhibita Phlegmaticis ut plurimum pulchrè conducunt.

ζ. *Sexus* item huc facit. Foeminarum plerumque tenerior, quam Virorum, conſtitutio reſtrictiorem doſin poſtulat. Quin viribus etiam accommodatam quantitatem reſpuunt nonnunquam delicatulae. His igitur, quousque fieri poteſt, vel diminutione, vel partitione majoris in plures minores, ſubveniendum.

η. *Diſpoſitio* etiam *ſingularis*, morboſa, vel naturalis, perpetua vel temporaria, a conformatione, habitu corporis, ſexu, morbis praegreſſis &c. pendens primario morbo complicata, aliter quandoque determinat doſin. Menſium fluxus, graviditas, puerperium, lactatio, paſſio Hyſterica in foeminis, Hypochondriaca in viris, obeſitas, gracilitas, viſcerum quorundam debilitas, gibber, calculus, proclivitas ad vomitum, & alia plurima hujus ſunt loci.

ϑ. Singulariſſima inſuper, quam *Idioſyncraſiam* vocant, cujusdam individui habitudo, reſpectu hujus illiusve medicamentorum claſſis, aut peculiaris etiam remedii, ſummopere nonnunquam obſervanda; quamvis interim, per generalia inexplicabilis, ſola experientia aut aegri relatu cognoſcatur. Sunt, quos vel odor purgantis movet; dum alios vel duplicata doſis ordinaria vix afficit.

ι. *Conſuetudo* pariter locum hic habet: quum eorum, quibus natura adſuevit, doſis grandior plerumque lenius agat, quam minor inſuetorum: quod Nicotianae uſus exemplo ubivis obvio commonſtrat.

κ. Nec *Vitae Genus* plane praetereundum: ut enim varios id ſanitatis gradus atque morbos efficit; ſic varias etiam ſaepe corporibus inducit habitudines, quae medicamentorum actiones augent vel imminuunt.

λ. *Nationes* univerſae hic quandoque ſingulare quidpiam ſibi vendicant pro vario climate aut vitae genere, quo communiter utuntur. Saxones, Weſtphali, difficilius moventur (*a*). Siamenſes Poculo arſenicali, loco Antimonialis; Indi Ipecacuanhae doſi vigecuplo majore, quam Europaei, ad emeſin ciendam opus habent (*b*).

μ. Quin & *Anni Tempus* nonnunquam alicujus eſt momenti: quatenus ardentior Sirius, ſaeviens gelu, aut aura temperatior, ſuadent vel lenius movenda corpora, vel validius.

ν. *Remedii* tamen adhibendi nota *Efficacia* & *Penetrabilitas*, ad priores conditiones comparata, vel maximam hic diverſitatem parit. Unde per experientiam legitimè ſtabilitas uſitatorum quorumvis medicamentorum, praecipuè generoſiorum, doſes efficaces, harumque gradus, exacte cognitos habeat formulam ex arte praeſcripturus. Si quae autem nova, nondum rite explorata, in uſum vocare libuerit, regulae (21.) memor, minima primò quantitate experimentum capiat, circumſpecte dein aucturus doſin, animadverſa prioris inertia.

ξ. *Pretium* quandoque remedii, caeterum haud adeo

(*a*) Wedelii Compoſ. Medic. Tab. II.
(*b*) Hiſtoire de l'Academ. Royale. 1703. p. 63. Edit. Belg.

adeo potentis, doſin reſtringit. Margaritae, Gemmae, Lap. Porcini, Bezoar &c. teſtes ſunto.

ο. *Specifica* etiam *Levitas* materiae, majore ſaltem quantitate efficacis, de doſi detrahit; ne moles nimia, ſimul ingerenda, nauſeam moveat: prout circa herbas, flores &c. nonnunquam obtinet.

π. Hinc & odoris, ſaporisve, aut qualitatis alterius, *Injucunditas* remedium aliquando parciore doſi ſimul exhibendum ſuadet. Aſa Foetida, Caſtoreum, pinguia &c. id docent (29).

ρ. Ipſa *Formulae Species* doſis quantitatem ſaepe determinat. Habent enim certos plurimae terminos modosque, quos egredi vix ſine ſumma neceſſitate licet: uti patebit poſtea.

σ. *Uſus* porro *Remedii* varius, externus, internus, & *Applicatio* ad diverſas corporis partes multiplex, hic conſideranda. Haud parum intereſt diſcriminis, purgans an clysmatis ſpecie injiciendum an ore hauriendum, dederis &c.

τ. Denique eſt in corporibus humanis, dum vita viget, Ἐνοϱμῶν, principium aliquod mirae ſenſilitatis, etiam extra mentis conſcientiam, hinc ad ſtimulos impetum concipiens inque compagem corporis propagans ſaepe longe majorem, quam qui efficaciae irritamenti reſpondere videatur (*a*). Id vero

(*a*) Vide Sermones meos Academ. de Regimine mentis, quod medicorum eſt, & quae cap. de morbis Solidi vivi in inſtitut. Patholog. propoſui.

vero uti per univerſum corpus diffuſum eſt, ita tamen nec in omnibus hominibus, nec in ſingulis ejusdem hominis vel partibus vel conditionibus, aequa pollet agilitate, ſed infinitis quaſi gradibus variat: ut quotidiana doceat obſervatio, unam eandemque rem duobus hominibus, quos quidem corporis habitu nequaquam diſcrepare dixeris, eodem modo adhibitam diverſiſſimos quandoque effectus producere. Credibile autem eſt, iſtius potiſſimum principii interventu naturam remedia ad agendum ciere, ab his illud ſtimulari, exinde motuum fieri mutationes majores, minores, aliter atque aliter directas, pro diverſa cum ſtimuli, tum Ἐνοςμῶντος ſtimulati ratione. Pleraque certe medicamina in corpore mortuo nihil efficiunt, eademque nec in omni homine, nec in qualibet hominis parte, eodem modo & gradu operantur; ut nonnumquam effectus prodeant etiam in arte verſatis inexſpectatiſſimi, ſtupendi. Matronam vidi, cui, quotiescunque Opium modica doſi ſumſerat, nato poſt aliquot dies pruritu per univerſum corpus epidermis ſeceſſit, ut per ſquamas ac lamellas deglubi poſſet. Vide etiam (30.). Unde pronum eſt colligere, quanti interſit Medici, cum in deligendis remediis, tum in determinandis eorum doſibus, ad iſtam corporis vivi virtutem animum advertere, quoque ea gradu ac ἐνεργεια in homine aut parte hominis, cui medicari oportet, inſit, diligenter explorare. Quo magis dolendum eſt, intimam hujus principii naturam &, quae id tantopere diſcrepare faciunt, conditiones tam parum hucusque innoteſcere; ut ex iis, quae (66. β ad ν) memorata ſunt, generatim

ratim quidem aliquid determinare liceat; quod autem cuique homini privum ac ſingulare eſt, vel ſagaciſſimus etiam a priori, quod ajunt, diſcernere nequeat, ſed ſola demum effectuum obſervatione addiſcatur. Itaque monitos velim tirones, ut bene memores canonum (21.23.28.30.) praxin aggrediantur. Aegrotantes autem effatum Celsi (*a*) audiant: *Cum par ſcientia ſit, utiliorem tamen Medicum eſſe amicum, quam extraneum.*

Nota. *Vetat inſtituti mei ratio, plura aut magis ſpecialia hoc de themate ſuperaddere. Vetat haec ipſa, amplitudini rei, certis limitibus vix generaliter definiendae, ſimul juncta, tabulam, ut fieri ſolet, hic adjicere, aptas ſingularium quorumvis remediorum doſes exhibentem. Tot hae obnoxiae ſunt exceptionibus; ut nonniſi in caſu ſpeciali, determinatis prius conditionibus (66. α ad τ), & forte pluribus aliis, ſtabiliri ex arte queant. Sed Indicationum quoque doctrinam, & Materiem Medicam, tam ſimplicem, quam arte factam, tironi meo cognitas ſuppono (7. α ad γ); quae quidem, uti vires, ita doſes etiam, quousque in genere fieri poteſt, edocent. Quin &, quae poſtmodum de formularum ſpeciebus ſigillatim tradentur, multam his lucem affundent.*

67. *Numerus* doſium (65) ſimplex, vel multiplex, quandoque arbitrarius eſt; ſaepiſſime tamen certis itidem conditionibus limitatur. Quocirca ſequentes fere regulae uſu veniunt.

α. Si

(*a*) In fine praefat. Lib. I.

α. Si doſis unica ſcopo Medici ſufficit, quid opus pluribus.

β. Si remedium fuerit injucundum, aeger ad uſum tardus aut difficilis, ingeſtio vel applicatio moleſta, quantum pote, pauciſſimas doſes exhibe.

γ. Quae mora facile corrumpuntur, deliqueſcunt incommodè, exhalant, nimis areſcunt, parciore quantitate ſimul praeſcribe. Varius atmoſphaerae ſtatus, tum conditiones aliae, vitia modo dicta magis minusve promoventes, hic ſpecialius determinant.

δ. Ubi doſis efficax praeſcripti mole major eſt, quam quae una vice commodè queat ingeri, expedit, ſi per alia licet, partiri eam in plures doſes minores, per intervalla aſſumendas; ne aegro nauſeam, vel & vomitum, cieas: id, quod in vomiturientibus praeprimis obſervandum.

ε. Si generoſiora adhibes aegri naturae aut idioſyncraſiae haud benè gnarus, ſatius eſt, doſin efficacem partitis vicibus paullatim dare; ut tempeſtive abſtinere liceat. Idem circa uſum novorum, minus probatorum, quoque obtinet (66. ν.).

ζ. Si incognita, vel dubia, morbi indoles incertum facit remedii effectum, coactus ad praeſcribendum ob (14.), ſaltem ne multas doſes exhibe: minus ſic aegro moleſtus, facilius inſuper, cum requiritur, mutare poteris.

η. Quorum praeparatio difficilior eſt aut longior, niſi

niſi quid obſtet, ad plures doſes praeſcribe; ut parcas pharmacopoei operae nimium ſaepe pretioſae.

ϑ. Hinc & quae peregrè mittuntur ad loca bene inſtructis pharmacopoliis deſtituta, ſi per alia licet, majore quantitate dare convenit.

ι. Contra ſi proximus aegro Medicus hunc frequenter inviſit, doſium numerus contrahatur; ne crebrius ſine facta praeſcriptione abeundum ſit: quod aliquibus minus acceptum.

κ. Ubi autem diu continuatus ejusdem remedii uſus requiritur, quousque fieri poteſt, plurimas in doſes id exhibe. Parſimonia emti ſuadet uſum, vix tamen, praecipue ſi faſtidio jungitur, ad novi emtionem compulſura.

λ. Si per brevia intervalla repetendus eſt uſus, itidem multiplicandae ſunt doſes; ne iteratae praeparationis neceſſitas moleſta ſit.

μ. Denique ſi, in chronicis maxime, varietatem amat aeger, aut poſtulat indicatio (54), minorem quantitatem ſimul praeſcribe; ut crebrius & leviore ſumtu variare poſſis.

68. Numero & Mole Doſium juxta (66 &. 67) determinatis, *Quantitas Generalis* formulae (64) levi negotio detegitur. Si enim moles multiplicatur per numerum, productum erit quantitas tota ſimul praeſcribenda. Unde ſequitur *Quantitas Generalis.*

α. Quantitatem Generalem aequalem eſſe Speciali (64), ſi doſis tantum unica ſimul praeſcribitur.

β. Si

β. Si vero plures unâ doſes eadem formula complecti animus eſt, quantitatem generalem ad minimum duplo requiri majorem ſpeciali.

γ. Si doſis exacte ad pondus determinatur, quantitatem generalem ita eſſe proportionandam, ut ea per doſis pondus dividi queat ſine reſiduo. Haec tamen regula haud ubique exacte obſervatur; praecipue ſi ad plurimas doſes fiat praeſcriptio, neque partitio pharmacopoeo facienda committitur.

69. Caeterum memento conſiſtentiae ingredientis, in formula ſimplice praeſcribendi; ut id in formam, quam deſideras, redigi ex ſe aptum natum ſit.

70. Denique hic eò quidem magis abſtinendum ab acrioribus, odore vel ſapore moleſtis, difficulter ingerendis &c. (29); quia neceſſaria horum correctio aut obvolutio per aliorum miſcelam in formula ſimplice locum non habet: niſi forte idonei vehiculi electione aegro conſulas.

DE
Formula Composita.

71. Tantum de Formula Simplice. Proximum eſt, ut de *Compoſita* (62) agamus, quae uti pluribus conſtat ingredientibus, ita majus quoque ad ejus concinnationem artificium requiritur.

72. Videretur equidem, in tanta ſimplicium atque compoſitorum officinalium affluentia, vix, niſi rarius compoſitione magiſtrali (6) opus eſſe, ob (33 & 41) ſed frequentiorem tamen ejus neceſſitatem faciunt ſequentia. α. Sim-

α. Simplicis vel compoſiti officinalis, morbi & aegri conditionibus accommodati, defectus. Nimia hinc doſium efficacium moles, ſuſpecta praeparatio, minus curioſa, aut nimis diuturna ad corruptionem usque aſſervatio, &c. ſaepiſſime uſum compoſitorum officinalium, licet caeteroquin indicationi ſatis reſpondentium, diſſuadent.

β. Virtus remedii debilior, debellando morbo impar, aliorum additione augenda.

γ. Violentia ejusdem, minus tuta, appropriatis cicuranda.

δ. Diverſitas ſimul concurrentium indicationum, quibus ſimplice uno, aut compoſito officinali, ſatisfieri nequit; dum interim variorum, quae requiruntur, apta miſcibilitas aliaque (43) permittunt aut poſtulant, ut in unam formulam componantur.

ε. Partis cui applicari, vel per quam transmitti debet remedium, ſitus, ſenſus vividior, aliaeque conditiones.

ζ. Formulae facta electio (47 ad 52.), cui conſtituendae materies indicata ſola, ex ſe, minus idonea eſt.

η. Neceſſaria medicamenti occultatio (27.).

θ. Coloris, ſaporis, odoris, aliarumve qualitatum injucundarum deſiderata correctio.

ι. Tandem &, peſſimè quidem, introductus mos, nulla licet urgente neceſſitate, plura ſemper in unam for-

formulam congerendi, cui obſequi quandoque jubet Medicum, praeſertim juniorem, prudentia (32.).

73. In Formula compoſita, ob conditiones (72.), aliasve, requiſita, attendendum α. ad *Partium*, ex quibus componitur, numerum, uſum, proportionem. β. ad *Quantitatem* tam generalem, quam ſpecialem (64). γ. ad *Qualitates* totius compoſiti ex miſcela oriundas.

74. Partes vulgo numerantur quatuor. α. *Baſis.* β. *Adjuvans.* γ. *Corrigens.* δ. *Conſtituens.* Quod enim alii, quinto loco, ſuperaddunt, *Dirigens* dictum, ſi datur, commodo Adjuvanti accenſeri poteſt.

Baſis. 75. Basis eſt pars in compoſitione princeps, qua, utpote ad morbum profligandum ſelectiſſimâ, indicationi ſuae potiſſimum ſatisfacere conatur Medicus. Requiritur hinc in omni formula praeſens, etiam in ſimplice (63), quam ſaepe conſtituit totam; ideoque nomen baſis, quod parti competit, tum non habet; quia ſola ſufficit, nullius additione egens: quandoque tamen aliorum permixtione ſaltem accommodanda eſt, ut tuto, cito, & jucunde agat, quod agere debet.

76. Eſt ea (75.), ratione *Virtutis*, *Simplex* vel *Compoſita*. Simplex dicitur, quae uni ſaltem indicationi reſpondet; Compoſita, quae pluribus diverſis. Utraque vero, ratione *Materiae*, iterum *Simplex* vel *Compoſita* eſſe poteſt; prout vel uno, vel pluribus, conſtat ingredientibus.

77. Quae-

77. Quaenam harum (76.) eligenda ſit, docent regulae ſequentes.

α. Quod uno vales efficere, ne tentes pluribus. Unde, ubi uni ſaltem indicationi ſatisfaciendum, Baſis & materie & virtute ſimplex; ubi pluribus, ſimplex materie, virtute compoſita, ſi ſufficit, & praeſto eſt, praeferenda.

β. Si tamen plura ſimul miſta efficacius praeſtabunt, quod intendis, compone.

γ. Tum vero cave, ne confundas, quae vel miſceri inter ſe nequeunt, vel miſta alienas ſortiuntur vires. Vid 29. 30. 31. 36. 40. 41. & paulo poſt tradenda.

78. Adjuvans (74.) dicitur, quod actionem baſis (75.) promovet, cum haec effectui deſiderato ſola impar eſt. Ejus ergo haud perpetua in omni compoſitione neceſſitas. *Adjuvans.*

79. Triplex vero modus eſt, quo baſin adjuvamus. Vel enim α. vim ejus directe intendimus. Vel β. materiem, in quam agere, & vias quas permeare debet, ita diſponimus, ut minus reſiſtant. Vocatur *Praeparatio.* Vel denique γ. actionem ejus ad hanc illamve partem aut locum corporis dirigimus: quo quidem juvari baſin ad opus ſuum praeſtandum nemo non videt.

80. Primum (79. α) uſu venit, ubi baſis ex ſe inertior eſt, aut majore, quam commode adhiberi poſſit, mole demum efficax (66. α. γ. ζ. ο. ϱ.). Perficitur addito efficaciore ejusdem virtutis, aut alio,

alio, ſingulari virtute experimentis cognita, id praeſtante: uti cum Purgantibus lenioribus Trochiſci Alhandal, vel Scammoneum, aut & fortioribus parciore doſi ſumtis Stibium Diaphoreticum, &c. junguntur. Frequentius in evacuantibus, in alterantibus rarius, locum habet. Saepe autem pars potius baſis dici meretur.

81. Altero (79, β.) itidem vix niſi in evacuantibus utimur; cum vel materies eliminanda difficulter mobilis eſt, aliave dote baſin enervatura; vel viae permeandae juſta carent libertate. Juvant tunc attenuantia, diluentia, antacida, antalcalica, aperientia, laxantia, antiſpasmodica, & ſimilia.

82. Poſtremo (79. γ.) locus eſt, ſi quando baſis actio ex ſe adiaphora certam ad partem magis duci debet. Mercurium ſic purgantium additamento determinamus ad alvum. Opio vel adſtringentibus miſtis ad glandulas ſalivales &c. Haud conſtat interim, utrum directio iſthaec, praeprimis per ſpecifica topica, adeo ubivis efficax ſit, ac olim ſolebat credi. Proprium regimen & conſentanea remediorum externorum applicatio plerumque certius, quo velis, ducunt.

Corrigens. 83. Corrigens (74.) vocatur, quod vel noxiam vel injucundam aliorum ingredientium qualitatem tollit, virtutes tamen, quae ad ſcopum faciunt, relinquens illibatas. Abſente hinc vitio haud opus correctore.

84. *Noxiae Qualitates* (83.), quae vulgo, in eme-

meticis maxime, purgantibus, & Opiatis, culpantur, ſunt acrimonia, flatulentia, viſcerum enervatio, frigoris vel caloris exceſſus, & ſimilia. His corrigendis adhibentur demulcentia, acrimoniae ſingulari oppoſita, carminantia, roborantia, calefacientia, refrigerantia &c. At nota.

α. Correctionem non opponi nimiae quantitati, ſed noxiae potius qualitati actionis medicamentorum. Quodſi enim actio eſt, qualis eſſe debet, at nimis vehemens in dato caſu, prudentia jubet, exceſſum doſi minutiore comprimere. Corrigenti demum locus eſt, cum remedium, praeter id, quod exigitur, etiam aliud quid, quod extra ſcopum eſt, aut aegro nocivum, efficit. Veteres non correxerunt Opium: ut excedentem ejus vim ſoporiferam infringerent, gnari, id doſi parciore obtineri poſſe; ſed quod ultra modum frigeſacere exiſtimarent. Foliorum Sennae correctio non ſpectat nimiam purgandi vim, verum, quae excitant, tormina. &c.

β. Male vocari correctionem (83.), quae ſimul cum vitio & virtutem ſuccidit.

γ. Pleraque, quorum tantopere urgetur correctio, vitia vel adeo inſeparabilia eſſe ab ipſa eorumdem remediorum virtute, ut, illa imminuendo aut tollendo, haec quoque pari gradu aboleatur: alia autem uſu potius intempeſtivo quam ſua culpa, nocere: ne dicam adulterationes, corruptiones per longiorem aut incurioſam aſſervationem contractas, & minus legitimas praeparationes &c. ſolas quandoque noxarum eſſe cauſas.

C δ. Cor

δ. Correctionum hinc plurimas male tales vocari, male inſtitui; quia, dum vel nihil proſunt, vel & obſunt, doſis interim efficacis quantitatem tam mole corrigentis additi, quam ob vim baſis mutilatam, incommodè nonnunquam augent.

ε. Proſtare inſuper pleraque ſic dictorum Malignorum jam correcta in officinis; ut ideo correctione magiſtrali ſurperſedere poſſit, iis qui uti volet.

ζ. Optimam plurimorum correctionem in genuina bonitate, praeparatione dextra & fida, uſu tempeſtivo, ac doſi accommodata (*66.*) ſitam eſſe.

η. Verius tamen vitium dari circa olea inflammantia, reſinas, pinguia, acria; dum haec, ſi ſola ingeruntur, aquoſis difficulter ſolubilia, hinc viſcerum vaſorumque parietibus tenaciter adhaerentia, ſtimulos faciunt aegrè abstergendos. Saccharum hic, ovi vitellus, ſapones, olei blandioris tantillum, alcalini ſales, abſorbentia, intertrita, ex uſu ſunt.

85. *Injucunditas* (83.) corrigenda ſaporem reſpicit, odorem, & colorem. Priori ſerviunt Saccharum, Syrupi, Acida &c. Alteri Aquae & Olea fragrantia, Ambarum, Moſchus &c. Coloris gratia conciliatur Cinnabari, Santalo rubro, Auri & Argenti foliolis, &c. Notandum tamen.

α. Haud tantam in medicamentis, ac in cibo & potu, gratiam vel obtineri ſemper poſſe, vel & ab ipſis aegris exigi. Appetentiam his invitat morbi moleſtia: hinc coquinaria eò non opus.

β. Sa-

β. Sapores & odores eosdem haud omnibus promiſcuè aequè vel gratos, vel utiles eſſe. Alios delectari & juvari aliis. Dulcia & ſuaviter fragrantia quibusdam infeſtiſſima.

γ. Eſſe, quibus male olent & ſapiunt omnia e pharmacopolio petita. His, utcunque correcta dederis, placebit nihil. Vis tunc in molem minimam compacta, parciorque doſium numerus, ſi ita licet, jucundiſſimam praeſtant correctionem.

δ. Si tamen & aliter corrigere juvat, dextreid & conſiderate faciendum; tum ne ſublato uno injucundius aliud naſcatur vitium; tum praecipue, ne virtutem ipſam male pervertas deſtruasve.

ε. Abſtinendum eſſe a nimia ſedulitate in concilianda praeprimis coloris gratia per auri argentique folia ubique intermiſta. Ferri haec poſſunt in pilulis quandoque &c. : at nunquam omiſſa ridiculam produnt vanitatem.

ζ. Ingratas qualitates ſaepe oriri ab incondita nimis diſcrepantium in unam formulam congeſtione; vitari hinc poſſe delectu congruorum, aut partitione in plures formulas (44).

η. Quin & ſolam formulae ſpeciem remedio aut aegro accommodatam, nonnunquam correctionis loco eſſe (47. 49).

86. Constituens denique (74..) eſt, quod alia ingredientia in debitam formulae deſideratae conſiſtentiam, quandoque & molem, redigit. Eo igi- *Conſtituens.*

tur minimè opus, niſi cum reliqua per ſe in formam expetitam coire nequeunt, aut juſto minoris ſunt voluminis. Sequentia hic obſervanda.

α. Si unà & Adjuvans (78.), aut Corrigens (83.), aut utrumque requiritur, videndum, an alterutrum horum inveniri queat tale, quod ſimul & Conſtituentis vices impleat; ne praeter neceſſitatem, multiplicentur ingredientia.

β. Sin minus: eligatur aliud, reliquorum viribus vel reſpondens, vel ſaltem non oppoſitum.

γ. Quin & miſcibile id cum reliquis ſit oportet: aut ſi aliud poſtulat indicatio, interventu ſaponacei cujusdam, ſacchari, vitelli &c. mixtio perficienda. Cetera, quae ad juſtum Conſtituentis delectum pertinent, hujus loci non eſt exponere; quum pro diverſitate formularum diſcrepent, adeoque in ſingulari cujuslibet hiſtoria demum accurate enarrari debeant.

Proportio mutua. 87. Hactenus (74 ad 86) enumeratarum partium Proportio mutua determinatur α. ex cognita doſi efficace & conſiſtentia ſingularum (66. 38.). β. ex notis viribus earumdem inter ſe miſtarum. γ. ex juſta formulae deſideratae conſiſtentia ac quantitate ſpeciali (66. ϱ.).

88. *Baſis* (75.) quidem, licet non ſemper quantitate, at vi tamen debet ſuperare alia omnia, & ſive ſimplex ſit ſive compoſita, ea doſi ſumi, qua ſufficiat ſcopo exſequendo. Interim.

α. Ha-

α. Habenda ſimul ratio Adjuvantis (78.), ſi quod additur: id enim, de prima potiſſimum ſpecie (79. α. 80.) petitum, ſi inſigniter auget vim Baſis, haec pro rata reſtringatur neceſſe eſt, ne compoſitum juſto efficacius emergat.

β. Corrigens itidem (83.) ſi adhibetur, videndum, an & quousque debilitet Baſin (84. γ. δ.), haecque tum proportione augenda.

γ. Quin &, ſi Conſtituens additum ſimul vel adjuvat vel corrigit (86. α.) ſimilia modo dictis obtinent.

89. *Adjuvantis* ea eſt ad Baſin proportio, ut huic ſaltem vi, ſi non & quantitate, cedat, ſecus enim Baſis potius pars, quam Adjuvans, vocabitur; praecipuè ſicubi virtute Baſi ſimile fuerit (80.). Neque hic ulterius quidpiam in genere determinare licet, niſi quod opera danda ſit, ut Adjuvans cum Baſi ſimul juſtam, nec vi nec mole nimiam, doſin conſtituat.

90. Circa *Corrigentia* utriusvis claſſis (84. & 85.) generatim ferè conſultius eſt parciorem eſſe; ne committantur peccata (84. β. γ. δ. 85. β. δ. ε.). Hinc neque tutum, ea, quae ſaporum odorumve correctionem ſpectant, pharmacopoei arbitrio relinquere determinanda. Cetera patebunt in ſingularibus.

91. *Conſtituentis* (86.) haud ubique eadem eſt proportio: prout enim vel ipſum natura varium eſt, vel formulae parandae ſpecies alia atque alia, vel

ingredientium reliquorum conſiſtentia aut moles huic magis minusve reſpondent; ita parcior illius ſive major quantitas requiritur. Si ſolam id molem augere debet, tantum ejus addendum, quantum reliqua a juſta formulae doſi abſunt: quod determinatu facile eſt ex hujus cognita quantitate. Si autem formae exigitur conſtitutio, pharmacopoeo ſaepiſſime, neque adeo cum periculo, committitur determinatio: prout deinceps patebit.

Doſis. 92. Dosis, vel Quantitas Specialis, formulae compoſitae (73.), quod ad molem, aequè ac numerum, iisdem definitur conditionibus, quibus in Formula Simplice (66. 67.). Id ſaltem diſcriminis hic notandum.

α. Plenae doſes ſingulorum formulae compoſitae ingredientium, praecipue Baſis & Adjuvantium huic congenerum, ſimul junctae tot conficiunt doſes efficaces, quot ſunt ingredientia efficacia: ut ideo horum numerus numerum doſium tunc exprimat.

β. Ubi igitur numero ingredientium efficacium pauciores, vel & una tantum, requiruntur doſes, de ſingulorum doſibus tales ſaltem capi debent portiones, quae ſimul ſumtae tot modo, quot deſiderantur, doſes medicamenti compoſiti conſtituant.

γ. Neque tamen vis ſimplicium poſt mixtionem ſemper eodem in gradu perſtat; ſed ſaepe inertior, ſaepe fortior fit: quod omnino attendendum. Multum intereſt, Adjuvans an addideris Baſi, an Corrigens,

gens, an utrumque, & quale? Hoc minuit quandoque, illud intendit virtutem, manente mole eadem (79. 84.) 85. Exempla quaedam mox, ubi de qualitatibus, proponemus.

δ. Quin & ex variis inter ſe mixtis compoſita ſaepe emergunt longè vel minus vel magis corruptibilia, quam erant ſingula ſeorſim conſtituta. Emulſa quam cito aceſcunt! Alcalica contra fixa, cum Abſorbentibus ſubacta, quamdiu perſtant ſine deliquio! Inde ergo nonnunquam numeri doſium ſimul praeſcribendarum in Formula Compoſita quaedam varietas. (67. γ.).

93. Quantitatis Generalis formulae compoſitae (73.) ex dictis (68.) collatis ad (92.) ſponte innoteſcit. *Quantitas Generalis.*

94. Qualitates (73.) denique ex variorum mixtione oriundae, haud raro ab iis eorumdem ſeorſim conſtitutorum diverſiſſimae, in Formula Compoſita vel maxime conſiderari debent: haud enim ſolummodo ſuperficiariae ſunt, ſed vires etiam medicatas, intimamque rerum naturam ſaepe afficiunt, quae hinc naſcuntur, mutationes: ut vel ex hoc quoque ſatis conſtet, quam malè, praeter neceſſitatem (72.), Compoſita Simplicibus praeferantur (33.). *Qualitates.*

95. Qualitates, quarum hic ratio habenda (94.); ſunt praeprimis *Conſiſtentia*, *Color*, *Odor*, *Sapor*, atque *Virtus Medicata.*

96. *Conſiſtentia*, cum ſua cuivis formularum ſpeciei *Conſiſtentia.*

ciei propria ſit, ne per variorum mixtionem temere pervertatur, omnino cavendum. Secus enim nauſeam, uſum minus commodum, aut malae praeparationis ſuſpicionem aegro, pharmacopoeo taedium, quandoque & riſum, remedio ſaepe minorem efficaciam, aut vires alienas, creabis.

97. Vitiatur ea (96.) α. inaequalitate mixtionis. β. ſpiſſitudine vel ſiccitate nimia. γ. nimia fluiditate vel mollitie.

98. Haec (97.) ut caveantur, noſſe oportet

α. Conſiſtentiam cuilibet formulae propriam: de qua poſtea in ſingularibus.

β. Conſiſtentiam cujusvis ingredientium ſeorſim (38.), quae ex (7. β. γ.) addiſcenda.

γ. Mutuas miſcendorum ad ſe invicem habitudines (40.). Cognoſcenda hinc ſedulo ea, inter quae mutua datur repulſio, effervеſcentia, fermentatio, praecipitatio, deliquium, concretio &c. Haec vero cum ſola doceat Chemia, hujus in Pharmacia ſummus inde uſus patet. Plura de hac qualitate hoc quidem loco in genere dici vix poſſunt, quin in ſingulares formularum ſpecies incidamus.

Color. 99. *Colore* nihil mutabilius; praeſertim ſicubi varia permiſcentur. Eo interim ſunt qui afficiuntur. His igitur ut, quantum fieri poteſt, ſubveniatur, ad ſequentia attendendum.

α. Nullus, diaphanus, albus, aureus, ruber, caeruleus, colores in univerſum jucundiores ſunt; minus

nus jucundi luteus, viridis, niger, ex his miſtus, opacus, obſcurus.

β. Eſt ſuus quibusdam formularum ſpeciebus color magis familiaris. Emulſa lacteus, Julapia ruber, caeruleus, nullus, Miſturas contractas aureus, rubicundus, diaphanus, commendant, & ſic porro. Infuctus nauſeam parit vel ſcrupulum delicatioribus; aliquando tamen prudenter adhibetur (27.).

γ. Ex coloribus miſcendorum nulla datur coloris, poſt miſcelam naſcituri, determinatio phyſica generalis. Ex colore carentibus, inter ſe miſtis, album, flavum, rubrum, caeruleum, fuſcum, atrum &c. producit Chemicus; imo fere dixero, quosvis ex quibusvis: ut ideo ſola propemodum Chemia & exempla det & regulas, quibus hic opus. Adde his ſupra (85.) memorata, ne perverſa ſedulitate plus noceas, quam proſis.

100. *Odorum* haud minor ferè, quam colorum (99.), eſt mutabilitas: at major etiam & verior efficacia. Curandum hinc, ne quid in his vitii ex mixtione diverſorum oriatur. Quare nota. *Odor.*

α. Valde limitatas incertasque eſſe circa odorum gratiam regulas; nec placere omnibus qui nonnullis (85. β. γ.).

β. Suavitatem hic & utilitatem haud pari paſſu ambulare. Hypochondriaci, Hyſtericae, Epileptici, &c. a ſuaveolentibus ſaepe peſſimè multantur.

γ. Inodora tum medio vel ſuavitatis vel foeto-

ris gradu conſtituta, ferè in univerſum amari magis: putrida contra, & ſtercorea, promiscue a quibusvis fere hominibus ferri difficillime: foetidiſſima interim, aequè ac fragrantiſſima, ad bene maleque afficiendum corpus maxime valere.

δ. Omnem ſaepe rerum virtutem ab odoribus horumve principiis pendere; his deſtructis illam ſimul perire, mutatis mutari.

ε. Ex odoribus miſcendorum haud poſſe generaliter determinari odorem miſti. Docet ſane Chemia,

Ex inodoris inter ſe junctis naſci odoratiſſima. Sali Ammoniaco ſi miſcueris Alcali fixum vel Calcem vivam, inodoro inodora, quam vehemens exſurgit odor ſubitiſſime! Vitrioli Acidum adfunde Nitro, Sali communi, Ammoniaco, Tartaro regenerato, & ſimilibus: eveniet idem.

Ex odoratiſſimorum permixtione effici odore omni carentia. Spiritus Salis Ammoniaci cum Acido Nitri vel Salis junctus pro exemplo ſit.

Foetores peſſimos a minus foetidis, aut & a ſuaveolentibus, commixtis poſſe excitari: ſuaviſſimos contra odores a foetidiſſimis. Sulphur Alcali fixo ſolutum, Aceto affuſo, nonne ova olet putrefacta? Male olentes interim ſucci ſimul eadem in crumena geſtati Lemeryo Moſchi exhibuere ſuavitatem (*a*).

Quocirca, ut hic quoque circumſpectè agatur, aeque

(*a*) Hiſt. de l'Acad. Royal. An. 1706. p. 7.

aeque iterum utilis eſt ac neceſſaria Chemiae cognitio.

101. *Sapor*, iisdem, quibus odor, conditionibus obnoxius (100.), ſimiles etiam cautelas repoſcit. Sincerus, dulcis, acidus, amarus, ſalſus, &c. optimi: rancidus, putridus, urinoſus, unguinoſus, aluminoſus, ingratiſſimi, diverſiſſimi, ſaepe & abſurdiſſimi ſunt, docente rurſus Chemia, qui ex variorum permixtione enaſcuntur. *Sapor.*

Acidum & alcali nonne deſtruuntur ambo inter ſe commiſſa, naſcente ſalſo aut amaro mixti ſapore?

Quid ingratius ſalſedine, quam fatuus Cancrorum lapillus, & marina quaevis abſorbentia, conciliant acidis?

Terrae pingues, inſipidae, cum acido fiunt aluminoſae, ſtipticae.

Plumbum cum acidis ſaccharinam generat dulcedinem, Ferrum ex dulci ſtipticum, metalla reliqua quam terribiles ſapores!

102. Ferri tamen quandoque poſſent qualitatum hactenus (96 ad 102.) recenſitarum vitia; niſi his ſaepiſſime comitem ſe jungeret incongrua *Virtutis Medicatae* mutatio. Imo haec, illis etiam vix notabiliter alteratis, haud raro naſcitur inexſpectata. En quaedam exempla! *Vis medicata.*

α. Acida & alcalica inter ſe miſta vires ſuas ſingulares perdunt utraque, quippe in ſalem neutrum abeuntia.

β. Aci-

β. Acida & abſorbentia vera ſe mutuo deſtruunt; ut nec horum nec illorum virtus ſuperſit, ſed nova penitus naſcatur.

γ. Terrae bolares, medicatae, acidis junctae, vim adſtringendi adquirunt fortiorem, aluminoſam.

δ. Purgantibus aliis nocent vel proſunt acida, aliis alcalica. Scammoneum acidi commixtio reddit inertius; Alcali fixum contra adjuvat. Jalappam & Colocynthidem fere cicurat penitus Sal Tartari.

ε. Opiata ſudoriferorum & ſialogogorum actionem promovent; reliquorum vero evacuantium fere ſupprimunt.

ζ. Mucilaginoſa & adſtringentia Sacchari mixtione debilitantur.

η. Hydrargyrum, cum Sulphure in Aethiopem aut Cinnabarim mutatum, ſialogogum eſſe deſinit. Idem, cum Sacchari aut Lapid. Cancror. duplo accurate tritum, fit inertior Aethiops albus. Vide tamen (*a*). Turbith Minerale, cum Pilul. de Duobus & Camphora remixtum, ex evacuante in alterans mutatur (*b*). Mercurius Dulcis, Sulphuri Antimonii ſociatus, ptyaliſmum, vomitum, alvum, urinam, vix movet (*c*). Sublimatus Corroſivus, ad-

(*a*) Medical Eſſays of the Society in Edinburgh. Vol. III. p. 388.

(*b*) Ibid. Vol. IV. p. 32.

(*c*) Ibid. Vol. I. p. 46. Vol. III. p. 389.

admiſtu pluris crudi, ſit Dulcis. Calces Mercurii plurimae, adhaerente acido acres, per alcalica, vel terreſtria abſorbentia, intertrita miteſcunt. An Aethiops, aut Cinnabaris, cum Alcali fixo permiſta manent eadem, nec virtutem ſialogogam recuperant?

ϑ. Calx viva, ex ſe fatua, quantam Alcali fixo inurit acrimoniam! Quantam parti Salis Ammoniaci!

ι. Alcalica acidis, acida alcalicis ſoluta, plerumque excutiunt cum inſigni virium alteratione. Martis Vitriolum alcalicis miſtum in ſpeciem abit Tartari Vitriolati, Ochramque indomabilem. In reliquis metallis & ſemimetallis ſimilia obtinent: ita tamen, ut pro majore aut minore admixti alcali copia ingens effectuum diverſitas naſcatur. Alumen ab alcali in calcem praecipitatur inertiſſimam: unde Magiſteriorum Aluminoſorum natura patet. Sulphur, alcali ſolutum, acido inde exturbatur, &c.

κ. Terreſtria abſorbentia, vi antacidâ alcalicis ſimilia, ſimili quoque modo plerumque mutant & mutantur.

λ. Alcali Fixum ejicit de corporibus concretis tum Volatile, tum abſorbentia terreſtria. Volatile idem praeſtat ratione abſorbentium. Calx tamen viva excipitur, quae contra Alcali Volatile excutit (ϑ.), Quam immanes hinc mutationes, ubi Alcali Fixum vel Calx viva cum Sale Ammoniaco aliis-

aliisque Alcali Volatile continentibus, aut utrumvis Alcali cum Magiſteriis ſolubilibus Coralliorum, Margaritarum &c. combinatur!

μ. Acidum natura fortius expellit aliud acidum debilius de ſua baſi. Fortiſſimum autem eſt Vitriolicum; debiliſſimum, quod ex vegetantibus habetur. Quid igitur? Si Vitrioli, Sulphuris, Aluminis, acida, utpote ejusdem omnia indolis, jungantur Sali Communi, Ammoniaco, Nitro, Febrifugo Sylvii, Tartaro Solubili, Regenerato, & ſimilibus? Quid? Si ea ipſa acida, laxiore in ſede haerentia, Vitriolum v. g., Alumen, &c. iisdem ſalibus permiſceantur. Conſtat hinc, quid de Tinctura Martis Zwelferi, quid de aliis hujus farinae, ſtatuendum.

ν. Acida, praeſertim foſſilia, ne temere jungas quibusvis metallicis aut Mineralibus: naſcuntur enim mirae hinc quandoque mutationes, imo venena ſaepe violentiſſima. Mercurius Sublimatus, Ruber Praecipitatus, Lapis Infernalis, Butyrum Antimonii, alia plurima, id loquuntur.

ξ. Idem corpus, alio atque alio menſtruo ſolutum extractumve, vires medicatas exſerit diverſiſſimas. Purgantium vegetabilium pleraque, cum menſtruo aquoſo primitus extracta, agunt feliciſſime; cum merè ſpirituoſo torminalia ſunt & purgant parcius (*a*). Antimonii Vitrum, vel Crocus, vino vim emeticam communicant; non item aquae, aceto

(*a*) Bouldoc dans les Memoir. de l'Acad. Roy. 1701. p. 256.

ceto deſtillato, vino aduſto, hujusve Alcoholi (*a*). Cuprum acido ſolutum emeticotaton eſt; alcali volatili urinas pellit efficaciſſime; Sale Ammoniaco fit purgans per alvum (*b*), &c.

o. Poſtremo videri quidem poſſit, illas mixtorum mutationes, quas Chemici ignis adminiculo producunt, nequaquam eventuras eſſe, cum ſimplex modo commixtio pharmaceutica adhibetur: quod, tametſi in aliquibus, ubique tamen locum non habere, exemplorum, quae propoſui, pleraque docent. Nec ſane latet Chemicos, viribus relativis, quae corporibus a natura inſitae ſunt, longe maximam partem effectuum, qui ex diverſorum mixtione profluunt, deberi.

103. Plura memoratis (102.) afferre poſſem: atque utinam omnia! Sed uti miſcendi hodie & componendi nec modus eſt nec finis (72. ι.); ita tamen longiſſimè abeſt, ut oriundas inde alterationes ad amuſſim cognoſcamus; utpote de quibus tum demum conſtabit accuratius, cum & naturalia ſimplicium principia, & mutuae ſingulorum ad ſe invicem habitudines, & veri, quibus agunt, modi, plenè fuerint detecta.

104. Qui interim, non ignarus Chemiae, mixtionem aggreditur medicamentorum pharmaceuticam, vel ideo cautus erit, quia prae alio quovis rectius novit, & mutationes ſtupendas e variorum con-

(*a*) Lemery Traité de l'Antimoine. p. 413. &c. 561. &c.
(*b*) Boerhaave Elem. Chem. Vol. II. p. 475. & ſeq.

conjunctione naſci, & forte infinitas ſupereſſe nobis adhuc ignotas: neque enim omnium & ſingulorum corporum inter ſe mutuo applicationes, quae fieri poſſunt, omnes tentatae ſunt, nec tentatarum producta rite examinata. Nolim vero quis exiſtimet, me exempla (102.) enarrata eam ob cauſam in medium attuliſſe, ut tironi meo inculcem, in concinnandis formulis iſtiusmodi permixtionibus nunquam utendum eſſe, eosque, qui talia aliquando audeant, adverſus regulas juſtae compoſitionis peccare arguam. Abſit! novi quippe praeſtantiſſimis etiam Practicis ea frequenti in uſu eſſe, & feliciſſime cedere, quum variorum mixtura novas ſaepe vires generet in ſimplicibus nequaquam reperiundas, longe ſaluberrimas. Itaque hoc tantum moneo, prudentia opus eſſe in miſcendo, nec inconſiderate quaelibet cum quibuslibet componenda, nec ex ſingulorum ingredientium virtutibus virtutem compoſiti ſemper explicari poſſe.

105. Expoſitis materiae utriusque formulae conditionibus (63. ad 104.) ſupereſt, ut de modo eandem deſignandi (61.) dicam.

Ordo ingredientium.

106. Pertinet huc primum *Ordo*, quo ingredientia formulae ſcribi ſolent. Is autem varius eſt in variis formularum ſpeciebus; imo nec unus & idem in iisdem conſtanter obſervatur: uti patebit in ſingularum hiſtoriis. In genere hic notetur

α. Quod ſingulari cuivis ingredienti ſingularis detur linea, nec duo vel tria continuo juxta ſe mutuo ſcribantur.

β. In-

β. Ingredientia ejusdem ſpeciei ſibi mutuo proxime ſubjungantur; Radix Radici, Aqua Aquae &c.

γ. Specie diverſa ſecundum quantitatem, qua recipiuntur, plerumque inter ſe digerantur; ut ordinem ducant copioſiſſima, claudant parciora, vel & vice verſa.

δ. Alias & *Baſis* (75.) primum tenet locum, alterum *Adjuvans* (78.), tertium *Corrigens* (83.), poſtremum *Conſtituens* (86.)

ε. Quae praeſcribuntur quantitate non definita, aut ex reliquorum ingredientium quantitatibus ſaltem definienda, fere ſemper ultimum locum occupant.

ζ. In univerſum expediret Medicos eodem ordine in praeſcribendo uti, quem pharmocopeus in miſcendo ex regulis artis ſequi deberet. Sic norma daretur imperitioribus, cujus ope errores vitare poſſent. Quotusquisque autem Medicorum eſt, qui hoc legitime perficere norit? Vid. (7. *γ.* 8.)

Iſthaec tamen ex ſpeciminibus formularum poſtea exhibendis clarius elucеſcent: tum vero & patebit, datas hoc loco regulas non carere exceptionibus.

107. *Modus* deinde *ſcribendi* formulae materiem ſuas etiam leges habet, quas obſervare & utile & decorum eſt. Nimirum *Modus ſcribendi.*

α. Quo diſtinctior & lectu facilior eſt ſcriptio, eo commendabilior: hinc eidem adſueſcat Medicus,

LIBRARY OF THE
FOUNDED 1813
UNIVERSITY OF MA

neque negligenter aut propere nimis literas pingat, cauturus, ne ſua culpa pharmacopoeum in errorem aut dubitationem inducat.

β. Nec peccet contra orthographiam, ridendus peritioribus.

γ. Inconditum ſcriptionis exceſſum vitet. Unde, ſi plura ejusdem ſpeciei ingredientia ſibi mutuo ſubjunguntur, juxta (106. β.), primo ſaltem nomen ſpeciei, omnibus commune, praefigitur, reliquorum vero nomina tantum propria deinceps, directè ſub nomine proprio primi, ordine (106. α.) dicto, collocantur. Simile quid obtinet, ſi plura proxime ſibi invicem ſubjuncta aequali ſingula quantitate praeſcribuntur: tum enim, ne cujusvis quantitatem ſigillatim adſcribere neceſſe ſit, vocabulo *ana* vel *aā* utimur; quippe quod ante deſignatam poſtremi illorum ingredientium quantitatem poſitum notat, de praecedentium ſingulis tantumdem eſſe recipiendum. Plura ejusmodi compendia in uſu ſunt, quae tamen in decurſu ſponte innoteſcent, atque ideo ſaltem, ſi tuta fuerint, negligi non debent, quia ubivis more recepta ſunt.

δ. Pejores noxas nimia infert ſcriptionis brevitas praecipuè cum ingredientia non vulgaribus literis ſed introductis characteribus, ſaepe male pictis ſaepe aequivocis, quandoque non ſine oſtentatione deſignantur: quo nimis frequenter factum eſt, ut pharmacopœus aliud pro alio, nonnunquam ſummo cum aegri periculo, exhibuerit. Unde prudentius eſt, vel nullis ejusmodi uti compendiis, vel

non

nonniſi diſtinctiſſimis, pervulgatis, minimè aequivocis; ubi fortè, juxta (27.), materiem formulae celare animus eſt. Opus tamen eſt, uſitatos Medicis characteres ſaltem cognoſcere; quum plena iis ſint omnia. Diſcantur ergo ex *Schröderi Pharmacopœa*, aut alibi.

ε. Iſtis nominibus ad deſignanda ingredientia utere, quae in officinis recepta ſunt; licet vel barbara vel impropria fuerint. Cavebis ſic, ne pharmacopœus quid pro quo ſumat. Praecipue retinenda plantarum nomina, quae Medicis a longo tempore in uſu fuerunt, atque etiamnum in Diſpenſatoriis adhibentur; tametſi novis Botanicorum ſyſtematibus forte minus congruant. Si tamen, ob (27.), minus vulgato uteris vocabulo, elige tale, cujus ſignificatio haud obſcura ſit, ſaltem commode inveniri poſſit, aut praemone pharmacopœum!

108. *Ponderum* denique & *Menſurarum*, quibus materiae medicatae quantitates in officinis determinari ſolent, cum diſcrepent a vulgaribus, accurata tum cognitio, tum deſignatio, requiritur. *Pondera & Menſurae.*

109. *Pondera*, hodie in officinis pharmaceuticis Belgii noſtri multisque per Europam aliis uſitata, ſunt

Libra.	*Uncia.*	*Drachma.*	*Scrupulus.*	*Granum.*
℔.	℥	ʒ	℈	gr.

Libra Medica eſt unciarum XII.
Uncia ——— drachmarum VIII.
Drachma ——— ſcrupulorum III.
Scrupulus vel Scriptulum ——— granorum XX.

Granum raro ultérius, niſi in duas partes aequales, dividitur, neque eo minus pondus in uſu eſt, quod nomen ſingulare habeat.

110. *Menſurae*, hodie in re medica uſu receptae, ſunt vel *Aridorum* vel *Liquidorum*.

Arida metimur

Faſciculo (Faſc.), qui, quantum brachio complicato capi poteſt, continet, & aequalis habetur manipulis XII, rarius tamen, nec fere niſi ad balnea ex herbis conficienda, uſitatus.

Manipulo (M.), cujus moles eſt, quam tota manu complecti poſſumus: dicitur autem pugillis IV. conſtare.

Pugillo (Pug.), qui continet, quantum pollice duobusque digitis primoribus unius manus adductis tolli poteſt.

Numero (N°.) denique pari vel impari.

Liquidis metiendis adhibentur, praeter menſuras cavas vulgares, inter mercatores uſitatas, *Congium*, *Pintam*, &c. etiam

Cyathus, qui fere uncias duas aut ſesqui capit.

Cochleare (Cochl.), quod pro ſemuncia habetur.

Gutta (gtt.), quae, minima liquidorum menſura, grano inter pondera ſubſtituitur; quamvis & pondere & volumine multum differat pro varia liquoris ſtillantis gravitate ſpecifica & conſiſtentia: ne dicam de diſcrepantia, quam modus ſtillandi, aut margo, unde gutta cadit, inducere poteſt.

III. Ut autem legitimus iſtorum (109. 110.) uſus intelligatur, notare expedit.

α. Ponderibus deſignari omnia, non arida ſolum & mollia, ſed etiam liquida, quorum quantitas accurate determinata requiritur.

β. Menſuras aridorum ad mole & vi diffuſiora, herbas, flores, ſemina &c. adhiberi. Numero praeprimis fructus, ſemina majora, bulbos quandoque, albumina & vitellos ovorum &c. praeſcribi. Pro diverſitate autem & metientis & materiae varium pondus eſt, quod continent, nec manipulus unciam dimidiam, nec pugillus drachmam integram aut dimidiam ſemper exacte pendet.

γ. Liquidorum menſuras rarioris uſus eſſe in formulis magiſtralibus, nec adeo niſi ad determinandas quantitates liquorum grandiores, aut ad doſes, quarum dimenſio aegris horumve miniſtris committitur. Pleraeque certe earum in variis locis capacitate diſcrepant; omnes pro diverſa liquidorum gravitate aliud atque aliud pondus continent. Certior hinc ponderum uſus eſt: aut ſi menſurae tamen placent, ſcire convenit, quantum pondus de variis liquoribus capiant. Guttis interim liquidorum quantitates, drachma minores, plerumque commode & tuto praeſtituuntur.

δ. Characteres & compendia, quorum in deſignandis ponderibus & menſuris uſus eſt, ſi quis amat, accuratiſſime ſaltem exprimere debet, ne culpa Medici errans pharmacopoeus aegro detrimentum infe-

 rat.

rat. Conſultius hinc videtur iis abſtinere. Vide (107. δ.)

ε. Numerus ponderum & menſurarum non barbaris (1. 2. 3. &c.), ſed romanis notis (I. II. III. &c.), quippe diſtinctioribus, ſcribitur.

ζ. Omnia pondera & menſurae, gutta excepta, biſecari ſolent, eorumque pars dimidia deſignari charactere (ſ vel β.).

η. Menſurae & pondera majora, integra vel dimidia, per proprias ſuas notas, nequaquam per menſuras & pondera minora, quibus conſtant, exponuntur. Scribimus dr. β, non ſcrup. I β: unc. β, non dr. IV. Minima tamen haec multi, nec male, negligunt.

θ. Aliquando ponderis aut menſurae determinatio pharmacopoei arbitrio relinquitur, ſcribiturque ſaltem, *quantum ſufficit* (q. ſ.) Ferri id poteſt, ſi ex cognito conſiſtentiae debitae gradu, aut alia quadam regula ſtabili, determinationem hanc juſte facere licet pharmacopoeo; at ſub conditionibus nimis vagis omnino vitari debet: prout in ſingularibus patebit.

ι. Veteres Graeci, Latini, Arabes, aliis uſi ſunt ponderibus & menſuris, quae cum & inter ſe, & a noſtris, diſcrepent, licet hodie exoleta, Medico tamen cognita ſint oportet, ſi ſcripta eorum, quae ad materiem medicam hujusque praeparationem & utendi modum attinent, recte intelligere voluerit.

Quo-

Quocirca merito dolemus, poſt tot tantosque doctorum hominum labores nondum adeo diſcuſſas eſſe, quibus haec res immerſa haeret, tenebras, ut plena luce refulgeat. Nimirum credibile eſt, iſti ignorantiae partim deberi, quod majores noſtri, quia veterum libros de medicamentis conſcriptos non intelligerent, eo tandem devenerint, ut, poſt habitis neglectisque, quae illi praeclare inventa longoque uſu probatiſſima poſteris commendarant, remediis, ad nova componenda animum converterent; maxime quum & materiae medicinalis, priſcis temporibus uſitatae, haud ſatis certam per omnia eſſe cognitionem experirentur. Quod quidem anteceſſorum noſtrorum exemplum in tantam paullatim licentiam degeneravit, ut nunc ineptiſſimus quisque & omni tum doctrina, tum experientia, deſtitutus, novis, a ſe temere conſarcinatis, quotidie, non ſine magno aegrorum nocumento, utatur, & compoſitionum recens excogitatarum nec modus ſit, nec finis. Verum haec obiter. Magis ad rem praeſentem facit, quod etiam hodie inter menſuras & pondera, in diverſis locis apud Medicos uſitata, non minor certe varietas & confuſio, quam olim, luxuriet: quaſi non plus ſatis conjecturarum in arte noſtra detur, ut etiam haec ambiguitas, quam tollere facillimum foret, accedere debeat. Nequid de menſuris aridorum (100, 111, β.) dicam, in quibus nihil exactum eſt, neque admodum deſideratur, liquidorum, menſurae ejusdem nominis quantopere variantes capacitate in diverſis diſpenſatoriis conſtituuntur! Pinta hic viginti circiter li-

quoris uncias continere dicitur; illic ſedecim; alibi duodecim; alibi vel bilibris habetur. Ponderum haud minor inconſtantia eſt. Libram aurifabrorum alii adoptant: alii civilem ſuae regionis aut urbis: alii ſingularem medicam, quae nec civilis ſit, nec aurifabrorum. Dividunt plerique libram ſuam in uncias duodecim: nonnulli tamen in ſedecim. Scriptulum, quod ut plurimum granorum viginti habetur, aliqui in viginti quatuor ſecant. Granum multis eſt, quod pondus ſeminis hordei modice craſſi, aut piperis albi, aequat: aliis numarium placet; etiamſi ceteris ponderibus horumque diviſione a numulariis recedant. Inde apud utrosque incertum eſt, quantum ſcriptuli partem granum conficiat. Ferenda quidem iſta diſcordia foret, ſi remedium non admitteret: at vero cum id invenire non difficillimum ſit, & multa ſuadeant, ut adhibeatur; quae tandem ratio eſt, cur inveteratus error diutius foveatur? Quid ni omnem prorſus ejicimus menſurarum ſemper fluctuantium uſum, ſolamque potius ad trutinam confugimus? Quid ni, aurifabrorum & numulariorum exemplo incitati, aut horum ponderibus, quae per univerſam Europam eadem habent, utimur, aut, ſi novitas arridet, alia quaedam, ſed exacta & ſtata, ponderum ratio excogitatur, ad quam ſe omnium locorum Medici ac pharmacopœi conforment?

Subscriptio.

112. Expoſitis, quae ad materiam formulae recte deſignandam ſpectant, ſequitur *Subſcriptio*, quae phar-

pharmacopœum docet, quamnam expetat Medicus formulae ſpeciem, quomodo haec paranda, &c, quantum ad pharmacopœum attinet, exhibenda aut applicanda ſit. Quae quidem omnia in ſingularibus formularum hiſtoriis deinceps accuratius tradentur. Quare hoc loco pauca duntaxat generatim praemittemus.

α. Si Formula uno ſaltem conſtat ingrediente, quod nulla egeat praeparatione extemporanea, ſubſcribitur *Fiat* (F.), additio formulae nomine, v. g. *Pulvis*, *Bolus* &c.

β. Si vero pluribus conſtat tantum permiſcendis, nec alio modo praeparandis, ponitur primó *Miſce* (M.) dein *Fiat* (F.), & tandem formulae nomen: ſic e. g. *M. F. Bolus.* Aliquando tamen, in Mixturis liquidis praeſertim, ſufficit ſimpliciter (M) adſcribere: aliquando & ſingulari monitione mixtionis aequâbilitas inculcanda.

λ. Si tamen, praeter mixtionem, alia inſuper deſideratur praeparatio, conſciſſio v. g. tuſio, digeſtio, coctio &c.; haec quoque deſignanda eſt vel ante vel poſt (M), prout mixtionem vel praecedere vel ſequi debet. Quandoque & mixtionis nulla ſit mentio.

δ. Diviſio dein medicamenti jam parati in ſuas doſes, ſi requiritur, ſubjungenda: ubi quandoque ſedulò monere pharmacopoeos expedit, ut doſes ſingulas exactiſſime faciant aequales; quia ſaepe, compendii ergo, ad oculum ſaltem, partitionem inſtituunt.

 ε. Re-

ε. Receptaculi etiam, cui indendum remedium, mentio nonnunquam fit; imo & obthuramenti, cum facile avolantia aut aëre liqueſcentia ingrediuntur. Patebunt haec in ſingularibus.

ζ. Inſtrumentum denique, cujus ope praeſcriptum applicari debet, aut pars corporis, cui adhiberi, aliquando commemorantur, ſi haec ad pharmacopœum attinent: uti poſtea in Emplaſtrorum, Linctuum, Enematum &c. hiſtoriis docebitur.

η. In omnibus his (α. ad ζ.) praeſtituendis brevis ſit Medicus, at clarus & diſtinctus, terminis utens technicis, licet barbaris; ne ipſius culpa committatur error, aut pharmacopœis creetur moleſtia.

S I G N A T U R A.

113, Denique de *Signatura* dicendum, quae, ut ut non ubivis, alicubi tamen uſitata, nec ſane prorſus contemnenda, quandoque etiam abſolute neceſſaria, exponit praeſcripti remedii formam, vim, doſin, utendi modum, tempus, vehiculum, regimen, &c., quousque haec aegro vel adſtantibus cognita requiruntur. Haec ut ordine fiant.

α. Infra Subſcriptionem (112. α. ad ζ.), a linea, ponitur lit S. id eſt *Signetur*.

β. Tum, ſi plura, ſimilis praecipuè conſiſtentiae aut formae, remedia pro eodem aegro expedienda ſimul ſunt, ſingula per literas majusculas A. B. C. &c. vel numeros 1. 2. 3. &c. in fronte vel margine cujuslibet formulae poſitos, a ſe mutuo diſcerni, hae-

haeque ipſae notae dein cujusvis etiam Signaturae poſt lit. S. adſcribi debent: e. g. (S. lit. A. vel No. 1) Id quod ſupervacuum eſt, ſi una ſaltem, aut plures facile a quovis diſtinguendae, formulae praeſtituuntur.

γ. Apponitur porro medicamenti titulus, ex forma & virtute ejus compoſitus: v. g. *Potio purgans* &c.

δ. Denique doſis, utendi modus, tempus, vehiculum, regimen, & ſi quae alia obſervari debent, commemorantur.

ε, Quum Signatura haec (α ad δ) normam praeſcribat aegro, juxta quam in remedii uſu procedendum eſt; hinc is vel reſciſſam ſibi ſervat, vel pharmacopoeus eandem, in ſingulari chartula accuratè deſcriptam, remediique receptaculo affixam, una cum hoc, aegro tradit.

ζ. Idiomate igitur vernaculo, & diſtincta brevitate, neque aegro incognitis ſcribendi compendiis aut characteribus, hic utendum.

η. In dando titulo evitanda praeprimis circulatoria oſtentatio, nec ſeſquipedalia aut hyperbolica adhibenda epitheta: *Aureus*, *Incomparabilis* &c. Riſum haec movent intelligentibus, ludibrioque exponunt Medicum; quamvis plebeculam capiant.

θ. Cavendum inſuper, ne reticenda efferantur in Signaturis eorum, quae ad morbos pudendos, v. g. Luem Veneream, vitia Menſtruorum, Sterilitatem, Impotentiam &c. aut & partibus obſcenis applicanda, praeſcribuntur. Ejusmodi vel nullis vel

minus

minus apertis titulis inſignienda; ut Emmenagoga vocentur Aperientia; Antivenerea Sanguinem depurantia; Aphrodiſiaca Roborantia &c. Quae vero ad applicandi modum pertinent, viva tunc potius voce, ſi fieri poteſt, aut ſchedula obſignata, injungenda.

ι. Doſis hic per ejusmodi deſignari debet quantitates, quae aegro vel adſtantibus cognitae, nec determinatu difficiles ſint, v. g. per Cochlearia, Cyathos, Digitabulum, Nucis magnitudinem, Guttas &c. Si vero exactiſſime ad pondus definita requiritur, pharmacopœi potius induſtriae diviſio eſt committenda; ut hic remedium in ſuas doſes jam diſtributum exhibeat, ni quid obſtiterit.

κ. Modum & tempus applicationis, cum pro morbi, remedii, & aliarum conditionum varietate, diſcrepent, in genere ſic dirigere expedit, ut ſcopo Medici quam maxime congrua, aegro, quantum pote, commodiſſima ſint. Scrupuloſae temporum determinationes, ex Aſtrologicis obſervationibus extortae, cordatiores hodie nec juvant, nec decent. Ludant his ſuperſtitioſos agyrtae, quibus lucri & famae bonus odor e re qualibet. Dum autem hoc loco abuſum temno, non mihi animus eſt omnem conſiderandi temporis curam ex medendi arte evellere. Sana etiam corpora non omnibus horis, diebus, aut quibusvis tempeſtatibus, aeque valent; tametſi inter res non naturales, quibus obnoxia ſunt, nullam quandoque invenias, cui id tribuere poſſis, praeter atmosphaerae viciſſitudinem. Quanto igitur

tur magis hoc in aegros cadere debet, quorum vires reſiſtendi morbus proſternit? Habent inſuper morbi ſua tempora acceſſionum, remiſſionum, quietis: ipſique naturae motus in valetudine tam ſecunda, quam adverſa, ſtati ac regulares ſunt. Quemadmodum autem omnes & ſingulas iſtas mutationes ex definitis ſuis cauſis profluere nemo facile negaverit; ita haud parum eo conferre ſiderum, ſolis praecipue ac lunae, varios circuitus ac phaſes, quibus atmoſphaera noſtra aliter atque aliter afficiatur, non contemnendae obſervationes evincunt (*a*). Quocirca manifeſtum eſt, nec medicamenta quovis tempore data aequalem usque vim exſerere, ſed horas dari, & dies, & anni tempeſtates, & quosdam aſtrorum adſpectus, quibus magis minusve valentia reddantur & eorumdem actio incitetur, aut prohibeatur. Inſunt itaque in temporibus agendi opportunitates, quas qui prudenter captare novit, nae is in praxi feliciſſimus eſt. Inanibus autem fabulis in re ſeria non ludendum.

λ. Vehiculo ſi opus eſt, remedii naturae & viribus eligatur accommodatum, remedio ipſo haud injucundius, hinc ex gratioribus aut ſaltem conſuetis, ſi fieri poteſt, depromptum. Cerevifia, Vinum, Juſcula, Infuſum Thee, Caffe, Nebula, Prunum maceratum, Julapia, & ſimilia, hic uſu veniunt.

μ. Regimen, ante, ſub, & poſt remedii applicationem obſervandum, determinare aliquando abſolute

(*a*) Vid. R. Mead. de imperio Solis & Lunae &c.

ſolute neceſſarium eſt: ſaepe enim auget, minuit, mutat, deſtruit actionem medicamenti. Indicationum vero doctrina hic in auxilium vocanda.

Ceterum quidquid ad Signaturam pertinet, ex ſpeciminibus ſingularium formularum deinceps clarius eluceſcet.

114. In univerſum denique tironibus inculcare juvat, ſcriptione potius, quam voce, exponenda eſſe, quae abs pharmacopoeo deſiderantur, ſi cujusdam momenti fuerint. Litera ſcripta commiſſi forte erroris culpam certius a Medico removere poteſt. Dein atramenti, quam plumbaginis, tutiorem eſſe in ſcribendo uſum. Tandem, uti Medicus nunquam, niſi ſerio intenta mente, praeſcribere remedium debet, ita nec praeſcriptum manu mittendum, niſi prius ſedulo reviſum; ut certus ſit clare expreſſa & bene diſtincta eſſe omnia. Ars praeparandi medicamenta, abuſu peſſimo, hodie tironibus fere aut amanuenſibus, ſaepe imperitis, ſaepe incuriis, commiſſa, periculi interim, uti fructus, pleniſſima, a Medico prudente, ſibique & aegris ſuis conſulente, iſtas omnino cautiones repoſcit. Tantum de formulis in genere.

DE FORMULIS

In Specie.

115. Doctrinae commodae diſtinctaeque ratio probat uſu receptam formularum in *Internas* & *Externas* diviſionem. *Internae* medicamenta praeſcribunt, quae ori ingeſta deglutiuntur. *Externae* vero talia, quae vel extrinſecus admoventur, vel variis corporis partibus alio quocunque modo immittuntur. Eam igitur ſequemur ut normam dicendorum, de *Internis* prius acturi.

DE FORMULIS MEDICAMENTORUM INTERNORUM.

De Pulvere Interno.

116. Pulvis Internus eſt medicamentum interni uſus, ſiccum, particulis minutis, non cohaerentibus, aequabiliter mixtis, conſtans.

117. Tenuitatis gradu trifariam is (116.) dividitur: ut ſit vel *ſubtiliſſimus*; qui etiam *Alcohol* & *Pollen* aut *Pollis* audit; vel *mediae ſubtilitatis*, qui ſimplici *Pulveris*, vel ſi compoſitus eſt, *ſpecierum* nomine venit; vel *rudior*, & craſſioribus particulis conſtans, qui barbare *groſſus* dicitur, aut *Tragea*, *Drageta*, potius *Tragema*, ſi aromata ſaccharo commixta habet.

118.

118. Natura materiae in Pulveris forma exhibendae, requiſita ejus major minorve penetrabilitas, citior vel tardior, aut hanc illamve in partem determinanda actio, mixtionis magis minusve neceſſaria aequabilitas, facilis vel difficilis aegri deglutitio, praeprimis indicant, quinam ſubtilitatis gradus (117.) conveniat. Hinc

Abſorbentia, duriora, injucunda, reſinoſa, exactiſſime in doſes dividenda, altius penetratura, citius actura, &c. ſaepe ſubtiliſſima requiruntur.

Placet tamen nonnullis Abſorbentia ruditer potius contrita dare; ne ſubtiliora cum glutine primarum viarum in lapidem dureſcant: qui quidem metus non inanis eſt, ſicubi acidum a viſcido haud certo diſcernere detur.

Aromatica, volatilia, ut longo ſub tritu, ſic dein & diutius adſervata, multum virtutis perdunt: itaque his medius tenuitatis gradus ſufficit; niſi cum metuitur, ne tenaciores fibrulae ſuperſtites taedium moveant: ſed has cribro ſecernere pharmacopoei eſt, cum fere virtute careant.

Sunt, quae ruditer pulverata alvum, ſubtilius verò urinas aut alios humores movent, &c.

119. Materiem Pulveri (116.) praebet, quidquid, interno uſui aptum, vel ex ſe, vel ſub aliorum mixtione, in formam ſiccam, pulverulentam, redigi poteſt: ut ideo nec liquida penitus hinc excludantur.

120. Unde huc recipiuntur (α.) Simplicia quaevis regni triplicis ſolida, ſicca, pulverulenta, vel friabilia, interne uſitata. (β.) Praeparata & compoſita officinalia ſimilia. (γ.) Quin ſpiſſa etiam (α & β.): ut Succi denſi, Extracta, Electaria, &c. (δ.) Imò & liquida, Balſama v. g. Olea, &c.

121. Delectus interim habendus, ne promiſcue quaevis congerantur. Quare nota

α. Specifice leviora, ſimulque haud exigua doſi efficacia, rarius ad Pulveres ſubtiliores (117.) adhibentur: frequentiſſimè interim ad rudes, ſeu Trageas. Ejusmodi ſunt Herbae, Folia, Flores, &c. Neque tamen ideo illa quoque, quae parva mole agunt, licet ſpecificè leviora ſint, excluduntur: quo praeſertim Aromata pertinent.

β. Si vero transgredi regulam (α.) jubet neceſſitas, curandum, ut intermixtis aliis, minore mole efficacibus, priorum inertiae ſuccurratur; ne doſis efficax modum excedat.

γ. Liquidis (120. δ.) ſi uteris, memento quantitatem ſufficientem ſiccorum interponere. De ſpiſſis & lentis (120. γ.) idem obtinet.

δ. Gummata hinc ſola vix in pulvere danda: ſunt enim & difficulter plerumque friabilia, & ſub asſumtione per ſalivam aut vehiculum diſſoluta facile lenteſcunt, & aliquamdiu loco non frigido ſervata coëunt.

ε. Mucilagine etiam plena aut oleo, uti ſunt multa ſemina, nonniſi cum aliis aridioribus ſubacta ex-

E hi-

hibeantur: lentor enim tritu evolutus in paſtam cogitur, & mora ſaepe tanto citius rancorem inducit.

ζ. Foetida, ſi potes, apage! Commodius haec Pilulari forma ingeruntur.

η. Acriora, amariſſima, aliove ſapore moleſta, ſi danda, ſaltem ne meraca des, ſed lenioribus fracta. Cavebis ſic faucium roſionem, nauſeam, vomitum, aliquando ſubſequentes.

ϑ. Reſinas ideo, praeprimis acriores, ſaccharo, abſorbentibus terreis, ſalibus appropriatis, quin & olei idonei tantillo, ſubigere expedit; ut ſolubiliores redditae in actum deducantur, nec partibus moleſte adhaereſcant.

ι. Praeparata mercurialia generoſiora ſatius eſt Pilularum vel Boli, quam Pulveris, ſpecie exhibere. Meraca ſaltem ſic dare minus tutum: repugnat etiam doſis ſaepe parvitas. Addenda autem caute ſeligito (86. 102. η. ν.)

κ. Alcalina fixa, quo minus ſola dentur, diſſuadet urinoſa acrimonia & facile deliquium.

λ. Alcalina volatilia, ut odore & ſapore offendunt, ita cito in auras diſſipantur minus exacte conſervata.

μ. Acida & alcalina aut abſorbentia, quum una commixta, ſi liquor diluens accedit, efferveſcant, multis nauſeoſa ſunt. Eſt tamen, ubi Medicus, id non curans, Cremorem Tartari Lapillis Cancrorum mixtum forma pulveris ex vehiculo liquido recte propinat.

ν. Sa-

ν. Sapores ingratos ſaccharo, aut &, in Trageis praecipue (117.), confectionibus ſaccharatis, ſolidis, & ſimilibus, corrigere licet: odores injucundos oleis fragrantibus, quandoque Moſchi Ambarique tantillo: utrique ſimul ſcopo adhibentur elaeoſacchara. Coloris gratiam conciliant cinnabaris, ſantalum rubrum, auri foliola, &c. intermiſta. Memor tamen cautelarum (85. 99. 100. 101.) his utere.

ξ. Simplicitatis ſtudioſus ne congeras ultra 2, 3, ſummum 4, ingredientia, ſi minorem Pulveris quantitatem praeſcripturus es. In Trageis (117.) aliisque mole majoribus, auctior paullo numerus ferri poteſt.

122. Ordo in praeſtituendis ingredientibus concinnior eſt, ſi Baſi praemiſſae (75.) Adjuvans (78.), tum Corrigens (83.), denique Conſtituens (86), ſubjungitur juxta (106. δ.). Alias & quantitas ſeriem digerit (106. γ.). Utrobique ſaltem ſpeciei ſimilitudo ſimul obſervanda (106. β.). Saccharum, ſi accedit, praecipuè pondere ex reliquorum quantitate determinando, ſemper ordinem claudit (106. ε.).

123. Dosis (64.) Pulverum uſitata & commoda eſt a ſcrupulo ad drachmam dimidiam. Augetur tamen quandoque & ad drachmam usque integram; ſed rarius, nec niſi aegris minus nauſeantibus, aut materie ex ſe ponderoſiore, vel admodum ſolubili. Ultra vix adſcenditur: uti nec infra ſcrupulum fit imminutio, ni ingredientia fuerint ſpecificè leviora,

aut aetas minor, aliave quaedam ratio id ſuaſerit. Trageas interim (117.) utpote plerumque & diffuſiores, & gratiores, vel ultra drach. j. facile exhibueris: quin ſaepe dantur pondere non determinato, ad cochlearium, cultri apicem, &c. Ubique hic

α. Moles nimia, quousque fieri poteſt, vitanda, maxime cum injucunda fuerit materies, aut aeger faſtidiens, delicatior, vomituriens, deglutitione haud expedita laborans, &c.

β. Habenda ratio, uti omnium conditionum (66.), ita maxime aetatis tenerioris (ibid. γ.); ne doſi hanc grandiore torqueas.

γ. Convenit hinc ſaepe numerum potius, quam molem, doſium augere, juxta (67. δ. ε.); ut uſu frequentiore, minus moleſto, compenſetur parvitas.

δ. Sunt tamen, quae, vehiculo commodo facile ſolubilia, ideo ad plures drachmas pro doſi exhibita, haud difficulter ingeruntur. Salia hujus ſunt claſſis. Ebshamenſe, Mirabile, Cremor Tartari, &c. dantur vel ad unciam & ultra.

124. Quantitas Generalis (64.) in variis varia eſt. Trageae (117.) ab unc. ß, ad j. ij, imo plures, praeſtituuntur. Evacuantium ſaepiſſime una ſaltem doſis ſimul praeſcribitur; niſi cum animus fuerit continuo quodam tempore, aut per breviora intervalla, eidem operi inſtare. Alterantia, ut quandoque ad unam duasve ſaltem doſes, ita frequenter ad drach. ij, unc. j, ij, praeſcribi ſimul ſolent. Nota tamen

α. Con

α. Conſtantes hic limites in genere vix dari poſſe; determinari autem facile in caſu ſingulari ex perſpectis aegri conditionibus, ingredientium natura, Medici indicatione, &c. Confer. (67. α. ad μ. 68. 92. δ.)

β. Maxime quidem in hac formula curandum eſſe, ut quantitas generalis per pondus doſis, ſine reſiduo, deviſibilis ſit, ſi diſcretio in doſes certi ponderis a pharmacopoeo perficienda exigitur (68. γ.)

γ. Quandoque, ubi a minus accurata generoſiorum mixtione & diviſione periculum timendum, conſultius eſſe, ut ſingulas doſes ſeorſim adaptare jubeatur pharmacopoeus: quem modum poſtea in Subſcriptione trademus.

125. Proportio ingredientium mutua, ſi plura miſcentur, determinatur ex doſi efficace ſingulorum (66.), ex doſi pulveris ſtabilita (123.), & denique ex quantitate generali, quam Medicus praeſcribere in animo habet (124.) Ergo

α. De ſingulis tantum cape, ut quantitates omnium computatae conſtituant remedium intento ſcopo par, cujus doſis & quantitas generalis nec major nec minor ſit, quam requiritur.

β. Si ingredientium doſis efficax excedit juſtam Pulveris doſin (123.), vel utere regula (ibid. γ.) data, vel additis, quae minore mole agunt, vim illorum auge (80.): quod in ſpecifice levioribus notandum (121. α. β.).

 γ. Si

γ. Si contra doſis efficacis volumen longe minus eſt commoda doſi Pulveris (123.), idoneo conſtituente (86. 91.) intermixto apta moles procurari poteſt: quod in emeticis, opiatis, metallicis &c. ſaepe etiam ideo requiritur, ut ne in via deglutitionis pluſculum adhaereſcat.

δ. Dum liquida adhibes, regulam (121. γ.) obſervato.

ε. Sacchari quantitas, maxime in diffuſioribus Trageis (117.), ſaepe reliquorum ponderi aequalis, hujusve dupla, imo tripla, praeſtituitur.

ζ. Ubique tamen, mutationibus virium aliarumque qualitatum, ex miſcela oriundis (94. ad 102.), intentus cave, ne ſcopo excidas, aut profuturus laedas.

126. Subscriptio (112.) exponit Pulveris praeparationem, diviſionem, & receptaculum.

127. *Praeparatio* tritu abſolvitur, &, ſi plura ingrediuntur, mixtione. Injungitur autem hiſce verbis: *F.* vel *M. F. Pulvis* (112. α. β.): additur *rudis* vel *groſſus*, aut una voce, *Tragea*, ſi talis expetitur: ſi tenuiſſimus, hoc quoque, aut, loco pulveris, *Alcohol* adſcribitur (117.). Quandoque inſuper monetur, mixtionem & tritum diu, citò, aequabiliter, mortario tecto, vitreo aut lapideo, non metallico, eſſe perficiendum, ſi ita poſtulat natura materiei (118.), nec de pharmacopoei peritia ſat certo conſtat.

128.

128. *Diviſio* Pulveris in ſuas doſes ſi a pharmacopoeo exigitur, ſubjungendum prioribus (127.): *Divide in* tot *partes aequales.* Nec omittenda quandoque in draſticis ſolicita monitio, ut partitio fiat exactiſſima: quin cautiores tum ſaltem unicam praeſcribunt doſin, hancque toties, quot doſes expetunt, ſingulatim confici jubent, adſcribendo: *Fiat idem bis, ter,* aut *in duplo, triplo,* &c. (124. γ.). Nullo horum opus eſt, ubi doſis pondere haud determinatur (123.), aut aegro vel adſtantibus dimetienda committitur.

129. *Receptaculo* alia alio egent: ejus hinc, maxime ſi curatiore opus, facienda mentio. Volatilia, aëre liqueſcentia, vitris conduntur. Pulveres in ſuas doſes diviſi chartulis induntur: alii capſis, vel ut vocant, ſcatulis. Adſcribitur ergo: *D. in vitro, chartis, ſcatula.* Subjungitur, ſi nebula pro vehiculo erit: *cum nebula* vel *nebulis.*

130. Signatura titulum ponit Pulveris, tum doſin, vehiculum, tempus ingerendi, regimen, &c. juxta ea, quae dicta ſunt (113.). Ergo

131. *Titulus* ſit: v. g. *Pulvis*, vel *Pulveres*, vel *Tragea:* addita dein virtute: v. g. *Abſorbens*, *Pectoralis*, &c. obſervatis ſimul cautelis (113. ζ. η. ϑ.).

132. *Doſis* vel committitur aegro dimetienda pondere, menſurave minus exacta (113. ι.), ſcribendo v. g. *Sumatur drachm.* j, vel ß, vel *quantum digitabulo, cultri apice, cochleari*, &c. *capi poteſt.* Si vero

ro a pharmacopoeo jam diviſi exhibentur Pulveres (128.), ſufficit ſcribere v. g. *Capiatur una doſis.* &c.

133. *Vehiculo* utimur vario.

α. Trageis quandoque nullo opus eſt, utpote ex ſe ſat gratis (117. 125. ε.): ſaepe tamen Panis medicatus, ſaccharatus, biscoctus, toſtus vulgaris, Vino generoſo, Rhenano, Hiſpanico, Rubro Gallico, Hydromelle, &c. imbutus, cui juſta dein Trageae quantitas inſpergitur, hic uſu venit.

β. Pulveribus aliis nebula ſaepe pro vehiculo eſt; quippe qua madefacta involutus Pulvis, vix affecto guſtus organo, per fauces labitur. Monetur tum in ſubſcriptione pharmacopoeus, ut totidem nebulas, quot ſunt doſes, ſimul exhibeat (129.); in ſignatura autem illarum uſus exponitur.

γ. Liquidi tamen vehiculi crebrior eſt uſus, quod dotibus (113. λ.) memoratis praeditum requiritur. Unde

Ad Pulveres alcalinos, aut ex abſorbentibus acidi conflatos, haud adhibe vehiculum acidum; ne concitata efferveſcentia nauſeam parias, aut virtutem deſtruas (102. α. β.). Eſt tamen, ubi ex compoſito talia conjunguntur: uti in Antemetico Riveveriano. Vide ſpecimina hujus formulae.

A nimis pingui etiam abſtinendum: plerisque enim uti ingratum eſt, ita & vires ſaepe remedii obtundit: quod circa carnium juſcula notandum.

Cali-

Calidum, tepidum, frigidum, an adhibendum ſit vehiculum, quandoque monere expedit. Pinguiuſcula actu frigida plurimis nauſeoſa. Tepida vomituros juvant. Calida gummoſos pulveres in grumos cogunt, volatiles diſſipant, ingratiores magis evolvunt, flatus cient & ſpasmos Hyſtericis. Ipſa etiam liquidi natura, receptus utendi modus, & aegri conſuetudo, quandoque limites hic figunt.

134. *Tempora* demum, & *Regimen*, circa uſum obſervanda adſcribuntur varia, pro indicationum varietate (113. κ. μ.): quibus exponendis hic locus non eſt (7. α.)

135. Usus Pulveris pene univerſalis eſt, & evacuandi & alterandi ſcopo accommodatus. Videndum modo, an morbi indoles, ſedes, ſymptomata, aegri temperies, conſuetudo, ipſiusque auxilii indicati natura, iſthuic formulae non repugnent (38. 47. ad 52. 119. 120. 121.). Difficultas aut impotentia deglutiendi in Angina, Ulceribus faucium, Apoplexia, Epilepſia, Syncope, &c. Pulveris uſum vetant.

136. Specimina haec ſunto.

*

Pulvis Emeticus pro Adulto nimia cibi copia repleto.

℞. *Rad. Ipecacuanh.* ſcr. ij.
Tart. Vitriol. gr. v.
M. F. Pulvis.

S. Pulvis Emeticus ex cerevisia calida ſumendus pro doſi.

 Alius

*

Alius ejuſdem virtutis, fortior.

℞. *Tart. Emetic.* gr. v. vel vj.

Reſin. Jalapp. gr. iij.

Sacch. albiſſ. ſcrup. j.

M. F. Pulvis.

S. Ut ſupra.

*

Pulvis ad Vomitum ſedandum, quem *Antemeticum Riverii* vocant.

℞. *Sal. Abſinth.* ſcr. j. ij. vel dr. j.

D. in chartula.

S. *Pulvis Antemeticus ex ſucci Limonii cochleari in ipſo effervefcentiae impetu capiendus.*

*

Purgans pro Adulto.

℞. *Reſin. Jalapp.* gr. x.

Elaeoſacch. Foenicul. gr. xx.

M. terendo diu, F. Pulvis.

S. *Pulvis Purgans, pro doſi, mane ex infuſo Caffe ſumendus.*

*

Alius in Cancro nondum exulcerato.

Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 117.

℞. *Reſin. Jalapp.* gr. vj.

Diagrydii gr. vij.

Stibii Diaphoret. non ablut. gr. xxiv.

M. F. Pulvis.

S. Ut prior.

Alius

*

Alius in Scorbuti initio. Ibid. p. 197.

℞. *Tart. Vitriol. non acid.*
Cryſtall. Tartar.
Sal. Polychreſt. ana drach. ß.
M. F. Pulvis.

S. *Pulvis Purgans mane ex ſero lact. hauriendus: ſuperbibantur dein ſeri lact. unc.* xij.

*

Alius Antihelminticus pro Infante. Vid. Eund. p. 253.

℞. *Aloës* gr. iij.
Reſin. Jalapp. gr. j.
Vitriol. Mart. gr. ij.
M. F. Pulvis.

S. *Mane, jejuno ſtomacho, pro una doſi ſumatur.*

*

Pulvis Reſolvens, Antipyreticus, in Peripneumonia. Ibid. p. 165.

℞. *Flor. Sulphuris* drach. ij.
Olibani.
Spermat. Ceti aa dr. ß.
Stibii Diaphoret. non ablut. drach. j.
M. F. Pulvis, dividendus in xij. doſes.

S. *Sumat unam omni hora cum unc.* j. *Mixturae ibid. p.* 147. *praeſcriptae.*

*

Pulvis Stimulans & Reſolvens. Ibid. p. 43.

℞. *Sacch. alb. ſiccisſ.* unc. j.

Ol.

Ol. Still. Menth.
Majoran.
Tanacet. ana gutt. vi.
F. ſ. a. Elaeoſaccharum, cui admiſce
Rad. Zingib. alb.
Cort. Magellanic. ana unc. ß.
S. ut in fronte. *Capiat drach. ß. ter de die ex Vino.*

*

Pulvis Excitans, Cardiacus.
℞. *Ol. ſtillat. cort. Cinnamom.* gtt. xx.
Caryophyll. ar. gtt. ij.
Sacchar. albiſſim. unc. j.
Accurate ſubactis admiſce
Cinnabar. nat. puriſſ. dr. iij.
Fol. auri no. j.
D. in vitro probe clauſo.
S. ut ſupra. *Sumat in virium deliquio, quantum cultri apice attolli poteſt.*

*

Tragea Peptica, ventriculo debili, frigido, apta.
℞. *Specier. Diagalang.* unc. ß.
Rad. Gentianae.
Cort. Winteranor.
Myrrh. rubrae ana drach. *j.*
Confect. ſem. Coriandr.
rad. Calam. arom. ana drach. iij.
Sacch. albiſſ. unc. j.
M. F. Pulvis, dandus in ſcatula.

S. *Tra-*

S. *Tragea Stomachica, de qua cochleare dimidium pani biſcocto, vino Hiſpanico imbuto, inſperſum capiat poſt paſtum.*

*

Tragea Menſes promovens ex ſanguinis lentore ſuppreſſos.

℞. *Limatur. mart. rec. ſubtiliſſ.* unc. ij.
Semin. IV. *calid. maj.*
min.
Cort. Cinnamom. aâ dr. ij.
Caryophyll. arom. ſcr. ij.
Borac. pur. dr. ij.
Sacchar. albiſſ. ad pond. omn.
M. F. Pulvis in ſcatula exhibendus.

S. *Tragea Aperiens, de qua cochleare dimidium, quater de die, deglutiat, hauſtulumque vini Rhenani ſuperbibat.*

*

Pulvis Narcoticus in Peripneumonia.
Vide H. Boerh. Mat. Med. p. 162.

℞. *Opii lamellatim tenuiter ſciſſi & lente exſiccati.* gr. j.
Corall. rubr. gr. xij.
Olibani. gr. vj.
M. F. Pulvis tenuis, quavis veſpera iterandus.

S. *Pulvis Pacans, veſperi ante ſomnum ſumendus.*

Pul

*

Pulvis Acidum temperans.

℞. *Lap. Cancror. ppt.*
Oſteocoll.
Cretae albae.
Conch. Oſtreor. calcin.
Corall. rubr. ppt. ana drach. ij.
Rad. Zedoar.
Nuc. Myriſtic. ana drach. iß.
M. F. Pulvis tenuiſſimus, detur in ſcatula.

S. *Pulvis Temperans. Sumatur, quantum apice cultri capi poteſt, acido infeſtante.*

*

Pulveres Febrifugi.

℞. *Cort. Peruvian. opt. ſubtiliſſ. trit.* unc. j.
Sal. Polychreſt. dr. ij.
Ol. ſtill. cort. Citr. gutt. viij.
M. F. Pulveres no. xvj.

S. ut in fronte. *Capiat unum quovis bihorio, tempore ἀπυρεξίας, ex tantillo vini.*

*

Pulveres Sialogogi Mercuriales.

℞. *Mercur. praecipit. alb.* ſcr. ij.
Matr. perlar. ppt.
Sacchar. albiſſ. ana dr. ij.
M. F. Pulveres no. xx.

S. *Detur doſis hora ſexta matutina, nona, duodecima, tum veſpertina ſexta & nona, ex cyatho decocti convenientis.*

Pul-

*

Pulvis adverſus Rabiem Caninam ſpecificus.
Vid. Philoſoph. Transact. n. 474.
℞. *Moſch. opt.* gr. xvj.
Cinnabar. nativ.
factit. ana gr. xxiv.
M. terantur in pollinem impalpabilem.
S. *Capiat ex cyatho liquoris* Arrak, *dicti, aut ſpiritus vini vulgaris.*

Nota: *Cinnabari nonnulli Cochinellam ſubſtituunt, quam tamen a Sinenſibus unquam ad uſus Medicos adhiberi non conſtat. Poſſet forte & ipſa Cinnabaris omitti virtute remedii illibata: poſſet factitiae ſubſtitui Antimonialis. Sed aliud ſuadet canon* (34.), *dum experientia docuerit, haec recte fieri.*

De

Bolo.

137. BOLUS eſt medicamentum internum, molle, cohaerens, melle paullò ſpiſſius, buccellae quantitate definitum: unde & *Buccella* quibusdam audit.

138. MATERIEM ei (137.) praebet, quidquid interno uſui aptum, vel ex ſe, vel permixtione aliorum, conſiſtentiae dictae capax eſt. Quare huc recipi poſſunt

α. Sicca omnia, minore doſi efficacia, Pulveri conſtituendo idonea (120. 121.) Vocantur haec *Excipienda*, & ſola inepta ſunt.

β. Mol-

β. Mollia, magis minusve ſpiſſa: Conſervae, Electaria, Extracta, Rob, Pulpae, Confectiones molles, Balſama denſiora, nativa, arte facta, Unguenta potabilia, Syrupi, &c. *Excipientia* haec audiunt; quia prioribus (α.) miſta Boli formam (137.) conſtituunt: quin & eorum aliqua hanc ipſam ex ſe habent.

λ. Liquida contractiora: uti Balſama liquida, nativa, artefacta, Olea, Spiritus, Tincturae, Eſſentiae, Elixir, &c. Haec itidem ex ſe inepta vel *excipiuntur* aliis, vel haec *excipiunt* tanquam acceſſoria.

139. Delectum materiae (138.) limitant ſequentia.

α. Laudatur in Bolo maximè cohaeſio non diffluens, mollities, & mixtura aequabilis.

β. Hinc ſicca (138. α.), aut liquida (γ.), ſola non conveniunt: ſed molle quid (β.), glutinantis loco, intercedat oportet.

γ. Mollium etiam (138. β.) pleraque ſicci acceſſu ſpiſſanda ſunt, ut Bolum forment. Nonnulla tamen ex ſe ſola ſufficiunt: uti Conſervae, Electaria & Rob ſpiſſiora &c. Igitur in Bolo ſimplice (62.) talibus opus.

δ. Ingredientia omnia ejusmodi ſint, ut inter ſe miſceri queant in compoſitum aequabile.

ε. Acria, odore vel ſapore moleſta, viſcida, hic potius, quam in Pulvere (121.), locum habent; cum

cum magis tegi queant. Unde & Mercurialibus draſticis forma haec commodior.

ζ. Pinguia, Balſama v. g. Unguenta potabilia, ſaccharo, aliisve ſiccis intertritis dividere expedit, ut facilius ingeri ſolvique in ventriculo poſſint.

η. Sales alcalini fixi & volatiles, aliive cito liqueſcentes, in Bolos aliquamdiu conſervandos haud recipiantur: deliquio enim juſta conſiſtentia, exhalatione virtus, perit.

ϑ. Ideo nec inter ſe efferveſcentia, aut facile fermentantia, huc quadrant, niſi cum ingeſtio praeparationem ſtatim ſequitur.

ι. Ingredientium numerus vix unquam ultra 3 vel 4. augeatur.

140. Ordo, in praeſcribendis ingredientibus hic uſitatior, excipiens (138. β.) determinatae quantitatis primo ponere loco jubet; dein excipienda ſicca (ibid. α.); poſt liquida (ibid. γ.); tandem ſi quod accedit, excipiens, cujus quantitas pharmacopoeo relinquitur determinanda.

141. Dosis (64.) Boli a drach. j. ad i ß. vel ij. usque extenditur, haud temerè ulterius augenda, niſi cum ſpecificè ponderoſiora recipiuntur, aegerve in aſſumendo haud difficilis eſt. Imo vix drachmâ major ſit, ſi ex levioribus conflatur. Unde, ubi ingredientium doſis efficax hos limites excedit, ſatius eſt, maſſam in plures Bolos diſpeſcere, quam

offa grandiore praefocare aegrum. Compendium, uti Pulverem (113. α.), ſic & vel magis etiam Bolum commendat. Nimiâ hinc parvitate hic vix peccatur; licet ne ſcrupulum quidem ſuperet Buccella.

142. Quantitas Generalis (64.) ſaepisſimè unam ſaltem, aut duas, rarò plures, quam tres vel quatuor, doſes (141.) complectitur, niſi cum perbrevibus intervallis capi debent. Quum enim a pharmacopoeo jam partitae exhibeantur; facile vel nimis ſiccefcunt, vel deliquefcunt, aſſervatae diutius. Qui ergo numerum doſium molemque (141.) inter ſe multiplicat, quantum ſimul praeſcribendum ſit, novit.

153. Proportio mutua ingredientium ex varia horum conſiſtentia & efficacia determinatur. Confer (87. 125.). Unde haud eadem obtinet in omnibus.

α. Si Mollia (138. β. 139. γ.), ex ſe formando Bolo apta, ſola recipiuntur, proportio invenitur ex ſingulorum doſi efficace (66.), doſique Boli (141.), cognitis. Conſiſtentia enim tum nihil limitat.

β. Ubi Sicca (138. α.) excipi debent; horum pro doſi drach. ß, ſcrup. ij. ſummum drach. j. capienda. Excipientium verò (138. β.) varia tum requiritur proportio, prout magis minusve ſpiſſa fuerint, aut ſiccorum volumen varium & natura magis minusve bibula.

Con-

Conſervae, hunc in finem uſitatiſſimae, Electaria, Mel, Balſama ſpiſſa, & Unguenta, a ſcrup. ij. ad drach. j. iß. ſumuntur.

Rob, Pulpae, Confectiones molles, a drach. ß. ad j. ſcrup. iv.

Syrupi, utpote liquidiores, a ſcrup. j. ad drach. ß. vel j.

Scilicet, poſita ſiccorum mole & natura eadem, tanto exigitur ad ea ſubigenda minor excipientium quantitas, quo haec ſunt liquidiora.

γ. Hinc patet, ubi ſiccorum moles minor eſt, excipientia ſpiſſiora adhiberi commodius; ubi vero major, dilutiora; ne Boli doſis (141.) ultra modum augeatur.

δ. Quodſi prioribus (β.) etiam accedant liquida (138. γ.), horum vix ultra gutt. j, ij, iij, ſummum iv, pro ſingulis Bolis recipitur. Tum vero minuenda pro rata excipientium mollium proportio.

ε. Alias & ſiccis liquidisque quantitate determinata (β. δ.) ſaltem praeſtitutis, excipientium mollium quantitas arbitrio pharmacopoei relinquitur, ſcribendo: q. ſ. (111. ϑ.). Quae tamen methodus adhiberi nequit, ſi horum doſis efficax limitatior eſt.

ζ. Frequentiſſimè autem, ſi ſiccorum moles paullò major eſt, aut excipiens primarium deſideratur ſpiſſius parciusque; ut ideo dubium ſit, an ſat mollicula inde Boli conſiſtentia emergere queat; alius

 ſecun-

ſecundarii, liquidioris, v. g. Syrupi, q. ſ. ſuperadditur.

η. Contra, ubi nimia Boli praevidetur mollities (139. α.), Sacchari, pulveris Glycyrrhizae, & ſimilium appropriatorum q. ſ. adjungi ſolet: quod quidem maximè in Terebinthinaceis ſinceris, &c. obtinet.

144. Subscriptio ita habet: *M. F. Bolus* vel *Boli No. ij. iij*, &c. Quod ad *Diviſionem*, eadem nonnunquam hic cautela adhibetur, qualis circa Pulveres (128.), inde repetenda. Aliquando, ornatus aut commodae ingeſtionis gratia, injungitur ſimul: *Auri folio*, aut *nebula obvolvatur;* aut *exhibeatur cum nebula.* Confer. (129.). *Receptaculum* plerumque eſt vaſculum fictile porcellanum, aut charta: cujus tamen commemoratione vix opus.

145. Signatura ex dictis (130. ad 135.) facile intelligitur. Nebulam alii pro *Vehiculo* amant; alii liquidum, quo Bolum prius diſſolvant. Juvat & liquorem idoneum dare ſuperbibendum, ſi Boli tardior aut difficilior in ventriculo metuitur diſſolutio: quod circa Terebinthinacea & ſimilia maxime notandum.

146. Usus eſt, qualis Pulverum (135.); minus tamen frequens: haud enim adeo expedite ſemper agunt Boli, ac quandoque requiritur (145.); neque etiam palatis delicatioribus ſemper arrident. Gra-

Gratiſicamur hac forma iis, qui varietate, aut Bolo magis, quam Pulvere, delectantur.

147. Specimina haec ſunto.

*

Bolus Emeticus pro adulto.

℞. *Vitrioli alb.* gr. xxv.
Rob. Juniper. q. ſ.
M. F. Bolus. Detur cum nebula.

S. *Bolus Emeticus, ex pauxillo infuſi Chamaemeli vel Theae viridis hauriendus: poſt quamlibet vomitionem ſuperbibantur cyathi aliquot infuſi ejusdem tepedi.*

*

Bolus Purgans in Anxietate Febrili.
Vid. Boerh. Mat. Med. p. 136.

℞. *Electar. Diaprun. Sylv.* drach. iß.
Fol. Senn. pulv. ſcrup. *j.*
M. F. Bolus.

S. *Bolus Purgans, quo deglutito juſculum Paſſularum capiendum.*

*

Boli Purgantes.

℞. *Conſerv. Roſ. pallid.* dr. ij.
Rhei elect. pulver. ſcrup. ij.
Reſin. Jalapp. gr. ix.
Syr. Chichor. c. rh. q. ſ.
M. F. Boli no. iii.

S. Ut ſupra. *Capiat quovis bihorio unum, donec alvus ſolvatur.*

*

Bolus Antihyſtericus.

℞. *Mithridat. Damocr.* drach. j.
Troch. de Myrrh. ſcrup. ß.
Ol. Stillat. Succin. gutt. ij.
M. F. Bolus, Auri folio obducendus.

S. *Bolus Pacans cum Aquae Pulegii cyatho ſumendus.*

*

Boli Febrifugi, iidemque & Gangraenae oppoſiti.

℞. *Cort. Peruvian. opt.* unc. j.
Caſcarill. dr. ij.
Syr. e Roſ. ſicc. q. ſ.
M. F. Boli no. VIII.

S. Ut ſupra. *Capiat aeger tempore ἀπυρεξίας tertia vel quarta quaque hora unum ex hauſtulo vini.*

*

Boli Balſamici.

Vide Harris de Morb. Infant. Lib. II. Obſ. II.

℞. *Terebinth. e Chio* drach. ij.
Pulv. Glycyrrhiz. q. ſ.
M. F. Boli no. ij.

S. *Boli Nervini, quorum alter mane, alter veſperi, ex vitello ovi recentis ſumatur, ſuperbibendo ſingulis Aquae Lact. Alexiter.* unc. ij.

*

Boli Sialogogi.

Vid. Boerh. Mat. Med. p. 271.

℞. *Conſerv. Roſar. rubr.* drach. ß.

Mer-

Mercurii dulc. trit. gr. ix.

M. F. Bolus: cui ſimiles duo alii, ſeorſim confecti, exhibeantur cum totidem nebulis.

S. *Boli Aperientes, quorum unum ſingulis quadrihoriis capiat aeger, corpore prius Ptiſana appropriata bene impleto.*

*

Boli Adſtringentes.

℞. *Rob. Cornor.* drach. iij.

Extract. Tormentill. drach. j.

Boli *Armen. laevig.* ſcrup. ij.

Lap. Haemat. ppt. drach. ß.

Syr. Myrtin. q. ſ.

M. F. Boli no. IV.

S. *Boli Adſtringentes. Capiat omni trihorio unum ex tantillo Vini rubri, auſteriuſculi.*

De Electario.

148. Electarium, *Electuarium*, rarius *Miſtura*, frequentius ab ingredientibus Conditis *Conditum*, ab Opio *Opiata*, dictum, eſt medicamentum internum, Bolo (137.) ſimile, plerumque tamen paulo mollius, & pluribus unâ doſibus, a pharmacopoeo non dividendis, praeſcriptum.

149. Materiem agnoſcit eandem, quam Bolus (138.). Accedunt ſaltem Conditurae; utpote quae frequentius ad Electaria recipiuntur.

150. Delectus quoque idem fere, qui (139.), haec tamen peculiaria ſibi vendicat.

α. Odore, ſapore, colore, injucunda magis hic vitanda, ob uſum crebriorem, majoremque utplurimum mollitiem.

β. Deliqueſcentia, exhalantia, putreſcentia, efferveſcentia, facile fermentantia, aut aceſcentia, tanto minus conveniunt, quo & mollities hic major & aſſervatio longior requiritur.

γ. Ob easdem rationes commixtio etiam exigitur accuratiſſima, tritu pulverum exactiore, ſubactione pinguium, reſinoſorum, balſamicorum, per vitellum ovi, &c. perficienda; ne mora ſecedant.

δ. Quandoque tamen, ubi Electarium ſpiſſius conficitur, non opus eſt, niſi tritura diligente, ad Balſama aut Unguenta potabilia cum ceteris concorporanda; quum ſpiſſitudo ſeceſſum praepediat.

ε. Quod ſi ſpecificè graviora recipiuntur, paullo ſpiſſior etiam conſiſtentia ex uſu eſt.

ζ. Draſtica quoque, maximè Metallica & Mercurialia, ideo abſint; ne vel miſtione minus aequabili, vel ſeceſſu per moram, vel minus curioſa doſium partitione, quae hic plerumque aegris vel adſtantibus committitur, periculum inferatur.

η. Numerus ingredientium paullò quidem major quam in Bolo (139. ι.), ferri poteſt: ne tamen nimius ſit (31.).

ϑ. Auri argentive folia, ornatus ergo, quandoque inter-

intermiſcentur; quibus, qui volet, utatur, memor interim regulae (85. ε.).

151. Ordo, vix alius, quam in Bolo (140.), mollia pondere determinata primo ponit loco, tum ſicca, liquida dein, tandemque ea, quorum modo quantitas ſufficiens praeſcribitur. Sponte hinc patet, mollium ſi nullum pondere determinato accedat, ſiccis primum deberi locum.

152. Dosis, haud temerè Bolo major (141.) conſtituenda, rarius pondere definitur, ut plurimum mole, v. g. ad nucis avellanae, juglandis, moſchatae, caſtaneae, magnitudinem, aut quantum cochleari, vel cultri apice, capi poteſt, &c. Quandoque ſaltem totum portionibus aliquot, v. g. 3. 4. 5. &c. ad oculum dimetiendis, per intervalla certa ingerendum jubetur. Tum tamen cavendum itidem, ne portio quaeque Buccellam excedat.

153. Quantitas Generalis vix minor unciâ praeſcribitur, nec facilè unciis iv vel v major: prout uſum magis minusve frequentem aut diuturnum poſtulat indicatio. Moles grandior, diutius aſſervata, ſaepe vel nimium ſpiſſeſcit, vel liqueſcit, aliove modo corrumpitur.

154. Proportio ingredientium, ob molliorem Electarii, quam Boli, conſiſtentiam (148.), paullò alia, quam (143), ſequentibus limitatur,

α. Prout excipientium (138. β.) varia eſt conſiſtentia, ita eorum plus minusve ad eandem ſicco-

rum (138. α.) quantitatem excipiendam requiritur.

Hinc, poſita ſiccorum v. g. drach. j., ſi excipientia ſunt ſpiſſiora, uti Conſervae, Electaria officin. &c., opus erit horum uncia j.

Si minus ſpiſſa, v. g. Rob, Pulpa, Mel, Confectio mollis, &c., drach. iij.

Si liquidiora, ut Syrupi, drach. ij. ſufficient. Confer (143. β.).

β. Ubi ergo excipientia variae conſiſtentiae recipiuntur, facile ex modo dictis (α.) determinatur cujuslibet proportio. Tum vero uſitatiſſimum eſt, definita ſaltem ſpiſſiorum quantitate, liquidiorum modò q. ſ. ſubjungere, juxta (143. ζ.).

γ. Liquidorum meraciorum (138. γ.), ſi adduntur, proportio intelligitur ex dictis (143. δ.), collatis ad Electarii praeſcribendi doſin & quantitatem generalem, (152: 153.). Excipientium tunc moles pro rata imminui, aut ſiccorum augeri debet.

δ. Auri argentive folia no. j. vel ij. ſufficiunt pro totius maſſae quantitate (153.).

ε. Quandoque ſolito mollius mavult aeger Electarium; ut commodius dilui ingerique poſſit. Obtinetur id facile aucta praeprimis liquidiorum excipientium quantitate (α. β.), monitoque pharmacopœo in ſubſcriptione, ſi huic illorum quantitas determinanda relinquitur.

ζ. Cae-

ζ. Caeterum hic quoque locum habent dicta (143. γ. ε. ζ. η.), quae inde repetantur.

155. Subscriptio injungit ſimpliciter: *M.* vel *M. F. Electarium*, vel, ſi Condita gratiora accedunt, *Conditum* (148. 149.). Additur (*molle*), ſi tale expetitur (154. ε.). Vas fictile, album, *Receptaculi* loco ſervit, quod adponi, ſi libuerit, poteſt, ſcribendo: *D. in fictili albo.*

156. Signatura (145. 148. 152,) ſponte patet. Nonnunquam ſaltem hic monendum, ut ante uſum agitetur maſſa; maximè, ſi ſpecifice ponderoſiora, aut facile a ſe mutuo ſecedentia, ingrediantur.

157. Usus idem eſt, qui Boli (146.), Hyſtericis tamen grandiore dulcium mole nonnunquam minus aptus.

158. Specimina haec ſunto.

*

Electarium Antihelminticum.
Vide H. Boerh. Mat. Med. p. 248.

℞. *Sem. Abſinth. vulg.*
Santonic.
Tanacet. ana drach. ij.
Mellis unc. ij.
M.

S. Sumat drach. ij. *omni mane ex hauſtu Hydromel. vinoſi.*

Aliud

*

Aliud Purgans antiphlogiſticum. Ibid. p. 90.

℞. *Pulp. Tamarind.* unc. ij.
Cryſtall. Tartar. minutim pulver. drach. ij.
M.

S. *Capiat omni ¼ horae drach. j., donec commode purgetur.*

*

Aliud Stipticum, incraſſans.

℞. *Conſerv. Roſ. rubr.* unc. ij.
Mivae Cydonior. unc. j.
Flor. Granat. drach. iſs.
Boli Armen. laevig. drach. ij.
Lap. Haematit. ppt. drach. j.
Syr. Myrtin. q. ſ.
M. F. Conditum. D. ad fictile album.

S. *Conditum Adſtringens, de quo ter vel quater de die ad caſtaneae magnitudinem capiatur.*

*

Electarium Balſamicum, anodynum, antidyſentericum.

℞. *Balſ. Lucatel.*
Conſerv. Roſ. rubr.
Theriac. Androm. vet.
Spec. diatragac. frig. ana unc. j.
M. D.

S. ut ſupra. *Capiat quovis quadrihorio minutum cochleare, ex cyatho decocti ſemin. Milii ſolis.*

Ex-

*

Excitans in Febrili Languore. Ibid. p. 129.

℞. *Confect. Alkerm.* drach. j.
Zingib. condit. drach. vj.
Rad. Contrayerv.
Serpentar. Virgin. ana drach. j.
Syrup. V. radic. aperient. q. ſ.
Ut F. Conditum.

S. *Capiat drach.* ß. *omni quadrihorio.*

*

Opiata Aphrodiſiaca.

℞. *Electuar. de Satyrio* unc. i ß.
Theriac. Andromach. drach. vj.
Confect. ſem. Erucae. drach. iij.
Troch. de Viperis.
Borac. pur. ana drach. ij.
Eſſent. Ambari liquid. gutt. xxx.
Syrup. condit. Zingiber. q. ſ.
M. F. Opiata.

S. *Opiata Roborans. Capiatur cochleare* ß. *pro neceſſitate.*

*

Electarium Antifebrile.

℞. *Cort. Peruvian. opt. ſubtiliſſ. trit.* unc. ß.
Sal Polychreſt. drach. ij.
Syr. V. Rad. Aperient. q. ſ.
M. F. Electuarium.

S. *Sumatur, tempore apyrexias, omni bihorio octava pars totius, ex vino.*

Aliud

*

Aliud Aperiens & Detergens in Peripneumonia ſuppurata. Vide l. c. p. 161.

℞. *Myrrhae.*
Olibani. ana drach. j.
Mellis albi. unc. ij.
M. ſ. a. exhibe.

S. *Sumat drach. j. omni hora, ex infuſo vel decocto pectorali, calido.*

De

Eclegmate.

159. Eclegma, *Linctus*, *Looh*, vocatur medicamentum internum, Electario (148.) liquidius, craſſioris inſtar Syrupi lentè diffluens, ex mollioribus compoſitum, quod per vices linctum, ore detentum, ſenſim liqueſcens, deglutitur.

160. Materies eadem fere eſt, quae Electarii (149), vel Boli (138.). Accedunt inſuper Looh officinalia, Gelatinae, Olea preſſa blandiora, Mucilagines, Vitelli Ovorum, quandoque & Aquae ſtillatitiae, &c.

161. Delectus interim notare jubet,

α. Tenerrima requiri, aut facile liqueſcentia, ſi quae ingrediuntur, ſicca vel ſolida (138. α.); ne idonea Linctui mollities (159.) pervertatur: ſaepiſſime hinc abeſſe penitus.

β. Ideo & rarius huc recipi Conſervas & Condi-

ta:

ta: trajectu tamen per ſetaceum aptari poſſe delicatioribus.

γ. Draſtica vix tuto ingredi; cum & facilior ſeceſſus; & doſis Linctus ad ſtateram haud exacta, nihil promittant certi. Verum nec ſcopus talia hic exigit.

δ. Acria, odore & ſapore ingrata, ſi uſpiam, hic vetari; cum lenta Linctus deglutitio, iſthaec evolvens magis, uſum reddat moleſtiſſimum.

ε. Pinguia, mucilaginoſa, ut frequenter hic adhibentur, ita cavendum, ne rancida ſint, aliove modo corrupta: quod facile evenit officinalibus diu aſſervatis.

ζ. Looh, quae in officinis parata proſtant, haud ſatis tuti eſſe uſus; cum diutius aſſervata aut virtutem amittant, aut nimium ſpiſſeſcant, aut concepta ob immodicam tenuitatem fermentatione corrumpantur.

η. Vitellum ovi ſubigendis oleoſis apprime convenire: cui proximum Saccharum, Mel, & ex his confecta. Norunt periti pharmacopoei, absque vitelli interventu, olea Syruporum dupla quantitate ita ſubigere, ut vix mora ſecedant.

ϑ. Numerum ingredientium eſſe, qualem Boli (139. ι.).

162. Ordo in praeſcribenda materie vix datur ullus conſtans. Quae ſubigendis difficulter ſolubilibus

bus (161 η.) ſerviunt, his proximè adjungito, caeterum obervans regulas (106.).

163. Dosis rarius pondere praeſtituitur; nec tunc unc. ß. excedit. Uſitatior eſt vulgaris vel parvi cochlearis menſura, aut quantum baculo Glycyrrhizae capi poteſt.

164. Quantitas Generalis, eadem fere, quae Electarii (142.), vix unquam unc. vj. ſuperat; contra plerumque aliquot modo unciis limitatur: niſi cum uſus frequentiſſime repetendus ſat celerem facit conſumptionem. Saccharatorum facilis fermentatio, pinguium & mucilaginoſorum corruptio, calida praeprimis tempeſtate, majorem molem ſimul praeſcribere vetant.

165. Proportio maximé ex cognita ingredientium ipſiusque Eclegmatis (159.) conſiſtentia definitur. Hinc

α. Ex Looh officinalibus, melle, cremore lactis, vitellis, confectionibus mollibus, ſyrupis, & quae ad horum lentorem accedunt, mucilaginibus, oleis preſſis, blandis, & ſimilibus, quacunque fere proportione junctis, Linctus exſurgit. Virtus tum medicata ſingulorum, pretium, & alia (66. α. ad π.) limites figunt. Saponum modo ſatis ſit ad ſubigenda pinguia (161. η.). Vitelli fere dimidia aut aequalis quantitas, ſacchari, mellis, ſyruporum, etiam dupla aut major requiritur, ſi vitelli uſu ſuperſedere animus eſt (161. η.).

β. Con-

β. Conſervae, electaria, pulpae, triplum vel quadruplum diluentis ſyrupi fere exigunt: ſicca octuplum. Unde utrorumque ſimul ingredientium proportio patet. Ubi autem ſetaceo arcentur partes ſolidae de ſiccis, aut conſervis (161.), major horum quantitas recipi poteſt.

γ. Olea ſtillatitia, balſama liquida, elixir, eſſentiae, tincturae, ſpiritus, & ſimilia efficaciora, doſi reſtrictiore, ut in electariis (154. γ.), accedunt, vix ideo mutata reliquorum proportione.

δ. Aquae ſtillatitiae, cum nimia metuitur craſſities, addenda quantitas pharmacopoei relinquitur arbitrio: quo fine frequentius etiam ſyrupi q. ſ. adhibetur. Dilutior conſiſtentia ſacchari q. ſ. cogi poteſt.

ε. Haud tamen adeo proprius eſt Linctui conſiſtentiae gradus (159.), quin ſaepiuſcule ultra vel citra excedatur: ut hinc nec proportionum leges modò exhibitae inviolabiles ſint. Metus divortii pinguium paullo majorem quandoque ſuadet craſſitiem.

166. Subscriptio jubet *M. F. Linctus.* Magiſtrales enim Linctus ſola fere mixtione hodie parari ſolent: & quanquam decoctione etiam acquiri poſſunt, non tamen aut uſitatum eſt, aut neceſſarium, iſto labore pharmacopoeos onerare. Ingens ſyruporum & reliquorum ingredientium (160.), quae in officinis proſtant, numerus materiem prae-

bet Linctibus miſcendo obtinendis; qui cuicunque indicationi inſerviant. Trajectu per ſetaceum ſi opus, (161. β.), is ante injungitur. Cum difficulter miſcibilia accedunt, diligentior commendanda ſubactio. Fictile pro *Receptaculo* eſt: quod addi poteſt. Baculus Glycyrrhizae, raſus, altero extremo in penicilli formam contuſus, quandoque doſin veluti determinat, de quo in Eclegma intincto lingatur. Subjungitur ergo: *Detur ad fictile cum bacillo Glycyrrhizae.*

167. Signatura, praeter communia, quae ex (130. 131. 132. 156.) patent, injungit ſaltem, aſſiduo, vel certis temporum intervallis, portionem (163.) ore continendam eſſe, ut lente liqueſcens deglutiatur. Si per moram divortii pulverum aut pinguium metus eſt, agitatio ante uſum inſtituenda praecipitur.

168. Usus in morbis tantum, internas oris partes, fauces, oeſophagum, laryngem, tracheam; bronchia, infeſtantibus, viget: creber hinc eſt in Aphthis, Tuſſi, Peripneumonia, Phthiſi, &c. ſcopo emolliendi, demulcendi, abſtergendi, adſtringendi, &c.; rarior in aliis. Infantes, cum dulcia ament, hac fere formula facilius ad uſum remediorum pertrahuntur. Frequentior autem Linctuum ingeſtio ſtimulum viresque ventriculi ſaepe obtundit, acorem inducit, neque Hyſtericis aut Hypochondriacis admodum confert.

169. Specimina ſunto.

Lin-

*

Linctus ad ſputa ſuppreſſa in Peripneumonia. Vide H. Boerh. Mat. Med. p. 166.

℞. *Olei Amygdal. dulc. recens preſſ.* unc. iß.
Syrupi Violar.
Mell. virgin.
Vitell. Ovi recent. ana unc. ß.
M. accuratè, ut F. Linctus.

S. *Lingat unc. ß. omni hora, donec ſputa redeant.*

*

Alius ad partes Aphthis delapſis excoriatas. Ibid. p. 181.

℞. *Syrup. Papav. alb.*
Cremor Lact. dulc. ana unc. ij.
Vitell. Ovorum no. ij.
Aq. ſtillat. Roſar. unc. ij.
M.

S. *Hujus pauxillum ore aſſiduo contineat.*

*

Alius ad eundem ſcopum, demulcens & adſtringens.

℞. *Gelatin. corn. Cerv.*
Syr. e ſucc. Cydonior. ana unc. ij.
Ol. nuc. Moſch. expr. gr. iv.
M.

S. Ut ſupra.

LIBRARY OF THE
FOUNDED 1813
UNIVERSITY OF MARYLAND

*

Alius Tuſſim leniens.

℞. *Spermat. Cet. non ranc.*
Gum. Arabic. ana dr. ij.
Contrita ſimul ſubigantur cum
Aq. ſtill. Roſar. q. ſ.
Ut in mucilaginem abeant, cui admiſce
Sacchar. Althaeae. dr. vj.
M. F. Linctus. Detur in fictili cum baculo Glycyrrhizae.

S. *Lambat ſaepius, cum tuſſis urget.*

*

Alius Incraſſans Sydenhami.

℞. *Conſerv. Roſ. rubr.*
Syr. Violar.
de Meconio ana unc. j.
Sem. Papav. alb. drach. iij.
Contuſis ſimul, & per ſetaceum trajectis, adde
Ol. nuc. Moſchat. expreſſ. gr. vj.
M. F. Eclegma.

S. Ut ſupra.

*

Eclegma Balſamicum, conſolidans, ad abſceſſum pulmonum ſaneſcentem

℞. *Balſam. Canadens.* dr. ß.
Vit. ov. rec. nº. j.
Accurate ſubactis in mortario vitreo admiſce.
Mell. Roſat. unc. ij
D.

S. *Capiat ter, quater, de die duo vel tria cochearcula ac ſuperbibat Infuſum vel Decoctum pectorale conveniens.*

Lin-

Linctus Refrigerans, humectans, ſitim reſtinguens, antiphlogiſticus.

℞. *Succ. expreſſ. Semperviv.*
Syr. Rub. id.
Violar. ana unc. ij.
Spir. Sulphur. per camp. gtt. vj.
M.

S. Ut in fronte. *Capiat omni ſemihorio minutum cochleare.*

De

Pilulis.

170. PILULA, alias *Catapotium*, eſt medicamentum internum, ſiccum, preſſu tamen utcunque ſequax, ex materie cohaerente in globuli formam coactum.

171. MATERIEM exhibet quidquid, interno uſu probatum, vel ex ſe, vel miſtu aliorum, in juſtam Pilulae conſiſtentiam, (170.) denſari aptum eſt. Quare generatim eadem, quae (120.) enumerata ſunt, hic adhibentur.

172. DELECTUM tamen diverſum ordinant cohaeſio hic requiſita, doſis parvitas, & forma minus evoluta. Hinc

α. Eorum, quae Pilulis conficiendis adhibentur, praecipua ſunt ſicca tenacia: uti Gummi, Gummi reſinae, Reſinae, Succi denſi, Extracta & Sapones ſolidi, Maſſae pilularum officinales, Trochiſci effica-

caciores, &c. Iſthaec legitimam Pilulae conſiſtentiam ex ſe habent, aut ſaltem facile acquirunt, modo piſtillo calido tractentur, aut tantillo idonei cujusdam liquidi ſubigantur.

β. Sicca dein pulverulenta, ex quovis naturae regno petita, quoque in uſu ſunt, potiſſimum tamen ſpecifice graviora & minuta doſi efficacia. Pulveres leves, macilenti, haud facile cohaerentes, majore ſaltem mole agentes, minùs ſubtiles, raro in Pilulas recipiuntur.

γ. Porro mollia ſpiſſiora: ut Mel, Terebinthina, Ol. Nuciſtae expreſſum, Extracta molliora, Electaria, Mica panis recentis, quae huc referri poteſt, & ejusmodi alia.

δ. Quin & mollia diffluentia: ut Confectiones molles, Syrupi, Vit. Ovi, Mucilagines, Balſama ſimilia, &c.

ε. Denique & liquores fluidiores, generoſi: ut Eſſentiae, Elixir, Extracta Eſſentialia, Tincturae, Spiritus fermentati, Olea aromatica, &c.

ζ. Maſſae tamen Pilulares officinarum (α.), exceptis paucis, quae concinniores & frequenti in uſu ſunt, rectius omittuntur; cum diutius aſſervatae plerumque vel areſcant nimis, anoque exeant non diſſolutae, aut alio modo corrumpantur.

η. Salibus quoque vel cito liqueſcentibus, vel exhalantibus, non adeo locus hic eſt: quamvis reſtrictior tamen quantitas, aliis ſubacta, ferri omnino poſſit.

ϑ. At

ϑ. At generoſiora quaeque, acria, Mercurialia, Metallica: & ſimilia, aptiſſime hac forma exhibentur.

ι. Sapore etiam aut odore moleſtiſſima, Caſtoreum, Aſſa fetida &c. huc recipiuntur: neque enim his tegendis accommodatior alia eſt formula.

κ. Ingredientia (β. γ. δ. ε.) cum ex ſe ſingula juſtam Pilulae conſiſtentiam (170.) nec habeant, nec ſola facile acquirant, conſtituente (86.) ideo opus habent, quo debitam in formam cogantur. Id hic, uti in Bolo (138.), *Excipiens* vocatur: *Excipiendum* vero eſt, quidquid, virtutis ſuae cauſa, Medicus ex indicatione praeſcribit a Pilulae ſicca & tenace cohaeſione alienum, ſive ſiccum fuerit pulverulentum (β.), ſive mollius & diffluens (γ. δ. ε.).

λ. Creberrime quidem *excipientia* ex materie (γ. δ. ε.) depromuntur; quum plerumque res ſiccae (α. β.) excipiendae ſint. Delectus tamen habendus: nec enim quaevis quibusvis rite cogendis aeque quadrant.

Sicca tenacia (α), praeprimis reſinoſa, excipientibus gaudent liquidioribus (α.), aut & Vitello ovi, Sapone, Terebinthina, Balſamis (δ.).

Gummoſis, Succis, Extractis, Saponibus, tantillum Aquae, Aceti, Vini, Mellis, aut Syrupi, ſufficit.

Sicca pulverulenta (β.) glutinantibus (γ.), aut mollioribus (δ.) egent.

Camphoram Oleoſa, Spirituoſa, Balſamica, Saponacea, ſolvunt potius, quam ligant; niſi alia pulverulenta, non ſolubilia, interpoſueris. Extracta, Electaria, Mica panis, Mucilagines (γ. δ.) album ovi eam pulchrius excipiunt.

μ. Quandoque tamen materies (γ. δ. ε.), tanquam primaria, etiam in Pilulas cogitur: uti Terebinthina, Balſama, olea, Theriaca, &c. Tum vero *Excipientium* vices implent ſicca, pulverulenta, bibula, v. g. Pulv. Glycyrrhizae, Oliban. Maſtich. Lap. Cancror., Farinae, & ſimilia, quibus priora in conſiſtentiam ſiccam denſari queant.

ν. In eligendo autem excipiente, praeter dicta (λ. μ.), etiam canones (86. α. β.) obſervaſſe non inutile eſt.

ξ. Ingredientium numerus eſt, qualis in Bolo (139. ι), ſi maſſa minor praeſtituitur; ſi major qualis in Electario (150. ζ.).

173. Ordo (106.), vix conſtans, excipienda tamen (172. κ.) plerumque jubet praemittere juxta ſpeciei ſimilitudinem & ſingulorum quantitatem (106. β. γ.) digeſta, ſubjunctis dien excipientibus (107. λ. μ.) horumque illis loco ultimo, quae non definita quantitate praeſcribuntur (106. ε.). Ubi partes compoſitionis (74) obtinent, regulam (106. δ.) ſequimur: quod in Purgantibus ſaepe uſu venit.

174. Moles cujusvis Pilulae, hodie, quam olim, minor, haud tamen ubivis eadem, aliis aegris,

gris, Medicis, nationibus, alia arridet. Major eſt, ſi maſſae granis VIII vel X conſtat, Anglis tamen & Gallis uſitatiſſima, imo vel hac quoque grandior. Mediocrem dant grana ij. ad v, quae inter Belgas ferè recepta eſt. Minimam grani j. Germani amant, quorum nonnullis haec etiam major viſa, nonniſi in ij, iij, vel IV, diſcerpta Pilulas, demum placet. Notet hic tiro.

α. Specificae gravitatis ingredientium differentiam ex eodem maſſae pondere Pilulam alias maximae; alias minimae, molis dare poſſe: ut ideo illius ratio omnino habenda ſit.

β. Parvitati favere faciliorem deglutitionem, in ventriculo diſſolutionem, hinc promptiorem actionem; quum magis aucta detur ſuperficies.

γ. Molem contra grandiorem, diutius aſſervatam, eadem de cauſa, haud adeo cito exareſcere, durari, exhalando vim perdere.

δ. Scopum igitur ſuum, materiae naturam, maſſae quantitatem generalem, doſis molem, &c. dum inter ſe comparat Medicus, aegro locoque ſimul ſe accommodans (32. 47.), facile hic legem ſibi ſtatuit.

175. Doſis quò minor, eò ferè gratior, modò efficax ſit; ut ideo defectu peccari hic vix queat. Scrup. j. ad Drach. ß. commodè ingeritur ſimul. Ad Scrup. ij. vel Drach. j. raro adſcenditur, niſi indicatione urgente, materie ſpecificè graviore, aegro facii. Caeterum

α. Alterantia, lentè actura, ſenſim in ſanguinem inſinuanda, aegrè ſolubilia, minuta potius quantitate crebrius repetitâ, quam grandiore ſimul, prudenter dederis.

β. Sialogoga Mercurialia, Purgantia draſtica & ſimilia, tutius itidem partita in minores doſi efficace ingeruntur; niſi cum indicatio exigit, conatu validiore morbum aggredi, nec alia repugnant. Confer (23. 66. γ. 67. ε.).

γ. Ubi absque inſigni motu, aut per epicraſin purgandum, ex uſu eſt; doſis efficacis partem tertiam vel quartam exhibere veſpere, reliquum proximo manè.

δ. Numerus Pilularum pro doſi definitur facile ex quantitate doſis hactenus expoſita, per pondus Pilulae deſideratum (174.) diviſa.

ε. Sunt, qui, ſuperſtitione a Medicis etiam introducta moti, numerum Pilularum, maxime Purgantium, parem pro doſi horrent. His gratificari parvae molis eſt.

176. Qantitas Generalis hic, ſi uſpiam, laxiſſima eſt, nec niſi in caſu ſingulari determinanda ex pondere & numero doſium (175.); quas indicatio rite deducta, ad varias aegri conditiones & ingredientium naturam collata, ſimul praeſtituendas jubet. Repetantur dicta (67. 92.). Evacuantia ad unam ſaepe, aut duas, tresve, doſes ſaltem praeſcribuntur. Alterantia quandoque ad totidem uncias.

Memor

Memor hic itidem ſis regulae (124. β.). Quin &, quae proxime ſequitur (ib. γ.), nonnunquam hac in formula conducet.

177. Proportio mutua ingredientium facile invenitur per ſequentia.

α. Excipienda (172. κ. λ. μ.), utpote primaria, ſuis capiantur doſibus efficacibus, indicationi appropriatis (66. 67. 87. ad 91. 175. 176.), tanquam ſi ſola forent exhibenda.

β. His (α.), ſi fuerint ſicca tenacia (172. α. λ.), tantillum quia ſatis eſt excipientis, id quantitate ſufficiente ſaltem adſcribitur; imò quandoque penitus omittitur, tam delectu, quam molè ejus, pharmacopoei dexteritati commiſſis; quin ſaepe nullo opus eſt (172. α.).

γ. Si vero excipienda ſunt ſicca pulverulenta (172. β. λ.), varia requiritur excipientis quantitas pro varia hujus conſiſtentia. In genere tanto plus, quo ex ſe ſpiſſius eſt. Unde tum ſpeciatim
Poſita Excipiendorum - - - - Unc. j.
Excipientis { Spiſſi (172. γ.) Drach. v. ad vj.
Minus ſpiſſi (ib. δ.) Drach. iij. ad iv.
Liquidioris (ib. ε.) Drach. ij. ad iij. }
opus eſt, ut obtineatur juſta Pilulae ſpiſſitudo (170.). Plerumque tamen & hic, ut ante (β.), determinatio quantitatis arbitrio pharmacopoei tutius relinquitur.

δ. Scitur hinc facile proportio neceſſaria, cum excipientia plura diverſae conſiſtentiae, aut excipienda

pienda utriusque claſſis (172. α. β.), ſimul abhibentur.

ε. Excipienda (172. μ.) Pilulâ liquidiora ſubiguntur pulveris appropriati q. ſ.: licet vel hujus etiam proportio ex regula (γ.) intelligatur.

ζ. Si excipientium quantitates determinaturus anceps metuis, ne juſto nimiae aut parciores ſint, cape de alterutro proxime tam parum, ut non ſufficere certo ſcias, ac ſecundarii excipientis q. ſ. ſubjunge!

η. Pateat hinc, quantae neceſſitatis ſit regula (38.). Quin & gravitatis ſpaecificae variorum cognitio hic apprime utilis eſt; quum multa inde proportionis diſcrepantia oriatur (39.).

θ. Caeterum memento (86. 88. γ.); ut excipientium, ſi qua virtus eſt vel adjuvans vel deprimens actionem excipiendorum, eam in doſi determinanda ſimul computes, aut excipiendorum quantitatem pro rata modereris. Confer ſupra (α).

178. Subscriptio eſt: *F.* aut *M. F. Pilulae.* Earum vero quantitas triplici modo determinatur: vel enim, quot faciendae ſint, adſcribitur: v. g. *n*°. I, II, III. & ſic porro: vel quotnam ex definito maſſae pondere formari debeant: v. g. *Ex ſcrupulo quovis n*°. v. vij. &c.: vel denique quanti ponderis quaelibet exigatur Pilula: v. g. *Singulae gr.* j, ij, iij, iv. &c. Ubi maſſa grandior eſt, bini poſteriores modi praecipue locum habent. Prior tum maxime uſitatus eſt, cum minor Pilularum numerus deſideratur:

ratur: ſed convenit etiam in quantitate majore, ſi Medici intereſt accurate ſcire, quo pondere ingredientia primaria in quavis Pilula dentur, ut doſis certo determinari queat: id enim alioquin ambiguum eſt, ſicubi materiae excipientis ſufficiens modo quantitas, non exacte ad pondus determinata (177. β. γ. ϵ. ζ. ϑ.), fuerit praeſtituta.

His poſitis ſubjungitur quandoque *Involucrum*; ſiquod peculiare expetitur; pulvis nempe quidam ſubtilis, ut Glycyrrhizae, Cinnamom. Lap. Cancr. Chinae, Oliban. &c.: quo obvolvendae jubentur, ne inter ſe cohaereſcant. Nec male talis eligitur, qui ſua virtute Pilularum actionem promoveat; modo ſaporis odorisve non fuerit moleſti, nec durior aut rudior, qui ſub dentibus ſtrideat, nec deliqueſcens aut in grumos coiens. Plerumque tamen delectus iſte pharmacopœi relinquitur arbitrio, qui mitem tunc Glycyrrhizae pulviſculum adhibere ſolet. Vel adſcribitur: *Auri* aut *Argenti foliis obducantur*: quod tanto hic magis ferri poteſt, quia & colores corrigit, & ſapores odoresque, ſaepe injucundiſſimos, compeſcit, & materiem a diffluxu, exhalatione, duritie nimia, aut collapſu in pulverem, defendit; quamvis interim mora longiore fucus ſordeat, maxime ſi Mercurialibus, Salinis, Saponaceis, maſſa polleat. Charta pauciorum, ſcatula plurium, *Receptaculum* eſt. Volatilia aut liqueſcentia etiam vaſculo vitreo includuntur.

179. Signatura, poſt *Titulum*, ex nomine & virtute compoſitum (113. γ.), *Doſin* (175.) determi-

minat Pilularum numero (ibid. δ. ε.); niſi cum omnes una vice capiendae ſunt. *Tempus* & *Regimen* limitat indicatio: ubi cavendum, ne doſes generoſiorum, juxta (175. β.) partitae, altera alteri citius ſuperingerantur, quam de prioris effectu aliquid ſtatui queat; cum tardior Pilulae diſſolutio actionem ſaepe minus expeditam reddat. *Vehiculo* alii nullo utuntur; alii ſolido vel ſpiſſo, Nebula v. g. Paſſula majore, Pruno cocto, Gelatina vel Rob gratiore, & ſimilibus; alii liquido, quod frigidum ferè aptius eſt; quum calido emollita materies & guſtum magis afficiat, & colliqueſcens faucibus quandoque adhaereſcat incommodè. Liquore etiam ſuperbibendo nonnunquam opus; tum ut abſtergeantur ſaporis ingrati reliquiae; tum ut ſolutio & actio promoveatur. Confer. (113. λ. 113. β. γ. 145.).

180. Usus aeque ferè univerſalis eſt, ac Pulverum (135.), evacuationi pariter ac alterationi, maximè tamen in chronicis, conveniens. In acutis rarius, niſi Narcotica, Emetica, & ſimilia, hac forma dari ſolent. Ingratiſſimis commode ingerendis aptiſſima Pilula. Sunt tamen &, quibus minus placet: his ergo alia forma conſulendum (47.). Infantibus malè offertur; quia mandunt. Temperiei ſiccae minus convenit (51.): quod tamen liquido idoneo, ante vel poſt exhibito, corrigi poteſt. Difficultas aut impotentia deglutiendi magis etiam Pilulae, quam Pulveris (135.), uſui obſtat. Promptiſſimae tandem actionis neceſſitas eam quoque excludit (46. 179.).

181.

181. SPECIMINA haec ſunto.

*

Pilulae Emeticae in Febre Intermittente.
Vide H. Boerh. Mat. Med. p. 145.

℞. *Tart. Emetic.* gr. v.
Micae Panis q. ſ.
Ut F. Pil. no. v.

S. *Pilulae Emeticae pro una doſi, ex cereviſia calida capiendae.*

*

Pilulae Purgantes in ſimili caſu.

℞. *M. Pilul. Rufi* ſcrup. j.
Reſin. Jalapp. gr. IV.
Sal. Abſynth. gr. ij.
Elix. Propriet. ſ. acido, q. ſ.
M. F. Pilulae no. IX.

S. *Pilulae Purgantes, die intermiſſionis, mane, pro doſi capiendae.*

*

Purgantes in Scorbuti principio.
H. Boerh. l. c. p. 198.

℞. *Pil. Coch. Maj.* drach. j.
F. Pilulae no. XXI.

S. *Capiat duas veſperi ante ſomnum, mane quinque ante jentaculum.*

*

Adſtringentes in Fibra laxa, ad ſimilitudinem Ibid. p. 8.

℞. *Extract. Tormentill.* drach. j.
Biſtortae.

Pulv.

Pulv. Cort. Granator. ana drachm. ß.
Lap. Haematit. ppt. ſcrup. j.
Syr. Myrtin. q. ſ.
M. F. Pilulae ſingulae gr. ij.

S. *Pilulae Roborantes. Capiat aeger unam aut duas ter, quater, de die, ex unc.* j. *Infuſi, Decocti, vel Vini Medicati:* Ibid. p. 5. ad 7. *deſcriptorum.*

*

Pilulae Pectorales, Balſamicae, Reſolventes, Abſtergentes.

℞. *Myrrh. opt.* dr. ij.
Oliban.
Maſtich.
Sperm. Cet. non ranc. ana dr. j.
Vitel. ov. rec. q. ſ.
Ut F. Pilulae ſingulae gr. iv.

S. *Sumat duas quovis biborio ex aliquot unciis infuſi aquoſi Veronicae melliti..*

*

Pilulae Menagogae ad Menſes cauſa frigida reſtagnantes.

℞. *Limat. Mart. rec. ſubtil.* dr. iv.
Gumm. Sagapen. dr. j.
Borac. pur.
Croc. opt. ana dr. ß.
Caryophyll. arom. ſcr. j.
Tereb. pur. q. ſ.

M.

M. F. Pilulae ſingulae gr. v., auro incruſtandae.

S. Ut ſupra. *Sumantur* iij. *quater de die ex hauſtulo Vini Rhenani generoſi.*

*

Pilulae Reſolventes, Stimulantes, in morbis a Glutinoſo ſpontaneo.

℞. *Sapon. Alcalici, vel Starkejani dicti* drach. j ß.
Extract. rad. Gentian.
Gummi. Galban. ana drach. j.
Sagapen. ſcrup ij.
Ol. ſtillat. Abſynth. gutt. xij.
Cort. Winteran. ſubtil. pulveriſ. q. ſ.
Ut F. Pilulae ex ſcrup. j. no. v, deaurandae.

S. Ut in fronte. *Capiat aeger* iij. *ter vel quater de die ex vino.*

*

Pilulae Balſamicae in Gonorrhoea Venerea. Ibid. p. 266.

℞. *Terebinth. vulg.* unc. j.
Rhei barb. unc. ß.
Glycyrrhiz. ſicc. q. ſ.
Ut F. Pilulae. ſingulae gr. iv.

S. *Capiat unam omni horâ.*

*

Pilulae Sialogogae, Mercuriales.

℞. *Mercur. dulc.*
Lap. 69. ppt. ana dr. j.
Theriac. Androm. q. ſ.
M. F. Pilulae n°. xxx.

S. *Sumat duas quater de die, ac ſuperbibat cyathum Decocti Lignorum.*

*

Pilulae Antihelminticae.

℞. *Gum. Aſae fetid.* dr. IV.
Vitriol. Mart. leviter calcin. dr. j.
Bulb. Scyllae rec. gr. x.

Cum tantillo *Vit. Ov.* ſubacta redige in Pilulas ſingulas gr. IV. argenti foliis obducendas.

S. *Capiat quovis trihorio diei duas ex pauxillo vini.*

*

Pilulae Narcoticae. Ibid. p. 64.

℞. *Opii puriſſimi.* gr. ij.
F. Pilulae n°. iij.

S. *Detur una pro doſi, repetendo poſt bihorium, ſi prior nihil effecit, ſic & tertio.*

De

Trochiſcis Internis.

182. TROCHISCUS, *Paſtillus*, ſi maſſam ſpectes, eſt Pilula (170.) non globoſa, quae raro integra, in modum Pilulae, ſed, inſtar Eclegmatis (159.), ſenſim in ore diſſoluta, deglutitur: ut hinc *Eclegma ſolidum* ferè dixeris.

183.

183. *Officinalem* verò a *Magiſtrali* hic omnino diſtinguere juvat (6.): nam licet forma utrobique conveniat, uſus tamen ſaepe diverſus eſt; cum prior, conſervationi ingredientium magis dicatus, compluribus aliis formulis frequenter accommodetur.

184. Materies in genere eſt *Excipienda* vel *Excipiens* (138. α. β.).

α. *Excipienda* ſunt vel ſicca, eaque aut pulverulenta, aut tenaciter cohaerentia (172. α. β.). vel mollia, uti Pulpae, Electaria, &c. vel liquida, quorum alia diffuſiora ſunt, uti Decocta, Infuſa, & ſimilia; alia contractiora, ut Olea aromatica &c.

β. *Excipientium* loco ſerviunt vel liquida fluidiora, ut Aquae ſtillatit. Vina, Spiritus Vini, Succi, Decocta, Infuſa vegetantium; vel viſcida magis minusve ſpiſſa, ut Albumen Ovi, Mucilagines, Syrupi, Balſama, Mel, Pulpae, &c. vel ſicca tenacia, ut Gummi, Extracta ſolida, Succi denſi, & ſimilia; vel ſicca pulverulenta, ut Farinae Orobi, Lupinorum, Amylum, pulveres varii &c.

185. Delectu tamen hic opus; cum omnia omnibus haud promiſcuè quadrent. Ergo

α. Excipienda ſicca pulverulenta (184 α.) plerumque egent excipientibus inviſcantibus (ibid. β.) Siccis tenacibus (ibid. α.) excipiendis ſufficiunt excipientia liquida fluidiora (ibid. β.) apte ſelecta.

Mollia autem (ibid. α.) ſi cogi debent, ſicca pulverulenta (ibid. β.) prae ceteris conducunt.

Liquida denique (ibid. α..) interventu ſiccorum tenacium aut & pulverulentorum (ibid. β.) optime in paſtillos digeruntur.

β. Facile hinc intelligitur, cum excipienda variae conſiſtentiae ſimul recipiuntur, an & cujus generis excipientibus opus ſit; tum quod aliquando horum nihil requiratur.

γ. Ceterum ſapore & odore injucunda hic vitanda, aut ſaltem parcius immiſcenda, ob (161. δ. 182.).

δ. Generoſiora itidem, aut valde acria, ſcopus hinc & uſus ferè excludit.

ε. Salibus eadem de cauſa, tum & ob facile deliquium, ſaporemque ingratum, vix adeo locus hic conceditur.

ζ. Sacchari contra frequens uſus eſt, quò ſaporis gratia, facilior in ore diſſolutio, & amplior reliquorum diffuſio obtineatur. Poſtremo ſine & Amylum ſaepe adhibetur.

η. Valdè tenacia pro infantibus ne praeſcribito! Manſa enim dentes conglutinando moleſtiam creant.

θ. Numerus ingredientium haud major ſit, quam in Electario (150. ζ.).

ι. Si Trochiſci officinales proſtant ſcopo apti, his potius utendum (31. 41.). Memor tamen eſto, vetuſtate & minus curioſa aſſervatione non raro inertes reddi.

186.

186. Ordo hic idem obtinet, qui in Pilulis (173.).

187. Moles Trochiſci, olim a drach. j. ad iij. usque extenſa, hodie a gr. vj. vix ultra ſcrup. ß. augetur; imò quandoque gr. ij. vel iij. tantum aequat, ſi ſuaveolentiae ſpiritûs dicatur. Saepiſſimè autem pondere non determinatur, ſed ſaltem piſi, lupini, &c. magnitudine. Neque hinc periculi metus eſt in magiſtrali (182. 183. 185. δ,).

188. Figura eſt plana orbiculata, trigona, teſſulata, rhomboides, cylindrica aut quaevis alia, cujus, aeque ac ſigni imprimendi, ſelectio pharmacopoei arbitrio facile relinquitur.

189. Dosis ſaltem numero determinatur, pro mole Trochiſcorum majore vel minore (187.), & ingredientium natura, vario. N°. j. ij. iij vel aliquot ſimul in ore volutandi jubentur. Cum draſtica, quod rariſſimum eſt (185. δ.), ingrediuntur, Opium v. gr., ex pondere cujuslibet Trochiſci cognito numerus accurate determinari debet juxta draſtici ingredientis notam proportionem.

190. Quantitas Generalis uncia j. vel iß. vix inferior praeſtituitur; quum parcior maſſa pharmacopoeo incommodet. Si tamen ſolis uteris officinalibus (185. ι.), non eſt, cur limiti huic te adſtringas, praeſcripturus tunc ſaltem, quantum ſcopo ſufficit (67, 68.).

191. Proportio excipientium ad excipienda, uti varia eſt, pro varia utrorumqne conſiſtentia, ita vix accuratè determinari in omni caſu valet. Unde,

cum ingredientia generoſiora hic locum non habeant (185. δ.), tutò arbitrio pharmacopoei relinquitur (111. ϑ.). In genere tamen ſequentia notaſſe ex uſu erit.

α. Pondus ſpecificum in ſiccis pulverulentis (184. α.) majus vel minus inſignem facit differentiam quantitatis neceſſariae excipientium.

β. Prout etiam pulveres alii aliis magis minusve bibuli ſunt humoris, aut ſolubiles in eo vel inſolubiles, major minorve excipientium proportio requiritur: quod de Saccharo & Salibus, ſi quae ingrediuntur, animadvertendum.

γ. Manente excipiendo eodem, tanto major requiritur excipientis quantitas, quo hoc ſpiſſius eſt, & contra.

δ. Itaque generatim haec fere proportio obtinet.

1. Si excipienda fuerint ſicca pulverulenta, eaque mediae gravitatis, ad eorum partes iij. requiruntur fere excipientis fluidioris part. ij, viſcidioris autem, pro diverſa conſiſtentia, part. IV. ad VI.

2. Si vero pulverulenta leviſſima excipi debent, eorum partes iij. exigunt excipientis fluidioris part. IV, viſcidioris part. VI ad IX.

3. Siccorum tenacium part. iij. liquidi fluidioris part. j. ſatis denſat.

4. Mollium part. iij. cogendis ſufficiunt ſiccorum pulverulentorum part. ij.

5. Ad

5. Ad liquida denique in paſtillos concorporanda quaenam proportio ſiccorum requiratur, patet ex (1. 2. 3.).

ε. Saccharum ſaepe additur pondere reliquorum aequali, duplo, triplo, quadruplo, & ultra: prout conditiones (185. ζ.) poſtulant. Idem de Amylo obtinet.

192. Subscriptio eſt. *M. F. l. a. Trochiſci.* Moles adſcribitur vel pondus (187.): v. g. *Parvi* aut *Piſi*, *Lupini*, *magnitudine:* aut *gran.* ij. vi. *ſcrup.* ß. Nullo horum opus, ſi officinales ſaltem praeſtituuntur (185. ι.). Scatula, charta, &c. pro *Receptaculo* eſt. Ubi draſtica ingrediuntur (189.), excipientium interim quantitate non determinata; prudentiae eſt, nec magnitudine, nec pondere, ſed numero definire Trochiſcos, ex tota maſſa formandos eosque inter ſeſe aequales; uti in Pilulis (178.). Sic certior eris, quantum de draſtico in quovis Trochiſco detur; modo pharmacopoeus aequabilem mixtionem ſedulo curaverit.

193. Signatura ſponte patet ex (112. 167. collatis cum 182. 189.).

194. Usus minus frequens eſt, nec fere ulterius hodie extenditur, niſi ad mala Faucium, Pharyngis, Laryngis, Aſperae Arteriae, &c. inſtar Eclegmatis (168.): tum ad foetorem ſpiritus; ad prophylaxin a contagio; adverſus acidum ventriculi; rarius ad ſitim reſtinguendam.

169. Specimina ſunto.

*

Trochiſci ad Ptyaliſmum ab Aphthis delapſis.

℞. *Succ. Catechu* drach. ij.
Sang. Dracon.
Cort. Granat.
Extract. Agrimon. ana drach. j.
Mucilag. ſem. Cydonior. cum Aq. Roſar. extract. q. ſ.

M. F. l. a. Trochiſci piſi magnitudine.

S. *Trochiſci Roborantes, quorum unum aſſiduò ore volutet aeger ac lente deglutiat.*

*

Trochiſci Opiati in Pulmone ſuppurato, rupto. Vide H. Boerh. Mat. Med. p. 161.

℞. *Succ. Glycyrrhiz.*
Flor. Sulphur. ana drach. ij.
Oliban. ſcrup. ij.
Opii puri ſcrup. j.
Balſ. Copayb. q. ſ.

Ut exacte miſtis F. Trochiſci no. xl.

S. *Trochiſci Pacantes, quorum duos ſumat qualibet veſpera ante ſomnum.*

*

Trochiſci Suaveolentes ad Foetorem ſpiritus.

℞. *Reſin. Cort. Thymiam. Hoffm.* ſcrup. j.
Ambar. gryſ. gr. xv.
Moſchi gr. vij.
Ol. Cinnamom. gutt. vj.
Sacch. albiſſimi unc. j.

Cum

Cum *Mucilag. Gumm. Arab. in Aq. Cinnam. factae* ſ. q. F. l. a. Trochiſci minimi.

S. Unum vel alterum pro neceſſitate ore volutet.

*

Trochiſci ad fallendam ſitim.

℞. *Nitr. pur.* dr. j.
Cryſtal. Tartar. dr. iij.
Pulv. Glycyrrhiz.
Gumm. Arabic, ana dr. ij.
Pulp. Tamarindor. q. ſ.
Ut F. l. a. Trochiſci parvi.

S. Saepius de die unus ſub lingua teneatur.

*

Paſtilli adverſus Acidum ventriculi.

℞. *Margarit. ppt.*
Coral. rubr. ppt. ana dr. iij.
Nuc. Moſchat. dr. ß.
Sapon. ven.
Extr. rad. Helen. ana dr. j.
Balſ. Peruv. q. ſ.
Ut F. l. a. Trochiſci piſi magnitudine.

S. Deglutiat unum atque alterum, cum acidum infeſtat, aut ante uſum lactis.

*

Trochiſci Sublinguales ad Prophylaxin a contagio.

℞. *Theriac. Andromach.* drach. ij.
Myrrh. elect. drach. j.
Ol. ſtill. Cort. Citri gutt. xij.
Succ. Citri recent. unc. ß.
Pulv. Cort. exterior. Arant. q. ſ.

Ut F. l. a. Trochiſci ſinguli ſcrup. ß.

S. Mane exiturus deglutiat unum, alterum ſub lingua detineat.

De

Electario Solido.

196. Electarium Solidum, *Morſulus, Tabella*, eſt medicamentum internum, ſiccum, variae figurae, ex varia materie, interventu ſacchari ſoluti & cocti, in formam ſolidam, fragilem, coactâ, conſtans. Unde patet ejus a Trochiſco (182.) diſcrepantia.

197. Materies iterum eſt vel *Excipienda*, vel *Excipiens*.

Excipienda ſunt ea ferè omnia, quae ad Electaria recipiuntur, tam excipientia, quam excipienda (149. 138. α. β. γ.). Ex quo nominis (196.) manifeſta eſt ratio.

Excipiens ſemper eſt ſaccharum minus pingue, liquore idoneo, maxime aquoſo, ſolutum, ad juſtam conſiſtentiam incoctum.

198. Delectus tamen nonnulla habet ſingularia. Videlicet

α. Requiritur hic cum ſoliditate fragilitas, cohaeſio non lenteſcens, facile in ore deliquium, nec injucundus uſus.

β. Hinc Gummi, Extracta, Succi denſi, Terreſtria pinguia, & id genus alia, quae tenacitatem inducunt, parcius immiſcenda.

γ. Ideo

γ. Ideo nec ſaccharum adhibetur pinguitudine propria aut miſto glutine lentum; ſed ferè albiſſimum ſimplex, aut Roſatum.

δ. Nec ſapore vel odore moleſtioribus adeo hic locus eſt; quum deliquium in ore, aut manducationem, uſus exigat.

ε. Salia quoque, praeſertim facile liqueſcentia aut exhalantia, vix recipiuntur.

ζ. Craſſiores quidem pulveres hic in uſu ſunt, at ſimul molliculi. Duriora, niſi tenuiſſimé comminuta, inter mandendum moleſte ſtrident.

η. Abſint & Acida Foſſilia, utpote ſacchari obſtitura coagulo.

θ. Unguinoſis itidem ne utaris, vetat eadem ratio & injucunditas.

ι. Nucleos, oleo facileranceſcente ſcatentes, carnes, & ſimilia, male adhibueris, ſi longos in uſus praeſcribis.

κ. Adſtringentia, Incraſſantia, minus apta; quum vires perdant ſaccharo copioſo ſuffocata.

λ. Generoſiora, quin & ſpecificè graviora, admittit Morſuli ſoliditas; modo miſcelae aequabilitas accedat.

μ. Suaveolentiam Ambaro, Moſcho, Zibetho, parcè intermiſtis, aut liquidis fragrantibus, Oleis, Eſſentiis, &c. maſſae jam congelatae allitis; coloris gratiam appreſſis Auri Argentive foliis, aut floſculis varii coloris, minutim conciſis, paullo ante refrigerium

gerium inſperſis, affectet, qui volet, memor tamen (85.).

v. Numerus ingredientium haud ſit major, quam in Electario (150. ζ.).

129. Ordo hic idem obtinet, qui in Trochiſcis (186.) & Pilulis (173.); quamvis ſaepe minus reſpondeat ordini juſto praeparationis.

200. Figuram alii aliam huic maſſae conciliant; quae tamen ut virtuti addit vel demit nihil, ita rectè pharmacopoei arbitrio committi poteſt. Vel enim gelaſcentem pyxidi infundunt, hujus ut figuram induat, *Pandaleon* tunc dicta: vel & totam ſimul, aut per partes, ſuper planum effuſam ſcindunt finguntve in maſſulas quadratas, quadrato-oblongas, rhomboideas, &c., quas *Morſulos*, *Tabellas*, *Teſſellas*, *Lozangias*, &c. appellant; licet ſatius foret, unicum *Morſulorum* vel *Tabularum* nomen, exterminatis reliquis, conſtanter adoptare.

201. Moles Morſuli vel pondere, vel menſura, determinatur rariſſime; nec adeo limitata eſt, quin a drach. j. ad unc. ß. & ultra, ſe extendat.

202. Dosis praeſtituitur numero, ad dimidium, i, ij. &c. Morſulos; prout majores minoresve ſunt: aut fruſtulo, ſi maſſa indiviſa eſt: aut & pondere, ſi efficaciora continentur: tum verò itidem major minorve eſt, pro varia ingredientium vi & proportione. Unciam tamen vix excedit.

203. Quantitas Generalis minor unc. iv. haud

haud commode praeparatur. Si tamen officinali uteris compoſito, quantum ſcopo ſufficit, praeſcribere licet; quamvis ne unc. ß. quidem id excedat.

204. Proportio ingredientium, quoad excipienda inter ſe, determinatur ex cognita ſingulorum natura collata ſcopo intento, & cautelis datis (198.). (Vide & *66. 67.* 125. *α. ζ.*). Excipientis autem reſpectu illorum proportio ex ſequentibus liquet.

α. In genere ſacchari quadruplum aut ſextuplum ratione excipiendorum apté adhibetur. Sunt tamen, quibus octuplum, & vel plus etiam placet: at minus rectè; quum mole tanta nimis diffundatur virtus reliquorum, quandoque & obtundatur: unde doſis efficax praeter neceſſitatem augeſcit.

β. Ratio interim habenda ponderis ſpecifici & conſiſtentiae excipiendorum. Leviſſima, ob volumen auctius, copioſiore gaudent excipiente. Sicca, dura, bibula, cum ſaccharo parciore feré lapideſcunt (198. *α.*).

γ. Si excipienda ipſa ſaccharum continent, quantitas excipientis pro rata imminui poteſt: quod circa Conſervas, Condita, Confectiones, &c. notandum.

δ. Saepe autem ſacchari proportio pharmacopoei arbitrio relinquitur (111. *ζ.*): a quo tamen abſtinendum, ſi doſis pondere requiritur determinata (202.); quum conſtans limes omnibus in officinis non obtineat, nec tantae hic molis ſit dubium tollere.

205 Subscriptio praecipit: *M. F. l. a. Morſuli, Tabulae, Electarium ſolidum, Pandaleon,* vel *Confectio in Morſulis,* &c. (200.), commiſſo ceterum praeparationis modo & ordine pharmacopoei dexteritati. Subjungitur dein, ſi ita viſum fuerit, quo liquore illinenda, an Auro, vel Floſculis, ornanda ſit maſſa (198. μ.). Quandoque & pondus commemoratur cujusvis Morſuli (201.), & ſcatula pro *Receptaculo.* Quodſi vero officinale compoſitum adhibes (203.), vix ullo horum opus; niſi forte libuerit, externi ornatûs quidpiam ſuperaddere (198. μ.).

206. Signatura ex (113. 196. 200. 202.) liquet. *Vehiculi* neceſſitatem tollit ſaccharum. *Utendi Tempus* & *Modum* definit ſcopus: vel enim commanducatum, vel ſaliva paullatim liquatum, deglutitur.

207. Usus hodie in univerſum rarior eſt. *Pandaleon* ferè prorſus exolevit. *Morſulis* adhuc locus. Purgantia, Antihelmintica, Stomachica, Carminantia, acido, glutinoſo, oppoſita, Aphrodiſiaca, Alexipharmaca, Bechica, halitus graveolentiam corrigentia, quandoque ſic exhibentur. Grata caeterum formula, domeſtico uſui, iter facientibus, non inepta, ſat diu incorrupta manens, fuco infantibus, delicatis, faciendo commoda, expeditae tamen actioni, ſanguine nimis tenui laborantibus, Hyſtericis ſaepè, tum quibus dulcia infeſta ſunt, quin & pauperibus ob pretium, minus convenit.

208. Specimina ſunto.

Mor-

*

Morſuli Antihelmintici, pituitam, vermium nidum, deſtruentes.

℞. *Conſerv. Abſynth. vulg.*
Semin. Santonic.
Tanacet. ana drach. ij.
Aethiop. mineral. drach. IV.
Reſin. Jalapp. drach. ij.
Sacch. albiſſ. Infuſo Tanacet. ſolut. unc. ●
M. F. l. a. Morſuli, ſinguli unc. ß.

S. *Capiat unum mane vacuo ventriculo.*

*

Morſuli Purgantes.

℞. *Pulv. Rad. Jalapp.* drach. iij.
Scammon. opt. drach. ij.
Antimon. diaphoret. unc. ß.
Flaved. Cort. Citri rec. drach. iij.
Sacchar. albiſſ. in Aq. Roſ. ſolut. unc. viij.
M. F. l. a. Confectio in Morſulis.

S. *Doſis drach.* ij. *ad* IV. *adultis; ſcrup.* j. *ad* ij. *junioribus.*

*

Morſuli adverſus Acidum.

℞. *Matr. Perlar. ppt.*
Cret. albiſſ. ppt. ana drach. ij.
Rad. Zingiber. condit. drach. iij.
Cinnamom. ruditer triti. drach. j.
Sacch. albiſſ. aqua pura ſolut. q. ſ.
Ut F. l. a. Morſuli.

S. Ut in fronte. *Capiatur unus vel alter pro neceſſitate.*

Mor-

*

Morſuli Stomachici, Carminantes, in caſu frigido.

℞. *Conſerv. Menth.* drach. iij.
Nuc. Moſchat. in Ind. cond.
Cort. Winteran.
Arantior. ana drach. ij.
Macis. drach. j.
M. F. cum *Sacch. alb. in Aq. Roſar. ſolut.* q. ſ. Morſuli, *Ol. ſtill. cort. Citri* oblinendi. D. in Scatula.
S. *Sumatur unus ante & poſt paſtum.*

*

Tabellae Cardiacae.

℞. *Pulv. Comitiſſ. Kent.*
Diagalang. ana dr. ij.
Flaved. cort. Citr. rec. raſae. dr. j.
Cinnamom. acut. ſcr. ij.
Caryophyll. arom. ſcr. j.
Ol. ſtill. Cinnamom.
Caryophyll. ana gutt. iij.
Sacchar. alb. ad conſiſtentiam tabulat. coct. unc. iv.
M. F. l. a. Tabellae, auri foliolis pro lubitu ornandae.
Nota. *Poſſent etiam* Ambari & Moſchi *aliquot grana intermiſceri, niſi quid obſtet.*

De Rotulis.

209. **R**OTULAE, *Orbiculi*, ſunt Morſuli (196.) plano rotundi, ex materie ſaltem ſubtiliore, aut ſolubiliore, ſaccharo itidem excepta, compoſiti: ut hinc nonniſi levis detur inter hanc & priorem formulam differentia. Quum tamen non ſit nulla; doctrinae facili aptius videtur, paullo forte ſcrupuloſius dividere, quam nimio exceptionum numero impedire regulas.

210. MATERIES in genere eadem eſt, quae Morſulorum (197.). Excipiens & glutinans hic quoque ſemper eſt ſaccharum. Unde Rotulas cum Trochiſcis (182.) confundunt, qui mucilagine exceptis iſtud nomen dant.

211. DELECTUS ſaltem ex parte diſcrepat. Nam

α. Praeter dotes (198. α.) in Rotulis etiam hemidiaphana amatur ſoliditas. Unde

β. Quae ſat tenuiter & aequabiliter diffundi nequeunt, Conſervae v. g. Condita, Pulveres craſſiores, Fructus, Nuclei, & ſimilia, tum quae in grumos facile coëunt, huc minus recipiuntur.

γ. Saccharo hinc albiſſimo hic tanto magis opus eſt (198. γ.): quin caetera etiam (ibid. β. δ. ε. ζ. η. θ. ι. κ.) urgent fortius.

δ. Quandoque, excluſis ſiccis ſpiſſisve, liquidi ſaltem

ſaltem ſucci, gratiores, maximè acidi, ut Ribium, Berberum, Citri, &c. cum ſaccharo in Rotulas coguntur, uſu jucundiſſimo. Operam tamen perdunt, idem qui cum aquis ſtillatitiis moliuntur.

ε. Sola alii Olea aromatica, aut Eſſentias contractiores, ſaccharo aqua ſoluto, & incocto, excipiunt, certo tamen cum virtutis diſpendio.

ζ. Elaeoſacchara igitur qui aquis ſoluta eodem fine coquunt, an, praeter ſaccharum, boni quid retinent?

η. Syrupum qui ſolum igne in Rotulas ſpiſſant, videant, qualem ſeligant.

ϑ. Compendii ergo Rotulas officinales idoneo Oleo aut Eſſentia oblinendas praeſcribere, ſi ſcopus fert, licet: qua encheireſi magiſtralibus etiam conſulunt, qui volatilium calenti maſſae immiſtorum jacturam recte metuunt.

ι. Externo ornatui reliquo (198. μ.) nullus hic locus.

κ. Numerus ingredientium minor, quam in Morſulis (198. ν.), qualis in Bolo (139. ι.), conceditur.

212. Ordo idem, qui in Morſulis (199.), obtinet.

213. Moles Rotulae, minor, quam Morſuli (201.), plerumque ſcrup. j. aut drach. ß. ſaltem aequans, itidem vix unquam pondere aut menſura determinatur,

214.

214. Dosis quoque, ut (202.), definitur numero j. ij. iij, &c. aut pondere, juxta ingredientium efficaciam & proportionem vario.

215. Quantitas Generalis eadem eſt, quae (203.): minor tamen etiam magiſtraliter parari commodè poteſt, ſi materies (211. δ. η.) adhibetur.

216. Proportio ingredientium intelligitur ex dictis (204.): eadem enim eſt, ac in Morſulis, ſi pauca excipias. Nempe

α. Frequentius hic majore ſacchari utimur mole reſpectu excipiendorum (204. α.), ob (211. α. δ. ε.).

β. Succis hinc Acidis (211. δ.) in Rotulas cogendis ſacchari fere adhibetur ſextuplum vel octuplum. Eſſentiarum (ibid. ε.) drach. j. aut iß. poſtulat ſacchari unc. ij: hujusque tantumdem ad Oleorum aromaticorum (ibid.) gutt. xx. requiritur.

γ. Illinitio (211. ϑ.) ſimili Eſſentiae vel Olei proportione (β.) efficitur.

217. Subscriptio, nomine ſaltem mutato, uti in Morſulis, ſe habet (205.). Praeparatio juſta cognita ſupponitur pharmacopoeo, eaque ita adornanda, ut minima, quoad fieri poteſt, volatilium fiat per calorem diſſipatio. Succi Acidi, Eſſentiae, Olea (211. δ. ε.), non miſcenda ſaccharo, niſi perquam incocto, jamque gelaſcenti, aut ne liquato quidem, ſed ſaltem valde calefacto; tum ob rationem modo dictam, tum quia ſacchari concretioni obſtant.

218. Signatura haud alia eſt, quam (206.).

219. Usus quoque idem fere, ac (207.). Adde ſaltem, quod & in acutis Rotulae de ſuccis acidis paratae vi gratiſſima adverſus ſitim ſe commendent:

220. Specimina ſunto.

*

Rotulae Purgantes, Antihelminticae, pro puero: ad exemplum H. Boerh. Mat. Med. p. 252.

℞. *Semin. Abſynth.* drach. ij.
Mercur. dulcis ſcrup. ij.
Diagrydii drach. j.
Sacchar. Aq. ſtill. Tanaceti ſoluti unc. ii ß.
M. exactiſſimè F. Rotulae.

S. Ut in fronte. *Doſis drach.* j. ij. ad iij. *alternis diebus, manè, vacuo ventriculo capienda.*

*

Aliae contra Dolores a Partu. Vide l. c. p. 236.

℞. *Matris Perlar.*
Coral. rubr. ppt. ana drach. ij.
Laudan. pur. gr. VI.
M. exactiſſimè, dein cum
Sacchar. Aq. Cinnam. ſolut. & inſpiſſat. unc. ij ß.
Redige in Rotulas, paullo ante effuſionem addendo
Ol. Cinnam. ſtillat. gutt. IV.

S. Ro-

S. *Rotulae Anodynae. Capiat drach.* ij. *omni hora, ſuperbibendo Vini Rhenan. cochleare, donec dolor miteſcit: dein detur tantumdem mane ſaltem & veſperi.*

*.

Rotulae Cardiacae.

℞. *Extract. eſſential. Croci.*
Cinamom.
Ol. ſtill. Chamom. ana gutt. x.
Caryophyll. gtt. ij.
Cinabar. nat. pur. ſubtiliſſ. trit. dr. iij.
Sacchar. albiſſ. unc. ß.
Accurate ſubacta immiſce celeriter
Sacchar. albiſſ. aq. pur. ſolut. & ad conſiſtentiam tabulati incoct. prius ab igne remoti unc. ij.
Ut F. l. a. Rotulae.

S. Ut ſupra. *Capiantur pro neceſſitate.*

*

Rotulae Roborantes ventriculum debilem, frigidum.

℞. *Ol. ſtillat. Menth.*
Abſynth. ana gutt. x.
Eſſent. Myrrh. drach. ij.
Sacch. albiſſ. aq. Menth. ſolut. & inſpiſſ. unc. v.
F. l. a. Rotulae.

S. *Rotulae Stomachicae. Capiat drach.* ij. vel iij. *ter, quater de die, horis medicis.*

*

Aliae adverſus Sitim.

℞. *Sacch. albiſſimi, ſubtiliſſ. pulveriſ.* unc. iij.
Leni igne calefactis immiſce
Succi pomi Citrei rec. drach. v.
Flaved. ejusdem tenuiter raſae, ſcrup. j.
F. l. a. Rotulae.

S. Ut in fronte. *Unam alteramve ore detineat aſſiduè.*

Nota. *Saccharata reliqua, olim inter Medicos uſitata*, Paſtam regiam, Maſſam panis, Pineolatum, Muſtaceum, Buccellatum, &c. *quid opus commemorare? Cum e pharmacopoliis hodie relegata ad piſtores dulciarios tranſierint.*

De

Infuſis Internis.

221. INFUSUM eſt medicamentum internum, fluidum, ex menſtruo liquore, materiae idoneae parte aliqua, ope macerationis, citra ebullitionem, imbuto conſtans. Diverſitas menſtrui, praeparationis, aliarumque conditionum, varia huic nomina peperit. Infuſum ad doſin unicam praeſcriptum, quocunque caeterum menſtruo, materie, modo, paratum, *Hauſtus* dicitur: ad plures, ſimpliciter *Infuſum* aut & *Thea Medicata* audit, ſi Aqua pro menſtruo eſt. Si vero Lac, Serum hujus, Vinum, Cereviſia, Hydromel, &c. menſtruorum vice funguntur, ab his nomen accipit formula. Si Spirituoſus liquor loco menſtrui fuerit, quandoque *Tinctura* cluet.

cluet. Si tandem Aromata materiem dant, pro menſtruo autem eſt Aqua ſimplex, aux ſtillatitia quaedam, gratior, aut Vinum, vel Spiritus Vini, & multum Sacchari accedit & depuratio limpidiſſima, ut medicamentum jucundiſſimi uſus emergat, *Clareti* vel *Nectaris* nomen dari ſolet: ſigillatim tamen *Vinum Hippocraticum* dicitur, ſi baſin Aromatum conſtituit Cinnamonum, & Vinum pro menſtruo eſt, liquorque trajectu per manicam, quam vocant, Hippocratis, ad ſummam claritatem deducitur. Neque hic variarum denominationum finis eſt, ſi univerſum genus Infuſorum, tam officinalium, quam magiſtralium, ſpectes. At poſteriorum modo rationem hoc loco habemus (6.).

222. MATERIES triplex eſt, *Menſtruum* ſeu *Solvens*, *Solvendum*, denique *Acceſſorium*.

α. Menſtruum eſt vel (1.) *Aquoſum*: ut Aqua ſimplex, ſtillatitia, Lac, hujus Serum, Decoctum aliquod aquoſum, Phlegma Vitrioli, &c. Vel (2.) *Vinoſum*: ut Vina Uvarum, Moſellanum, Rhenanum, Gallicum, Hiſpanicum, &c. Ribium, Berberum, Ceraſorum, &c. Hydromel, Cereviſia, Muſtum. Vel (3.) *Spirituoſum*: ut Spiritus Vini vulgaris, aut arte purior, Frumenti, Juniperi, aliique ardentes fermentati, ſimplices, vel compoſiti. Vel (4.) *Mixtum* ex praecedentium (1. 2. 3.) duobus vel tribus, varia proportione.

β. Materiem ſolvendam praebet, quidquid, interno uſui aptum, virtute gaudet medicata, per macerationem frigidam calidamve, ſine ebullitione, in

menſtruorum (α.) aliquod tranſeunte: cujusmodi plurima offert regnum Vegetabilium, multo pauciora Foſſilium & Animalium.

γ. *Acceſſoria* ſunt, quae prioribus (α. β.) vario fine ſuperadduntur, poſſuntque ad duo genera referri. Alia (1.) ſolutionem promovent vel acuendo menſtruum (α.), vel materiem ſolvendam (β.) aperiendo, vel denique huic illud accommodando: cujusmodi habentur maximè ſalium varia genera, acida, alcalina, neutra; quin &, licet rarius, ſpiritus ardentes, fermentati, ſimplices, aut vegetantium aromaticorum virtute impraegnati. Et iſta quidem ante infuſionem, vel ſub ea, menſtruo aut materiae ſolvendae admiſceri ſolent. Alia vero (2), peracta jam infuſione & ſolutione, adduntur in augmentum virtutis medicatae, vel correctionem noxiae injucundaeve qualitatis, hinc adjuvantium aut corrigentium vices implent. (78. 83.) Quo pertinent Syrupi, Elaeoſacchara, Mel, Confectiones molles, Tincturae, Eſſentiae, Spiritus, Vinum, Aquae ſtillat. &c.

223. Delectus tamen hic, ſi uſpiam, omne fert punctum. Neque hunc quis aptè fecerit, quem natura rei extrahendae (222. β.), vis ſolvens menſtruorum (ibid. α.), & acceſſorii (γ.) reſpectu horum & illius efficacia, latent. Quum igitur cognita haec ſupponamus (7. β. γ. 8. 104.); paucis, quae huc ſpectant, complectimur.

α. *Aqua* ſolvit ſales, gummi, mucilaginem, ſapones, ſpiritus rectores. Id praeſtat eò ferè felicius, quo

quo purior eſt, minusque permiſta, aut ſaturata prius heterogeneis. Non ſolvit olea meraca, pinguia, balſama, reſinas, ſulphura; niſi juvetur ſale alcalino, ſaccharo, acceſſu ſpiritus fermentati. Nec ſola lapides, terras, metalla, ſemimetalla, ſolvit. Aptatur tamen & his ſale acido, quandoque & neutro vel alcalino. Neque etiam prorſus nihil eſt, quod in aquam ſimplicem ſubit, cum id genus materiae prius candefactae ſemel aut pluries in ea extinguuntur: qui praeparandi modus, cum ibidem Magiſtralis (6) ſit, omnino ad hunc locum referri debet.

β. *Alcohol Vini* ſolvit ſpiritus rectores aromaticos, olea ſimilia, balſama, reſinas, ſapones teneriores, ſales alcalinos volatiles, ex parte etiam fixos ſiccisſimos. Saccharinos quoque & nonnullos neutros: plerosque tamen alios, tum & lapides, terras, non adeo ſolvit; neque & metalla, ſemimetalla, ſulphur, gummi: haec tamen alcali fixi interventu aggreditur.

γ. Quum igitur *Spiritus ardens* conſtet Alcohole, Aqua, Acido, varia proportione, pro majore vel minore puritate, inter ſe permiſtis; patet ex (α. β.), quid de menſtrua Spirituoſorum virtute (222. α. 3.) ſtatuendum.

δ. His ipſis principiis (γ.) ſi addideris tenuatum oleum, utcunque ſimilis, ac Alcohol, menſtruae virtutis, habes praecipua, e quibus *Vina* (222. α. 2.) coaluerunt; ita tamen, ut ſpiritu alia gaudeant copioſiore, alia parciore, acido alia liberiore, alia per oleum magis obvoluto, aut ob plurem terram auſteriore. Unde & horum vis ſolvens intelligitur.

Muſtum, etſi longe diſcrepat a natura vini, hanc ipſam tamen induit fermentatione, quae materiae infuſae macerationem comitari ſolet.

ε. *Aquoſa* (α.), in quibus, praeter aquam, materies oleoſa, ſalina, aut ſaponacea ineſt, quamnam inde novam conſequantur virtutem menſtruam, facile ex dictis (α. ad δ.) eruere licet.

ζ. Conſtat hinc etiam, quaenam *Materies* (222. β.) ex triplici naturae regno huc quadret; modo notetur, non ebullitione, ſed frigida ſaltem calidave maceratione (221.), ſolutionem hic promoveri.

η. Ex Vegetantibus ergo ea potiſſimum conveniunt, quae vel per ſe, calore leni, aut cum aqua ebulliente, tractata, aquas & olea praebent ſtillatitia, medicata (*a*): tum Succi denſi, ſaponacei, gummoſi, reſinoſi, aut ex his compoſiti: dein &, quorum virtus, ad ignem fixior, in parte haeret menſtruis hic uſitatis ſolubili (α. β. γ. δ. ε.), nec tam profunde reliquis immerſa, quin citra ebullitionem queat elici: cujuſmodi dantur plurima in claſſibus Emeticorum, Purgantium, Demulcentium, Emollientium, Adſtringentium, Vulnerariorum, Refrigerantium, Aperientium, Saponaceorum, Stimulantium, Roborantium, &c.

θ. Regnum Animale vix multa, praeter Inſecta aliquot, tum Caſtoreum, Moſchum, Zibethum, Calculos quoſdam & Stercora, ſuppeditat. Foſſile praeprimis Succina, Sulphura, Cuprum, Ferrum, Antimonium, & ex his praeparata.

ι. Cum

(*a*) Vide H. Boerhaave Elem. Chem. Vol. II. Proc. I. XV. XXIII.

ι. Cum vero materies, hactenus (η. ϑ.) expoſita, haud promiſcuè menſtruis quibusvis (α. ad ε.) accommodata ſit; curandum, ut illi, ex arte prius ſelectae, quod ad principia extrahenda cognitae, maxime idoneum jungatur ſolvens. Sin minus conveniat unum, combinanda duo. Si nec ita aptum parari poteſt, aut indicatio repugnat; *Acceſſoriis* (222. γ. 1.) utendum. Horum vero & virtus & ſelectio liquet ex (loc. cit. & 223. α. ad ε.)

κ. Caeterum, quousque fieri poteſt, odore & ſapore injucundiora vitentur; maximè cum pro infantibus, delicatulis, aut potu familiari, praeſcribitur. Tenuitas etiam limpida Infuſis gratiam conciliat.

λ. *Acceſſoriis* alterius claſſis (222. γ. 2.) ſaepe non opus. Si tamen requiruntur, ſint in eodem menſtruo integrè ſolubilia, ſine praecipitatione prius ſolutorum. (Confer. 102. ι. κ. λ. μ. ν.). Corrigentibus ſi uteris, cave, ne abutaris. (Vide 84. 85. 96. ad 103.)

μ. Numerus ingredientium hic paullò major conceditur. Ne tamen quid nimis (31. 33.).

224. Ordo infundendis primum defert locum: atque haec inter Vegetantibus Animantia, his Foſſilia, poſtponit. Qui minutias curant, iterum Vegetantium partes ita digerunt, ut primae ſint Radices, tum Herbae, Folia, Summitates, Flores, Semina, Baccae, Ligna, Cortices, Aromata, Fructus, Succi, denique, ſi quae accedunt, Purgantia cum ſuis Corrigentibus. Infundendis ſubjunguntur

Ac-

Acceſſoria primae claſſis (222. γ. 1.). Sequitur Menſtruum. Claudunt agmen Acceſſoria claſſis poſterioris (222. γ. 2.).

225. Dosis pro materiae infuſae & menſtrui efficacia, Medici ſcopo, aegri aetate, facilitate, &c. (66.) variis, major minorve eſt. Aquoſa ferè ab unc. j. ad iij. v. vi. Vinoſa ab unc. ß. ad j. ij. iv. Spirituoſa a drach. ij. ad unc. ß. j. exhibentur. Quandoque & hic uſu veniunt regulae (67. δ. ε.). Saepe tamen nec pondere determinatio fit, ſed menſurâ: v. g. ad cochleare j. ij. &c. cyathum, vaſculum Theae aut Coffé hauriendis dicatum, &c. aut quantum libet pro potu ordinario. Tandem, ſi materies ipſi aegro vel adſtantibus, partitis vicibus, inſtar infuſi herbae Theae, cum aqua fervente committitur infundenda, hujus drach. ij. iij. unc. ß. aut quantum pugillo, digitabulo, cochleari, vaſculo Theae potui ſerviente, capi poteſt, ſimul adhibendum jubetur.

226. Quantitas Generalis, vix conſtantes agnoſcens limites, unicam modo doſin (225.) quandoque complectitur: quod in Emeticis, Purgantibus, &c. cum aqua vel vino infuſis, obtinet. Frequentius, cum alterandum aut per epicraſin purgandum, lib. j. ad iv, & plures, ſimul praeſcribuntur: prout indicatio, aliaeve conditiones, exigunt. (Conf. 67. 68. 92. δ.). Pretium nonnulla exhibere jubet parcius (66. ξ.): quare Infuſum Lapid. Hyſtricis ad unc. iv. vi. viij. ſaltem datur. Aliquando cereviſiae aut vina medicata, pro familiari potu, aut

aut longos in uſus, ad $\frac{1}{4}$ vel $\frac{1}{2}$ partem tonnae praeſtituuntur. Ex his, & mox de proportione dicendis, haud difficulter colligitur, quantum materiae infundendae ſimul exhibendum, ſi hujus infuſio aegro vel adſtantibus committitur perficienda.

227. Proportio ingredientium mutua, generalibus itidem regulis haud figenda, pro materiae infundendae, menſtrui, uſus, ipſiusque aegri, variis conditionibus plurimum variat. Notetur ergo

α. Materiem (222. β.) utplurimum duplo, triplo, imò & quadruplo majore quantitate pro doſi exhiberi in infuſo, quam in ſubſtantia, ut vocant: prout nimirum virtus ejus per minus majusve volumen eſt diffuſa, aut tota, vel ſaltem ex parte, adhibito menſtruo elici valet.

β. Herbas, Folia, Comas, Flores, hic ſaepe ad manipulos vel pugillos, Fructus ad numerum (111. β.) praeſcribi: Emetica tamen & Purgantia pondere determinanda eſſe. Aſari ſaltem folia exceperis, quae numero frequentius praeſtituuntur.

γ. Caeterum materiae (222. β.) eam capi quantitatem, quae effectui & doſibus (225. 226.) deſideratis ſufficiat: neque ſtrictiores regulas hic in genere poſſe ſtatui. (Confer. 87. 88. 227. α.).

δ. Menſtrui (222. α.) etiam, ratione materiae infundendae, laxiſſimam eſſe proportionem: ſaepiſſime quidem ſextuplam, octuplam, duodecuplam: alias tamen & quadruplam ſaltem: aliquando longe ma-

majorem, vigecuplam, trigecuplam, & vel ad centuplam usque, imo ultra.

ε. Scilicet ut ſpecifice gravior eſt, leviorve materies; virtus ejus magis minusve coacta, ſolutu facilior aut difficilior; menſtruum ipſum potentius aut debilius; & prout ſcopus requirit liquorem vi medicata magis minusve ſaturum; ita menſtrui minor majorve capienda quantitas.

ζ. Porro, quae infantibus, delicatis, aut prò potu familiari, exhibentur, vel injucundiore conſtant materie, majorem fere menſtrui proportionêm exigunt. Hinc ad Clareta, Muſta, Cereviſias Medicatas, praeprimis ope fermentationis parandas, menſtruum triceſies, imò centies & ultra quandoque, materie infundenda majus eſt.

η. Acceſſoria primae claſſis (222. γ. 1.), prout vel ex ſe debiliora ſunt aut potentiora, vel materies magis minusve refractaria, vel menſtruum fortius aut imbecillius, magis minusve accommodatum; ita majore minoreve quantitate adduntur: ut hinc eorum drach. j. vel ij. quandoque ad ſingulas menſtrui libras recipiantur, alias tamen longe minus. Spirituoſa interim & liquores ſalini (ibid.) non definitâ ſaepe copiâ adſcribuntur, ſi tantum irrorationi materiae, uti plerumque, ſubſerviunt.

ϑ. Acceſſoria alterius claſſis (222. γ. 2.) adduntur ea proportione, qua ſcopo intento ſufficiunt. Neque hic limes ullus generalis obtinet. Sacchari tamen, & ſimilium, pars j. ferè ad part. VIII. vel

x. li-

x. liquoris communiter recipitur: in Claretis vero (221.) pars dimidia, tertia, vel quarta, ratione menſtrui. Alias & ipſius aegri arbitrio relinquitur dulcatio. (Conf. 85. 90.). In genere cavendum, ne ſpiſſitas, aut dulcedo, modum excedat.

228. Subscriptio alia eſt, ſi, quidquid huc pertinet, pharmacopœo committitur; alia, ſi materies infundenda tantum ab eo petitur, aegro vel adſtantibus infuſionem ipſam curaturis.

229. Si prius (228.); injungitur.

α. Materiae ad infuſionem Praeparatio. Haec poſtulat.

1. Comminutionem ejus in craſſum pulverem, quae ſciſſione vel tuſione fit, & omittitur circa pulverulenta, Limatur. Mart. v. g. Cineres Vegetantium, &c.

2. Colligationem in nodulum, petiam, vel ſacculum, ex ſindone aliave materie paratum: quae uſu venit, ubi ſaturatior haud repoſcitur extractio; aut colatione ſuperſedere animus eſt, cavendumque nihilominus, ne ingredientium particulae liquorem turbidum reddant, vel cum hoc degluttiantur; aut materies valdè ponderoſa in menſtruo ſuſpendi debet, ne in fundo ſeſe compingens difficilius ſolvatur. Unde vel omnia ingredientia ſimul, vel horum ſaltem aliqua ſigillatim ſic coërcentur. Si poſterius, uſitatum eſt id non adeo in ſubſcriptione, ſed potius in ipſa materiae deſignatione commemorare, ſcribendo v. g. ℞. *Limatur. Mart. in nodul. lig.*

3. Ir-

3. Irrorationem, ſi liquido utimur acceſſorio (222. γ. 1.), v. g. Spiritu Vitrioli, Sulphuris, Vini, Roſarum, &c. Quin & aqua fervens hic nonnunquam ex uſu eſt, cum aridiora caloris humidi ope emollienda ſunt, ut menſtruo frigido facilius pateant.

4. Ignitionem, ſi hujus ope menſtruus liquor virtute medicata impraegnandus eſt (223. α.).

5. Vas aptum, cui materies immittatur. Id tamen rarius adſcribitur; niſi cum metuenda virtutis diſſipatio phialae Chemicae uſum hic commendat, aut fermentatio cum cereviſia vel muſto inſtituenda dolium exigit, aut denique naturae ingredientium vaſa ex quacunque materie confecta non conveniunt.

β. *Infuſio*, quae menſtruo perficitur calido vel frigido. Aquoſa ſola (222. α. 1.) infunduntur calida vel fervida: caetera (ibid. 2. 3.) frigida. Quodſi ſpecies (223. α. 229. α. 4.) obtinet, materies ignita, quoties libet, in liquorem frigidum projicienda aut intingenda jubetur.

γ. *Maceratio*, quae itidem frigida vel calida eſt.

Priore utimur, cum vel levior tantum poſcitur extractio; vel materies minus refractaria, menſtruumque adeo potens eſt, ut calore nullo opus; vel alterutrius incongrua per calorem alteratio praevidetur. Calida uſu venit, ubi properanda eſt ſolutio, & modo dictis obtinent contraria. Tum vero vel ſuſtine-

ſtinemus infuſionis calorem (β.), vel hanc frigidam calore deinceps admoto fovemus. Is vero vel ita dicta inſolatione, vel digeſtione in loco aut furnulo apto, balneo maris, cinerum, arenae, &c. vario quidem gradu, ſemper tamen citra menſtrui ebullitionem (221.) excitatur; prout magis minusve favet anni tempus, ſolutio facilis vel difficilis eſt, aut citius tardiusve peracta requiritur. Quandoque & interpoſita ſubinde concuſſione promovendam jubemus extractionem.

Tempus macerationis vel determinatur ex effectu, dum color, ſapor, odor, docent vim expetitam in menſtruum tranſiiſſe; vel ſaepiſſimè ad horas, dies, noctes, &c.: prout vel ex indole menſtrui & materiae ſolvendae magis minusve prompta cognoſcitur extractio, vel haec ſaltem ſuperficiaria aut intimior exigitur.

Vas ſub maceratione claudendum ferè ſemper jubetur; niſi vel ejus conſtructio id minus poſtulat, vel macerationis modus prohibet. Illud Phiala, hoc Fermentatio docet.

δ. *Depuratio.* Haec autem

1. Non neceſſaria eſt, cum materies nodulo incluſa (α. 2.) maceratur: tumque peracta extractione debita vel relinquitur nodulus ſub uſu etiam in liquore ſuſpenſus, vel exemtus fortiter exprimitur; ut liquor magis ſaturetur.

2. Vel ſpeciebus laxis, non valde levibus, quiete & mora perficitur; ut de materie non ſoluta, ſen-

ſim in fundum collecta, purius liquidum queat defundi, ultima hujus parte turbida vel relicta, vel colo filtrove repurgata: qui modus Vinis, Cerevifiis Medicatis, Infuſis Spirituoſis, maximè convenit.

3. Vel trajectu omnis liquidi per colum aut manicam Hippocratis: ubi rurſus ſub finem expreſſio fortis materiae injungitur, ſi ſaturatior, nec limpidiſſimus deſideratur liquor, & textura materiae poroſior multum liquidi retinet. Infuſa Aquoſa, Vina Hippocratica, Clareta, ſic purgantur. Quin poſteriorum claritas addito quoque ante colationem lacte, feces inviſcante, augetur.

4. Vel filtratione per chartam bibulam, quae, dum & nitidiſſima eſt & tardiſſima, adhibetur, ubi ſumma claritas, & exactiſſima materiae non ſolutae ſeparatio exigitur, neque interim magna datur quantitas filtrandi, nec acrimonia chartam adeſura. Infuſis Spirituoſis, tum Vinis Emeticis, Antimoniatis, hinc convenit.

5. Cavendum vero in (3. & 4.), ne volatilia etiamnum calida ſic tractentur, jacturam quippe virtutis factura.

ε. *Admiſſio Acceſſoriorum* (222. γ. 2.): ubi, praeter (223. λ.), notandum, in Vinis Hippocraticis & Claretis ſaccharum & ſimilia ante depurationem (δ. 4.) addi; ut ſimul trajecta minus turbent liquidum. In ceteris autem puro demum liquori admiſcenda jubentur.

ζ. *Receptaculum* praebet plerumque vas vitreum, oris

oris anguſti; cujus & obthuratio exacta commendatur, ſi liquoris corruptio, aut volatilium diſſipatio, a liberiore aëris acceſſu metuitur.

230. Si verò materiem tantum praebet pharmacopœus (228.); omnibus (229. α. 4. ad 230.) omiſſis, comminutio ſaltem, mixtio & colligatio in nodulum (299. α. 1. 2.), ſi opus eſt, injunguntur, ſubſcribendo v. g. *Conſciſſa*, *tuſa groſſo modo*, *M.* Quodſi ſpecies laxae exhibendae, additur: *F. Collectio*, vel *Species* vel *D. ad Chartam*, vel *Scatulam*; quippe quae tum loco *Receptaculi* eſt. Si autem in nodulum colligandae, adponitur: *Includantur nodulo* vel *ſindoni*. Irroratio (229. α. 3.) tamen alias pharmacopœo, alias aegro, committitur: ſi poſterius, liquorem eò adhibendum, niſi vulgaris eſt, unà cum materie ſaltem exhibet pharmacopœus.

231. Signatura itidem diſcrepat pro diverſitate (228. ad 231.). Unde

α. Si obtinet (229.), nomen formulae varium imponitur, prout menſtruum (222. α.), materies ſoluta (ibid. β.), acceſſoria (ibid. γ.), quantitas generalis (226.), depuratio (229. δ.), ſunt diverſa. Videantur autem ſupra (221.) dicta. Ubique nomini addi poteſt virtus, ac deinceps reliqua, quae ad uſum pertinent, ſubjungi, facile intelligenda ex (113. 225.). Monendum inſuper quandoque, praeſertim tempore aeſtivo, & quantitate generali majore (226.), vas continens liquorem loco frigido eſſe reponendum, ne fermentatio, acor, ſitus, noceant.

β. Si (230.) locum habet, & materies ſindoni incluſa datur (229. α. 2.), *Nodulus* vel *Petia* audit: ſin exhibetur ſoluta, *Species*, *Collectio* aut & *Thea Medicata*, ubi, inſtar Theae vulgaris, paullatim infundi debet (225.), appellari ſolet. Virtutem hic quoque addere licet. Dein adſcribitur, quo menſtruo, modo, proportione, ordine, tempore, &c. infuſio, maceratio, depuratio, inſtituenda ſit, prorſus uti in caſu (229.) poſtulat ſubſcriptio, terminis tamen atque encheireſibus captui & opportunitati aegri vel adſtantium accommodatis (113. ε. ζ.). Reliqua, quae uſum & conſervationem ſpectant, ſimilia hic ſunt, ac (α.).

232. Usus Infuſorum maximè univerſalis eſt, omni ferè morbo, aetati, ſcopo, conveniens; modo & materies, & menſtruum, inter ſe atque indicationi congrua ſeligantur (223.). Infantibus quidem aliquando moleſtior haec formula, dum eminentioris ſaporis odorisve materie conſtat, alias tamen & commode ſub potus familiaris ſpecie inſinuat talia, ad quae ſub aliis formis ingerenda vix adduci poſſunt. Caeterum ut profundiſſimè penetrabilis eſt, ita ſaltem ob minus promptam praeparationem excluditur, ubi mora periculum parit.

233. Specimina ſunto.

*

Vinum Emeticum, Antimoniatum, validè movens. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 145. 223.

℞. *Croci Metall.* gr. viij.
Vini Rhenan. unc. ij.

Stent

Stent in frigida infuſione per noctem: manè per chartam filtratis adde
Oxymell. Scillit. drach. vi.
M. F. Hauſtus.
S. *Hauſtus Emeticus, adulto pro doſi, manè, exhibendus.*

*

Aliud, mitius, pro Infante Rachitico. Vid. Ibid. p. 276.
℞. *Radic. Ypecacuanhae* ſcrup. j.
Vini albi Gallici unc. j.
Sacchari drach. ij.
Infuſa totam noctem, depurata, exhibe manè.
S. *Hauſtus Emeticus pro doſi, manè, capiendus.*

*

Hauſtus Purgans pro Adulto, non inflammans.
℞. *Fol. Senn. mund.* dr. iv.
Liquor. Tart. regenerat. dr. ij.
Aq. ſtill. Cichor. unc. ij.
Foenicul. unc. ß.
Infuſa per noctem frigide macerentur, mane cum expreſſione colatis admiſce
Syr. Roſ. ſol. c. Sen. unc. j.
D.
S. *Hauſtus Purgans pro doſi.*

*

Nodulus Purgans, Roborans, Antirachiticus, Vid. locum ſupra alleg.
℞. *Rhei ſelecti* unc. ß.

Myrobalan. citrin. ſine nucleis. drach. iij.
Agaric. trochiſcati ſcrup. ij.
Conſciſſa, tuſa, groſſo modo, miſta, incluſa nodulo, D.

S. *Nodulus pro Cereviſia Medicata, qui ſuſpendatur in cereviſiae fortioris lib.* VI.: *haec poſt infuſionem* XXIV. *horarum ſit pro potu familiari quotidiano, per* IV. *hebdomadas continuando.*

*

Nodulus Diureticus, in Hydrope conveniens.

℞. *Ciner. ſtipit. Fabar.*
Geniſtae ana Lib. ß.
Coccionell. contuſ. unc. j.
Incluſa nodulo exhibeantur.

S. *Nodulus Diureticus, cui infundantur Vini Rhenani* lib. IV. *frigidae: ſtent per nycthemeron ac saepius ſuccutiantur: tum, relicto intra Vinum nodulo, illius unc.* iij. *ter de die bibantur.*

*

Vinum Roborans, Calfaciens, Nervinum, Febrifugum, Emmenagogum.

℞. *Limat. Chalyb. rec. in nod. lig.* unc. iij.
Rad. Angelic. unc. j.
Contrayerv. unc. ß.
Cort. Peruv. opt. unc. ij.
Caſcarill.
Cinnamom. ana unc. ß.
Myrrh. elect. dr. ij.
Conciſa, tuſa, miſta, exhibe.

S. *Species pro Vino Chalybeato, quibus Vini Hiſpa-*

ni-

nici lib. IV. *infundantur, vaſe clauſo digerantur in ſole, aut leni calore per tria nyctbemera, ac ſubinde concutiantur. Doſis unc.* ij. *quater de die.*

*

Serum Lactis Antiſcorbuticum. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 208.

℞. *Acetoſellae*, m. i ß.
Betonicae.
Chaerophylli ana m. ß.
Tamarindor. unc. i ß.
Conſciſſa infunde cum
Seri Lactis aeſtivi Lib. iij.
Spatio horae, in calore ferè fervido, absque ebullitione tamen, detineantur, dein per linteum expreſſis admiſce
Syrup. e Succo Citri.
Rubi Idaei.
Violacei ana unc. j.

S. Ut in fronte. *Bibat hujus unciam unam omni ſemihorio interdiu.*

*

Thea Medicata, Antiphthiſica. Vide. l. c. p. 213.

℞. *Rad. Caryophyllat. mont.* unc. ij.
Glycyrrhiz. unc. i ß.
Herb. Veronic.
Hederae terreſtr. ana m. j.
Flor. Hyperic. pug. iij.
Centaur. min. pug. ij.
Semin. Foenicul. dulc. drach. iij.

Conſciſſa, tuſa, miſta, D. ad chartam,

S. *Thea Pectoralis. Hujus quantum vaſculo Theae potui dicato capi poteſt, infundatur cum aquae ferventis* VI. *vaſculis ſimilibus: ſtent vaſe clauſo, calida, per aliquot minuta, tum bibat omni hora vaſculum, in quo prius diſſolutum ſit Mellis virginei cochlearculum.*

*

Infuſum Picis liquidae.

℞. *Picis liquidae* unc. j.

In ollam recentem, vitreatam, immiſſae, ſub jugi agitatione cum bacillo ligneo, affunde

Aq. pluviae pur. frigid. unc. XII.

Stent quieta per noctem ſine calore: mane per bibulam filtrata exhibe.

S. Aqua Balſamica. *Capiat mane, a ſexta ad meridiem usque, quovis biborio* unc. ij.

*

Infuſum Antihydropicum, fluorem lymphae concilians, pro plebejo. Vid. H. Boerh. l. c. p. 218.

℞. *Rad. Ariſtoloch. utriusque* ana unc. iß.
Zingiber.
Raphan. ruſtic.
Bulb. rec. Scyllae. ana unc. .
Summit. Abſynth. vulg.
Centaur. min.
Bacc Juniper. ana unc. j.
Sal. Abſynth. unc. ß.

Conſciſſa, tuſa, miſta, D. ad Chartam.

S. *Spe-*

S. *Species. Infundantur cum Spiritus Juniperi vulg.* lib. VI. *inſolentur per aliquot dies, vaſe clauſo, tum bibat unc.* j. *quater de die, cum regimine.*

*

Claretum Vinoſum Purgans & Roborans.

℞. *Rad. Calam. aromat.* drach. VI.
Cort. Magellanic.
Rhubarb. opt.
Fol. Senn. ſ. ſtip. ana unc. ß.
Agaric. trochiſcat. drach. iij.
Cinnamom. acut. drach. ij.
Cubebar. drach. j.

Conſciſſa infunde in *Vini Rhenani opt.* lib. IV, per triduum, vaſe clauſo, loco tepido, ſubinde concute, tum adde *Sacchari alb.* lib. ß. trajice aliquoties per manicam Hippocratis. D. uſui.

S. Ut in fronte. *Doſis mane unus vel & alter cyathus.*

*

Claretum Aquoſum, Cardiacum, ad ſitim in Febribus aeſtuoſis, putridis, reſtinguendam.

℞. *Conſerv. Roſar. rubr.* unc. j.
Calendul.
Violar.
Betonic. ana dr. vj.

In mortario lapideo, piſtillo ligneo, contritis inſtilla
Spir. Sulph. per camp. gutt. xxx.

Accurate ſubactis dein paullatim admiſce
Aq pluv. coct. frigid. lib. iij.

Commiſta relinquantur per ½ horam, tandemque per manicam Hippocratis aliquoties trajiciantur, ut limpidiſſimus fiat liquor, qui addito *Syr. Rub. id.* etiam dulcior reddi poteſt, ſi opus videatur.

S. *Bibat aeger, quantum ſitis exigit.*

*

Claretum Spirituoſum, Cardiacum, Calfaciens, Antiſepticum.

℞. *Fruct. matur. Ceraſor.*
Ribeſior. rubr.
Rub. id. ana lib. j.

In mortario marmoreo, una cum nucleis, contuſis ſuccus exprimatur. Tum porro

℞. *Caryophyll. ar.*
Piper. alb. ana dr. ß.
Macis ſcr. j.
Sem. Coriandr. dr. j.

Contuſis ruditer atque in lagenam immiſſis adfunde.

Succi prioris quantum habes
Spirit. Vin. Rhen. pint. j.
Sacchar albiſſ. lib. ß.

Lagena exacte clauſa inſoletur, aut leni calore digeratur per quatriduum, ac quotidie aliquoties concutiatur. Fiat tandem colatio per manicam Hippocr. ad perfectiſſimam limpiditatem.

S. *Liquor, aegris ſaniſque jucundiſſimus, ad unc.* j. *aut* ij. *capiatur in languoribus.*

Cere-

*

Cereviſia Antiſcorbutica. Vid. H. Boerh. l. c. p. 204.

℞. *Fol. recent. Cochlear.*
Erucae.
Eryſimi.
Trifol. aquat. ana m. j.
Semin. rec. contuſ. Naſturt. hort.
Raphan. hort. ana unc. ij.
Flor. Centaur. min. unc. j.
Rad. Raphan. ruſtic. unc. iij.
Enul. camp. unc. v.

Conſciſſa reconde in Cereviſiae recentis & ferveſcentis ½ dolio.

S. *Sit pro potu quotidiano, vel mane & veſperi poculum.*

De Decoctis Internis.

234. DECOCTUM, *Apozema*, eſt medicamentum internum, fluidum, ſimile Infuſo (221.), ſed menſtruo liquore cum materie ſolvenda ad ignem ebulliente paratum. Unde ejus ab Infuſo (l. c.) diſcrepantia patet. Variis id quoque nominibus gaudet, quae quousque hodie in uſu ſunt, infra tradentur.

235. MATERIES hic in genere eadem, quae Infuſi (222.), trifariam quoque dividitur: in *Menſtruum* nempe, *Solvendum*, & *Acceſſorium*.

α. Menſtruum itidem huc adhibetur triplex: *Aquoſum, Vinoſum, Spirituoſum,* uti ad Infuſa (222. *α.*).

β. Ma-

β. *Materies Solvenda*, pariter ex triplici naturae regno deprompta, talis hic requiritur, quae aptam uſui interno virtutem, vel plane non, vel difficilius tardiusve ſola maceratione (229. γ.) eliciendam, ope ebullitionis tamen cum menſtruo (α.) communicare queat illibatam.

γ. *Acceſſoriorum* idem hic uſus, eadem generalis obtinet diviſio, ac in Infuſis (222. γ.). Quin & eorum, quae ad primam claſſem (ibid. 1.) pertinent, eadem natura eſt. At poſteriora (ibid. 2.) ex parte diſcrepant: uti delectus indicabit.

236. Delectus ex arte faciendus, praeter dictorum (223.) notitiam, exigit quoque compertam ignis hic adhibendi (234.) actionem in menſtruum & ſolvendum (235. α. β.). Sed & hanc noſſe poteſt tiro ex illis, quas hic ſuppono cognitas, ſcientiis (7. β. γ. 8. 104.). Breviter itaque moneo,

α. Aquoſi, prae aliis menſtruis, frequentiorem in Decoctis eſſe uſum; cum ebulliendo minus, quam reliqua, enervetur aut mutetur. Quare nec aquis ſtillatitiis adeo hic locus eſt. Si enim adhibueris efficaces, coctione virtus diſſipatur; ſi inertes, quid inde boni prae aqua ſimplice? Mulſa veteribus praeprimis placuit: nec ſemper ineptè. Hodie tamen potius Mel Decocto addimus jam parato. Aqua quò purior eſt, eo ferè felicius ſolvit (223. α.).

β. Vinum, aptius Infuſis, utcunque vaſe clauſo, aut vaporum exitui obſtante, coxeris, in pejus ſemper abit. Peracta igitur ebullitione, ſi eo opus eſt, addi malim. Muſtum exceperis, quod, Mulſae ſimile,

mile, aquoſis potius annumerandum, niſi fermentando Vinum fiat.

γ. Spirituoſa (222. α. 3.) tamen, in phialis Chemicis, ſine notabili jactura aut alteratione, ebullitionem ferunt; ut ideo Vinis ad hoc opus magis ſint idonea.

δ. Menſtrua vis ſingulorum (235. α.) eadem eſt, quae deſcripta (223. α. ad ε.), intenſior ſaltem ob accedentem ebullitionis motum: qui ipſe tamen, ut juvat, ita ſimul & diſſipat principia volatilia, & teneriora ſaepe mutat, & quandoque juſto plura elicit.

ε. Calor interim ebullitionis haud idem eſt in omnibus. Spiritus leniore, quam Vinum, Aqua utrisque majore demum ebullit: cui differentiae effectus (δ.) itidem reſpondent.

ζ. Quin fortitudo etiam & duratio coctionis minor majorve multam hic affert diverſitatem; ut ſint, quibus longior validiorve noceat, ſint, quibus proſit & vel maxime ſit neceſſaria.

η. Patet hinc Materiem (235. β.) aptè decoqui, ſi virtus ejus expetita per menſtruum determinatum (235. α. 236. α. ad δ.) ſolubilis eſt; neque tamen aequè commode aut tam cito, ac requiritur, per macerationem, uti per ebullitionem (δ. ε. ζ.) extrahitur; nec vi coctionis diſſipatur; nec mutatur; nec alia virtute, minus ſcopo apta, ſimul elicitâ, pervertitur.

ϑ. Idonei ergo menſtrui ſelectio, aut ex ſe minus ſufficientis per acceſſorium aptatio, ut in Infuſis

(223. ι.),

(223. ι.), ita & hic maximè requiritur, iisdemque legibus (l. c.) definitur : neque enim ebullitio accedens vim ſolventem adeo mutat, ſed tantum auget.

ι. Antecedens dein juſta praeparatio materiem, alias decoctioni inhabilem, huic accommodare valet. Quo pertinet comminutio & maceratio praevia, durioribus, aridis, difficulter ſolvendis, utiliſſima, nec unquam omittenda.

κ. Vas etiam cocturae adhibendum ſi ritè delegeris, ea quoque decoques fructuoſe, quae alias operi huic inepta forent. (Vid. γ. & 229. α. 4. tum de *Subſcriptione* poſt dicenda.).

λ. Minus ideo rectè decoquuntur cum Aquoſis meracis Terrea macilenta, Lapidea, Reſinoſa, Sulphurea, Pinguia: vix enim quidpiam dant boni, niſi acceſſoriis utaris (223. α.).

μ. De Metallis & Semimetallis non Salinis idem (λ.) verum: quamvis tamen ignitione praemiſſa, aut longa fortique coctura, mutare quodammodò aquam videantur (23. α.). Unde Argentum vivum, Antimonium, &c. in Decoctis parandis adhibere non inuſitatum eſt.

ν. Ex pleriſque Animantium partibus ſiccis vix, niſi coctione diu protracta, quidpiam elicueris. Cum paucis tamen aliis, Lapidem Hyſtricis, eo ſi referre volueris, excipe; quippe qui frigida etiam maceratione ſolvitur.

ξ. Quae macerando vim ſuam in menſtruum transfundere valent, coctione neutiquam torquenda; quum

quum calor major talia fere ſemper plus minusve mutet. Lenior interim breviorque ebullitio, dum ſolutionem accelerat, ferri hic poteſt. Molles, tenerae, recentes, Vegetantium partes hujus ſunt cenſus.

ο. Quae virtutem coctura avolantem habent, potius infundenda ſunt: ſin coctio requiritur, mitior haec, brevior, & in vaſe idoneo, inſtituenda (ζ. κ.). Huc pertinent Aromatica, Alcaleſcentia, Aquarum & Oleorum deſtillationi apta (*a*).

π. Quorum virtus ebullitione in aliam, minus ſcopo reſpondentem, mutatur, vel non, vel leniter ſaltem, nec diu, decoquenda. Aſarum coctum magis Diureticum, quam Emeticum eſt. Glycyrrhiza diu cocta amareſcit. Sennae folia longiore coctione purgans exhibent torminoſum, &c.

ρ. Quod ſi virtus tantum ex parte in menſtruum transferri debet, nec tamen difficulter ſolvitur, maceratio potius, aut lenis ſaltem ebullitio ex uſu eſt. Rheum, Myrobalani, &c. diutius cocta vi purganti adſtringentem jungunt. Mucilaginoſa, rad. Symphyti, Altheae, Malvae, ſemina, fructus, ſucci, ſimilia, coctione longa lentorem inferunt liquori injucundum. Amara, uti Abſinthium, Centaurium, Gentiana, Colocynthis &c. evoluto per diuturnam ebullitionem omni amarore, Decocta teterrimi ſaporis exhibent; etſi vel Cretam quoque, Lapides

(*a*) Vid. H. Boerh. Elem. Chem. loco ſupra alleg.

pides Cancrorum, aliasve Terras, pro correctione addideris.

σ. Multum intereſt, recens an fuerit materies decoquenda, an vetuſta, viridis an ſicca; quum illius plerumque longè ſit facilior ſolutio per menſtrua etiam minus accommodata, hujus quandoque difficillima (a): quod maxime de reſinoſis vegetabilibus notandum; ut quae recentia menſtruis aquoſis multo facilius obediunt.

τ. Ubi varia materies ſimul decoquitur, videndum, quousque altera alterius juvet impediatve ſolutionem; tum an omnibus aequa ebullitionis vis & duratio conveniat, nec ne. Sunt, quae ſola iners praebent Decoctum, juncta vero aliis efficax, & contra (235. γ.). Tempora autem coctionis, prout aliis atque aliis varia competunt, paullò poſt terminabimus.

υ. Quod ad odorem denique & ſaporem eadem hic obtinet regula, quae in Infuſis (223. κ.). Spiſſitudo inſuper lenteſcens evitanda (ϱ.).

φ. Acceſſoria claſſis poſterioris (235. γ.) hic uſitata ſunt (1.) ſimilia recenſitis (222, γ. 2. 223. λ.). Sed & (2.) quandoque, ubi volatilium ſub alembico inſtituta ebullitio excuſſit partem virtutis deſideratae, vapores collecti in Decoctum frigeſcens refunduntur. Quin (3.) nonnunquam materies etiam alia,

(a) H. Boerh. Ibid. Vol. II. p. 22. n. 5. 6.

alia, tenerior, vi praedita volatili, infuſioni aptior quam coctioni (223. ζ. η. ϑ.), virtutis augmentum vel gratiam allatura, peracta ebullitione, liquori infunditur ad normam infuſorum (221. ad 223.); ut formula tum, ex Decocto & Infuſo compoſita, *Decocto-Infuſum* audiat.

χ. Ex dictis (φ. 3.) intelligitur Decoctorum *Aromatiſatio*, veteribus uſitata; cui hodie compendioſior Aquarum Aromaticarum, Spirituum, Tincturarum, Elaeoſaccharorum, &c. permixtio ſubſtituitur (222. γ. 2.).

ψ. Numerus ingredientium idem, qui in Infuſis (223. μ.), obtinet.

237. Ordo in genere ſimilis hic obſervatur, ac in Infuſo (224.), ſi materies decoquenda omnis uno ebullitionis tenore tractari, aut ſaltem, ſpecie Collectionis (230.), a pharmacopoeo exhiberi debet. At, ſi cocturam alia longiorem, breviorem alia, poſtulant, rectius eo ordine ſibi mutuo ſubjunguntur, ut primo ſint loco, quae longiſſimam, poſtremo, quae breviſſimam exigunt; niſi pharmacopoei dexteritate freto eſſe liceat. Nota igitur

α. Foſſilia pleraque (236. λ. μ.); Animantium annoſorum oſſa, cornua, carnes tenaciores; ligna compacta; radices & cortices ſimiles, arida, aromatis expertia, valde reſinoſa, &c. protractam ad 3. 4. 6. & plures horas cocturam ferre & requirere. Unde & praemiſſa ſaepe opus eſt horum maceratione; ut virtuti exitus paretur (236. ι.)

 β. Ani-

β. Animantium deinde juniorum carnes parteſque durae; ligna, cortices, ſtipites, radices, paullò minus compacta, neque tamen aromatica, ſed adſtringentia, amara, ſaponacea, &c.; tum frumenta & legumina nutrientia, demulcentia, diuretica, incraſſantia, &c. ſequuntur, quibus horae 1, aut 2. coctio ſufficit.

γ. His tertio ſuccedunt Vegetantium teneriora, radices puta molliores, non aromaticae, refrigerantes, nutrientes, adſtringentes, aperientes, diureticae, ſaponaceae: tum & purgantes quaedam magis reſinoſae; fructus dein pulpoſi, dulces, acidi, auſteri. Haec ultra tres quadrantes aut unius horae ſpatium vix coquenda.

δ. Herbae porro & folia paullo firmiora, aromate & ſale volatili carentia, emollientia, adſtringentia, incraſſantia, refrigerantia, aperientia; ſemina ſimilia, non tamen mucilaginoſa; ligna, radices, cortices, aromate paullò fixiore praedita, horae dimidiae cocturâ ſatis emunguntur.

ε. Tandem partes Vegetantium tenerrimae, flores; tum herbae & folia ſubaromatica, vulneraria, amara, uterina, &c.; ſemina, baccae, fructus, cortices, radices, ſimiles, molliores; quo & purgantia quaedam retuleris, Sennae folia, Rheum, Myrobalanos, &c., & Glycyrrhizam; denique radices & ſemina coctione mucilaginem fundentia: quae omnia vix ultra quadrantem horae coqui debent. Imo horum pleraque, maximè recentia, mollicula, Decocto ab igne remoto, etiamnum fervido, infundere tantum ſatius eſt (236. Φ. 3.).

ζ. Eſt

ζ. Eſt tamen, cur Medicus quandoque ultra citraque terminos coctionis datos (α. ad ε.) eat; dum vel ſuperficiariam tantum, vel hac neglecta intimiorem, coquendo exhauriri vim ſcopus repoſcit. Quin & in ipſis Simplicibus proprias Chemia detegit naturas, quae regulis generalibus (α. ad ζ.) ſe non patiuntur includi, nec niſi experimento oſtendunt, quo cocturae gradu virtus medicata in aquam transmitti queat. Quorumdam Vegetabilium lignoſae partes leviſſima coctione, & vel ſola infuſione, emunguntur: aliorum partes etiam molliores vix niſi diuturna ebullitione aquam impraegnant. Ex multis oleum eſſentiale primo diſtillationis impetu omni elicitur: nec pauca tamen ſunt, in quibus longe tenacius radicatum haeret. Haec igitur ex Chemicis diſcenda.

η. Hactenus autem (α. ad ε.) dicta de Aquoſis potiſſimum Decoctionibus intelligi velim. Vinoſae, minus laudabiles (236. β.), & Spirituoſae, quum phialas requirant, aut vaſa exacte clauſa, vix ejusmodi regulas admittunt. Quin poſteriores etiam, calore minore bullientes (236. ε.), haud tantam exigunt accurationem.

238. Dosis, quae Infuſi (225.), eadem eſt: inde ergo repetatur.

239. Quantitas Generalis itidem ſimili ſe modo habet, ac (226.): vix tamen ultra Lib. vj. vel viij. extenditur unquam; imo nec eousque, niſi dum praeparatio difficilior, doſis ingens, & brevibus intervallis haurienda, id repoſcunt, annique tempus ac Decocti durabilitas permittunt.

240. PROPORTIO mutua ingredientium, praeter ea, quae (227.) tradita ſunt, vix multa complectitur.

α. Quoad materiem (235. β.) ſimilia dictis (227. α. ad γ.) obtinent.

β. Menſtrui (235. α.) ad materiem decoquendam proportio itidem diſcrepat juxta conditiones (227. ε.), tum prout coctio ſine vel cum evaporatione perficitur (236. γ. κ. ο.).

γ. Ubi ergo nulla per evaporationem jactura fit, aut vapor collectus refunditur (236. φ. 2.), menſtrui proportio eadem eſt, ac in Infuſis (227. δ.), niſi, quod rarius ultra duodecuplam aut paullo majorem augeatur.

δ. Si contra ſub coctione diſſipatio fit, tanto requiritur menſtruum copioſius, quo illa major; ut liquor ſuperſtes ſit nec juſto dilutior, nec ſaturatior.

ε. Tum igitur Medicus vel determinat menſtrui affundendi quantitatem ex (γ.) & quantitate dispendii, certò aut per conjecturam definita, ſimul ſumtis; prout coctionis durationem aut ad aliquotae partis evaporationem, aut ſaltem ad tempus, limitat.

ζ. Vel, quod tutius & uſitatius eſt, menſtrui q. ſ. praeſcribens, & coctionis durationem alterutro modo (ε.) definiens, denique ſaltem determinat, quantum reſidui ſupereſſe velit; ut pharmacopoeo tunc relinquatur computandum, qua menſtrui quantitate opus ſit, ut, dato coctionis termino, praeſcriptum Decocti pondus remaneat. Facilis autem

Me-

Medico hinc naſcitur determinatio; quia perinde eſt, ac ſi absque evaporatione fieret coctio (γ.).

η. Acceſſoria primae claſſis (222. γ. 1. 235. γ.) haud alios limites agnoſcunt, quam (227. η.); niſi quod, ob ebullitionis adminiculum (236. δ. ε. ϑ.), ſaepe minor eorum quantitas exigatur.

ϑ. Acceſſoria claſſis ſecundae (235. γ. 236. φ.), quousque eadem ſunt illis Infuſorum, ſimili quoque proportione gaudent (227. ϑ.). Quae verò, peracta decoctione, liquori infunduntur (236. φ. 3.), regulas ſequuntur in hiſtoria Infuſi datas (227.). Notetur modo, tantò fere minus maceratione ſolvi poſſe, quo liquor antea per coctionem magis ſaturatus eſt; neque in Decoctis, majore praeſertim quantitate hauriendis, admodum placere ſpiſſitudinem.

241. Subscriptio paucis diſcrepat ab Illa Infuſorum (228. ad 231.). Si enim, quod & hic uſitatum eſt, materiem decoquendam tantum praebet pharmacopoeus, praeter dicta (230.) ſingulare nihil obtinet. Si vero & ipſam decoctionem is curat, uti plerumque obtinet, mandari debent ſequentia.

α. *Ante coctionem agenda.* Haec autem

1. Quod ad comminutionem, colligationem, & irrorationem nihil differunt a dictis (229. α. 1. 2. 3.); niſi quod humectatio cum aqua fervente hic vix uſu veniat. Praeterea impetus ebullitionis quandoque materiae in petiam vel ſacculum ligandae majorem hic, quam in Infuſis, neceſſitatem infert; ne vel extractio juſto fiat fortior; vel a moleculis materiae

 per

per liquorem diffuſis nimia hujus ſpiſſitas aut turbatio; vel ingrediens valde mobile nimis diſpergatur, difficilius dein ex reſiduo recuperandum; vel denique ponderoſiora gravi alliſu, denſave in fundo compactione, vas quaſſando projiciant aut diffringant.

2. Vaſis etiam idonei mentio facienda, ſi minus familiare vel volatilitas vel acrimonia materiae, vel modus coctionis, poſtulat, Phialam v. g. Chemicam, Cucurbitam Alembico inſtructam, Lagenam ſtanneam, Ollam fictilem, Diploma, &c. Mos inter pharmacopoeos receptus in vaſis aeneis, ſtanno etiam non obductis, cocturas promiſcue faciendi, vel tanto magis neceſſitatem hujus monelae quandoque inculcat.

3. Maceratio nonnunquam praemittitur (236. ι. 237. α.) vel totius, vel partis cujusdam materiei difficilius ſolubilis. Injungitur haec juxta leges (229. (β. γ.), & formulam facit *Infuſo-Decoctum.*

β. *Decoctio ipſa.* Quae limitat

1. Ignis adhibendi gradum modumque; an leni, an forti, an mediocri, ebullitione (236. δ. ζ. μ. ν. ξ. &c.) agendum? Materies (237. α. β.) fortiorem fert & ſaepe poſtulat, ſi rite emungere virtutem animus eſt: mediocris convenit materiae (ibid. γ.): leniore tractari debent enumerata (ibid. δ. ε.). In univerſum tempora & gradus coctionis eandem fere rationem ſequuntur. Quodſi non igne nudo, ſed in Diplomate, facienda coctio, pharmacopoeo id expreſſis verbis injungere decet. Diploma cocturae longiori aptius & empyreuma arcet, & caloris inaequalitatem. 2. Or-

2. Ordinem; ubi alia aliis diutius breviusve decoquenda ſunt (Vid. 237.): quod ipſum quandoque & de menſtruo ſecundario, aut acceſſorio quodam (222. γ. 1.), coctionem longam non ferente, valet.

3. Vaſis occluſionem magis minusve exactam, prout evaporatio magis minusve nocet. Plerumque vaſe clauſo decoquendum. Calor inde aequabilior, minor inquinatio.

4. Coctionis terminum, qui, dum evaporatio conceditur, ſaepe vel ex quantitate reſidui, vel ex aliquotae partis diſſipatione, minus tamen certo, definitur. Satius eſt tempora figere juxta (237. α. ad ε.), aut ex Decocti colore, ſapore, &c. limitem ponere. Ebullitio fortior, lenior, vas magis minusve repandum, diverſiſſimam faciunt intra idem tempus exhalantis quantitatem.

γ. *Poſt coctionem agenda.* Quo pertinet

1. Infuſio novae materiei (236. Φ. 3.), quae iisdem legibus perficitur, ac dictum (229. α. β. γ.).

2. Depuratio ſimilis etiam (229. δ.): niſi quod hic quandoque in aquoſis colationi jungatur clarificatio cum albumine ovi, limpidiſſimum quidem exhibens liquorem, at ſimul plerumque minus efficacem; quum albumen igne coiens virtutis medicatae partem ſaepe retineat: unde vix, niſi pro delicatiſſimis, praecipienda.

3. Acceſſoriorum admixtio, quae intelligitur ex (236. Φ. 1. 2.).

4. Receptaculum ſimile, ac (229. ζ.).

Tandem in hactenus (α. ad γ.) dictis mandandis memento regulae (112. η.).

242. Quae ad SIGNATURAM ſpectant, haud difficulter eruuntur ex (231.): vel ipſa enim nomina quoque ex parte eadem hic adhibentur: ut hinc Decoctum ad doſin unicam praeſcriptum vocetur *Hauſtus* vel *Potio:* ad plures, ſi menſtruum ſpirituoſum eſt, *Tinctura*; ſi aquoſum, *Decoctum* vel *Apozema*; ſi animantium partes baſin materiae (75.) conſtituunt, *Jus* vel *Jusculum;* ſi materies ſemel decocta cum recente aqua iterum coquitur, *Bochetum* vel *Decoctum Secundarium.* Reliquae denominationes hodie ferè exoluerunt.

243. USUS idem eſt, qui Infuſi (232.).

244. SPECIMINA ſunto.

*

Hauſtus Emeticus, ventriculo cibis nimium infarcto. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 127.

℞. *Rad. Ypecacuanh. pulv.* ſcrup. VI.
Vini albi unc. iij.
Coque in Phiala alta horas quatuor.
S. *Colatura detur pro una doſi.*

*

Hauſtus Purgans, in morbis putridis, bilioſis, non calfaciens, pro adulto.

℞. *Rhubarb. elect.* dr. iß.
Fol. Senae mund. dr. ij.

Ta-

Tamarindor. unc. j.
Coq. leniter ex ſ. q. aq. com. per quadrant. horae. Colat. unc. iij. admiſce
Syr. Roſ. ſolut. c. S. unc. j.
D.
S. Ut ſupra. *Capiat mane, vacuo ventriculo, pro doſi.*

*

Nodulus Purgans, antiphlogiſticus.
℞. *Fol. Sen. ſine ſtipit.* drach. iij.
Agaric. optim. drach. ij.
Sal. polychr. drach. j.
Conſciſſa, tuſa, includantur ſindoni.
S. *Nodulus Purgans. Coquatur per ¼ horæ in cereviſiae dulcis pint. ß. vaſe clauſo. Exprimatur. Capiat aeger cyathum omni ſemihora, donec purgetur.*

*

Decoctum Refrigerans, Aperiens, in Febribus putridis, bilioſis, utile.
℞. *Rad. Gramin.* unc. iv.
Acetos.
Tamarindor. ana unc. ij.
Aven. excort. unc. ß.
Cum ſ. q. aq. com. coq. per ½ horam.
Colat. libr. ij. admiſce
Aq. ſtill. Naph. unc. j.
Spir. Sulphur. p. c. gutt. xxiv.
Rob. Ribium. unc. ij.
D.
S. *Bibat aeger qualibet hora uncias* iij. *calide.*

*

Jus Cancrorum fluviatilium. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 16.

℞. *Cancror. fluviatil. vivor.* lib. iij.

Coque ſpatio horae cum Aq. lib. xij, tum exemtos contunde una cum teſtis, atque coque in priore jure proprio adhuc per horas IV, addendo ſemper tantum aquae, ut a coctione lib. viij. circiter ſuperſint, dein jus fortiter exprime, atque ei infunde

Flor. Borragin. unc. i ß.
Bugloſſi unc. j.
Rad. Tragopogoni unc. IV.
Siſari unc. ij.

Haec ſimul ebulliant ſpatio $\frac{1}{3}$ horae, & tranſcolata demum exhibeantur.

S. Ut in fronte. *Sumatur ad unc.* ijß. *omni bihorio.*

*

Decocto-Infuſum Adſtringens, Incraſſans, ad Haemoptyſin. Vid. Ibid. p. 269.

℞. *Rad. Conſolid. maj.*
Cort. Tamariſc. ana unc. ß.

Cum Aq. pur. q. ſ. per $\frac{1}{4}$ horae decoctis, adhuc fervidis, infunde

Herb. Agrimon.
Betonic.
Flor. Hyperic.
Papav. Rhoead. ana m. ß.

Stent, vaſe clauſo, in infuſione calida per horae

horae ſpatium. Colaturae lib. ij. admiſce
Syr. Myrtin. unc. ij.

S. *Liquor Vulnerarius. Bibatur non calefactus ad unc.* ij. *omni bihorio diei.*

*

Vinum Roborans ad Fluorum album.

℞. *Cort. Peruv. opt.* unc. ij.
rad. Cappar. unc. j.
Cinnamom. unc. ß.
Granator. dr. ij.
Rad. Angelic. unc. j.

Conſciſſis, tuſis, in phialam altam Chemicam immiſſis affunde
Vin. rubr. auſter. unc. XXIV.

Bulliant per bihorium: dein frigida colentur ac admiſceantur
Sacchar. albiſſ. unc. ij.

D.

S. Ut in fronte. *Doſis cochleare unum quater de die, horis medicis.*

*

Tinctura Anti-Hydropica, ad exemplum H. Boerh. Ibid. p. 218.

℞. *Rad. Helenii* unc. j.
Ariſtolochiae utriusque
Zedoariae ana drach. vj.
Zingiber. unc. ß.
Bulb. Allii. unc. iß.
Summit. Abſynth.
Centaur. min.

Semin.

Semin. Dauci.
Bacc. Juniper.
Lign. Saſſafras raſi ana unc. j.
Cort. Winteran. unc. ß.
Conſciſſa, tuſa, cum *Spirit. Juniper.* pint. iij. in Phiala alta Chemica ebulliant per 6. horas. Tinctura frigida, pura, decantetur. D. uſui.

S. Ut in fronte. *Capiat unc. ß. quater de die, cum regimine.*

*

Decoctum Febrifugum, Antiſepticum, Pus movens, Roborans.

℞. *Cort. Peruvian. opt.* unc. iij.
Vitriol. mart. factit. dr. j.
Coq. ex aq. commun. q. ſ. vaſe clauſo, per bihorium: dein remotis ab igne adhuc fervidis immitte
Cort. Cinnamom. acut. unc. ß.
Vin. Rhenan. generoſ. unc. vj.
Stent vaſe exacte clauſo, donec refrixerint: tum colat. unc. xxx. admiſce
Syrup. flor. Tunic. unc. iij.
D.

S. Ut ſupra. *Doſis unc.* ij. *omni bihorio diei.*

*

Infuſo-Decoctum Abſtergens, Antiſepticum, in Spina ventoſa. Vid. H. Boerh. ibid. p. 122.

℞. *Lign. Guajaci virid. ponderoſ. raſi.* unc. x.
Sal. Tartari drach. ß.

Cum

Cum aq. comm. lib. vj. ſpatio xxiv. horar. digeſtum in Diplomate, decoque ſpatio 2. horarum, ſub finem admiſcendo

Spir. Vini rectific. unc. iv.

Ebulliant iterum parumper, tum exibe.

S. *Sumat unc.* iv., *quater de die, vacuo ſtomacho: mane hora ſeptima, dein hora undecima, iterum quarta pomeridiana, & ultimo hora ſeptima veſpertina.*

*

Bochetum ex reſiduo prioris. Ibid.

℞. *Reſiduum Decocti prioris.*

Aq. pur. lib. iij.

Ebulliant per iv. horas. Colatura D. uſui.

S. *Sit pro potu quotidiano.*

*

Decoctum Mercuriale Antihelminticum.

℞. *Argent. viv. in ſacculo ex aluta lig.* unc. iv.

Bulliant cum aq. commun. q. ſ. per horam, dein exhibe decoct. unc. xx.

Quibus autem compoſitio magis arridet, hanc formulam ſequi poſſunt

℞. *Argent. viv. in ſacculo ex aluta lig.* unc. iv.

Bulliant cum aq. comm. q. ſ. per horam, dein immitte

Sem. Santonic.

Tanacet.

Abſynth.

Rut. ana unc. ß.

Co-

Coquantur adhuc per quadrantem. Colat. unc. xx. admiſce

Mell. alb. unc. ij.

D.

S. Doſis mane, hora ante jentaculum; tria cochlearia, totidemque hora ante prandium.

Similem in modum, nec diſpari virtute, loco *Argenti vivi*, etiam Stanni raſura ſacculo incluſa tractari poteſt.

Nota. *De* Hydroſaccharo, Hydromelle medicato, Ptiſana veterum & recentiorum, Diaeta, Sero Lactis medicato, Decocto Galli, Conſummatis, Deſtillato Inſtaurante, &c. *addo nihil; cum facile ex hactenus* (221. *ad* 244.) *traditis* Infuſorum & Decoctorum *hiſtoriis, quousque etiamnum in uſu ſunt, intelligi queant, ex parte vero hodie eviluerint. Conf.* P. Morelli Method. Praeſcrib. Form. *iſtis titulis.*

De Succis Expreſſis.

245. Succus Expressus eſt medicamentum internum, liquidum, ex ſucco aquoſo, tritura & preſſione de partibus vegetantium recentium in rem praeſentem educto, potiſſimum conſtans.

246. Materies in genere duplex eſt: *Primaria* & *Secundaria.*

α. Primaria eſt, quidquid tritu & preſſu ſuccum fundit aquoſum, uſui interno idoneum: cujusmodi fere nonniſi regnum vegetabile ſuppeditat.

β. Se-

β. *Secundaria* vel (1.) promovendae confert ſucci expreſſioni, aut hunc diluendo, aut ſolida, quibus is coërcetur, emolliendo. Aqua, Serum Lactis, Lac ipſum, & ſimilia, id praeſtant ante expreſſionem addita. Vel (2.) ſucco jam expreſſo admiſcenda hujus virtutem auget, aut noxiam injucundamve qualitatem corrigit. Unde ſimilis eſt acceſſoriis alterius claſſis, quae in hiſtoria Infuſorum & Decoctorum exhibuimus (222. γ. 2. 223. γ. 235. γ.): Salia Acida, Neutra, Alcalica, Vinum, Spiritus, Aquae ſtillatitiae, Saccharum, Mel, Elaeoſaccharа, Syrupi, &c. huc apta ſunt.

247. Delectus, ob minorem materiae (246.) amplitudinem, paucis abſolvitur. Ergo

α. Succoſae & recentes vegetantium partes tantum *Primario* (246. α.) huc adhibentur: Folia, Flores, Fructus, Radices, Herbae totae, molliora, ſucco liquido, aquoſo, plena.

β. Excluduntur ſicca & compactiora omnia. Ligna hinc, Cortices, Stipites lignoſi, &c. inepta.

γ. Neque & Seminum adeo hic uſus eſt; quia pleraque oleo magis, quam humore aquoſo, ſcatent.

δ. Minus etiam idonea ſunt, quorum ſuccus, licet copioſus, nimium lenteſcit; quum difficulter eliciatur. Secundarii tamen liquidi (246. β. 1.) admiſtio, & calor, opem hic ferre queunt.

ε. Item, ſi ſcopus exigit paullò minus ſuccoſis, aut humore lentiore plenis (δ.), uti, appoſitè junxeris, quae ſucco liquidiore turgent, vicem quippe adminicuii (246. β. 1.) praeſtitura. ζ. Qui

ζ. Qui de animantibus vivis, horumve ſtercoribus &c. premuntur Succi medicati, magis ad vulgum pertinent: rarius enim ex Medici conſilio aut praeſcripto fiunt.

η. Patet hinc, non quorumvis eſſe temporum, nec locorum, haec medicamina: ut ideo cavendum ſit, ne intempeſtive, nec plura ſimul praeſtituantur ingredientia, eodem quae tempore haud vigent; aut ne viridia deſiderentur, quae nonniſi ſicca ad nos pervenire poſſunt.

θ. *Secundaria* (246. β.) utriusque claſſis omittuntur frequentiſſime. Priora tamen (ibid. 1.), cum nativus materiae primariae humor aut parcior eſt aut lentior, pulchrè conducunt. Seligenda igitur ejusmodi, quae vel eidem ſcopo ſerviunt, vel Succo miſta noxiam haud ſubeunt efficiuntve mutationem. Poſteriora easdem, tum (223. λ.) memoratas, exigunt cautelas.

ι. Numerus ingredientium minor (223. μ.) hic commendatur. Plura congerenti facile obrepit error (η.), aut incongrua ex variorum mixtione qualitas (94. & ſeq.)

248. Ordo, vix hic limitatus, idem tamen adhiberi poſſet, qui in Infuſis (224.), quousque materiae ſe extendit convenientia.

249. Dosis, major minorve pro variis conditionibus (66.), tum prout brevibus longisve intervallis repetendam jubet indicatio. Quandoque menſurâ ſaltem determinatur ad cochlear. j. ij. iij., aut ad cya-

cyathum j. ij. &c., ſaepe tamen & pondere, a drach. ß. ad unc. j. ij. iij; raró ultrà, niſi cum dilutus admodum & gratus fuerit Succus. Flatuoſa horum liquorum cruditas, color, odor, ſapor, plerumque ſatis injucundi, ſuadent, ſi doſis efficax major eſt, regulam (67. *δ.*) potius adhibere.

250. Quantitas Generalis, prout varius requiritur, juxta conditiones (67.), doſium (249.) numerus, variè definitur. Nonnunquam, pro emeſi v. c. movenda, &c. doſis unica in univerſum ſufficit. Saepiſſimè tamen, ſi alterandum, vel per epicraſin purgandum, ad plures dies; imò ſeptimanas, in modum Curationum, quas vocant, uſus protrahitur. Tum igitur vel, quantum ſatis eſt in unum aut duos dies continuos, ſimul praeſtituitur; ut ſingulis alternisve diebus recens paretur: quod quidem, ſi per aegri conditiones (67.) licet, omnino faciendum jubet facilis ejusmodi Succorum per moram alteratio; maxime, quum anni tempora, quibus praeſcribi ſolent (247. *n.*), etiam eo conferant. Vel, ſi prius haud opportunum videatur, quantitas in plures dies integramve hebdomadam ſuffectura exhibetur ſimul: quod dum fit, ſulphuratione, incoctione, condimentorum admiſtione, vaſis obthuratione & collocatione in cellam frigidam, corruptio quaevis curioſe, quoad fieri poteſt, arcenda.

251. Proportio ingredientium mutua, quum plenam nec exigat, nec admittat, determinationem, ex ſequentibus facile intelligitur.

α. Quantitate Succi generali (250.) ad pondus determinatâ, de materie primaria (246. α.) ſaltem q. ſ. capiendum jubetur.

β. Aut Succi quantitate non determinatâ, materiae (246. α.) quantitas limitatur pondere vel menſura (111. β.): utramque enim certò ſtatuere vix licet.

γ. Prius (α.) in genere uſitatiſſimum eſt, quin & neceſſarium, ſi vel unica modo doſis, vel plures, mole & numero definitae, requiruntur (249. 250.). Poſteriore (β) dum uteris, conſiderans ſucci in materie majorem minoremve copiam, tum doſis expetitae molem & magis minusve frequentem uſum, cave ne exceſſu pecces vel defectu, riſum moturus pharmacopœo, aut taedium expreſſionis eodem die aliquoties iterandae. Unde hic modus vix adhibetur, niſi dum quantitas generalis grandior, vaga tamen, repoſcitur.

δ. Quodſi igitur materies (246. α.) pluribus conſtat diverſis, mutua ſingulorum proportio ita limitatur, uti major minorve cujusvis efficacia & ſuccoſitas, collata ſcopo, poſtulat. Quae magis viſcido gaudent ſucco (247. δ. ε.), ceteris paribus, minore quantitate, reſpectu aliorum capiuntur; ut & copioſior & minus lentus acquiratur liquor (l. c.).

ε. Unde in ſpecie priore (α.), ubi omnium aequalis quantitas non exigitur ob conditiones (δ.), ex duplo, triplo, ſubduplo, &c. proportio ſaltem determinatur: v. c. *Radicum* pars j. *Herbar.* part. ij. *Baccar.*

Baccar. part. iij. aut aliter. In poſteriore (β.) quid agendum, ſponte patet.

ζ. Quandoque determinata ſaltem quantitas Succi, ex una vel pluribus ſpeciebus expreſſi, & depurati, praeſtituitur, non commemoratis ſigillatim ipſis ſpeciebus aut expreſſionis modo & ordine: quae methodus ut ſimpliciſſima, ita & commodiſſima eſt, ſi vulgari tantum modo procedendum.

η. *Secundaria* materies primae claſſis (246. β. 1.) parciore ſaltem quantitate hic adhibetur; ne Emulſo, Infuſo, vel Decocto, ſimilior, quam Succo preſſo, fiat formula: haud enim veri locò menſtrui eſt, ſed dilutioni tantum inſervit (ibid. & 247. ϑ.). Prout ergo eâ magis minusve eget materiae primariae indoles, ita plus minusve additur; modo nè multum ſuperet Succi ipſius quantitatem.

ϑ. Reliqua alterius claſſis (246. β. 2.) haud alios agnoſcunt limites, quam datos (227. ϑ.). Curandum, ut Succus, tanquam baſis (88.), addendis potior ſit, nec horum miſtione nimis ſpiſſeſcat; tum ut ex omnibus ſimul junctis juſta & efficax doſis emergat (249.). Ubi autem Succi pondus haud determinatum eſt (β.), addendorum proportio ad certam illius partem ſaltem definitur: v. c. ad quamlibet Succi libram materiae ſecundariae dr. j. ij. &c. admiſcendas eſſe. Unde dein pharmacopœo facile eſt computare, quantum pro toto requiratur.

252. Subscriptio varia injungit. Quo pertinet

α. Materiae Primariae (246. *α.*) *ad Succi expreſſionem Praeparatio.* Haec autem includit

1. Comminutionem, quae vario in variis perficitur modo, conſcindendo, radendo, tundendo in paſtam ſucculentam. Lapideum mortarium, piſtillum ligneum, prae metallicis, operi huic aptiora merito habentur.

2. Diluentis liquidi (246. *β.* 1.), ſi quo opus eſt (247. *ϑ.*), affuſionem.

3. Paſtae tuſae, humectatae (1. 2.), digeſtionem aut & coctionem: quae tamen ſaepiſſimè omittitur; nec adeo uſu venit, niſi cum materies in univerſum parciore aut viſcidiore ſucco praedita, neque tamen calore incongruè mutabilis eſt. Id autem boni ſimul affert, quod flatulentam ſucci cruditatem minuat.

β. Expreſſio ipſa, quae, praeter vulgaria, nihil habet ſingulare. Adeoque pharmacopœo cognita ſupponitur.

γ. Expreſſi Depuratio. Haec quidem vel quiete fit & mora, vel citius trajectu per colum (229. *δ.* 2. 3.), nec praetermitti debet; quum ingratam ſuccis demat ſpiſſitudinem. Imò nec malè agunt, qui, digeſtione aut coctione non praemiſſis (*α.* 3.), Succos, priusquam colant, leni igne ad primum usque ebullitionis ſignum, vaſe clauſo, ſi virtus volatilis eſt, ſin minus, ad tantillam quoque ebullitionem usque calefaciunt, ac tum demum vel frigefactos prius (229, *δ.* 4. *in fine*), vel adhuc calentes, colo de-

depurant: ita enim & deſpumatio ſimul fieri poteſt, & flatuoſa eorum materies magis diſſipatur, & faeces ſeparantur pulchrius, & inſecta horumve ovula, ſi quae inſunt, deſtruuntur, quin & longiori aptantur conſervationi.

δ. Admixtio Materiae Secundariae (246. β. 2.), quae, praemiſſis (γ.), demum peragitur: licet interim ſatius foret, quae difficilius in ſucco frigido ſolubilia ſunt, huic calefacto, ante colationem (γ.), immittere. Imò vel ſuaſerim, ubi major Succi quantitas ſimul praeſcribitur, ſalia, quae frigore rurſus aut tota, aut ex parte, excutiuntur, ſeorſim, ſpecie Pulverum, in ſuas doſes diviſa, aegro exhiberi; ut haec dein partitis vicibus cuilibet Succi doſi, paullò ante uſum, intermiſceantur.

ε. Succi parati Aſſervatio, quae in ſpecie priore (250.) minoris quidem momenti eſt: at, ſi obtinet poſterius (ibid.), omnino curam meretur; quum & nativa horum Succorum indoles, & tempus anni, quo magis uſitati ſunt, corruptioni maximè faveant. Neque ſufficit ſemper vaſe oris anguſti, probè clauſo, loco frigido, eos ſervaſſe: ſed inſuper vel, conſilio Helmontii, vas prius accenſi ſulphuris vapore imbuendum; vel, niſi materies ſecundaria (246. β. 2.) corruptioni obſtans jam addita ſit, nec indicatio repugnet, tantillo Spiritus Vini condiendus Succus; vel, ſi dilutior ſit & calorem innoxie ferat, ad dimidias inſpiſſandus.

253. Signatura ex (113. 245. 249.) ſatis intelligi-

ligitur: neque enim, praeter communia, quidquam hic monendum ſupereſt, niſi quod Succus, in plures dies ſuffecturus, vaſe clauſo, loco frigido, ſit aſſervandus.

254. Usus in chronicis, ad inveterata humorum & ſolidorum vitia, viſcerum, praeprimis abdominalium, obſtructiones, &c. quin & in acutis, ad ſitim reſtinguendam, putredinem arcendam, &c. commendatiſſimus eſt, tam alterationi, quam evacuationi per vomitum, alvum, urinas, idoneus. Infantibus tamen, delicatis, quibusvis anni temporibus, usque quaque haud convenit: quamvis nec deſint Succi vel maximè nauſeanti etiam palato arridentes. Denique nec ad promptiſſimè parabiles pertinet haec formula.

255. Specimina ſunto.

*

Succus Emolliens, Aperiens, Humectans, ſolidorum nimiam rigiditatem corrigens. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 9. & ſeq.

℞. *Rad. recent. Scorzoner.*
Rapar. ana unc. iv.
Herb. recent. Cichorei.
Taraxici.
Endiviae ana man. ij.

Conſciſſis, tuſis, adfunde
Seri Lact. recent. pint. ß.

Ebulliant leniter ſpatio 6. horae minutorum in balneo maris: tum ſuccum exprime

prime, cujus per colum depurati ſingulis unciis admiſce.

Syrup. Rubi Idaei drach. j.

D. in lagena ſulphurata.

S. Ut in fronte. *Servetur in loco frigido. Doſis cochlearium omni biborio diei.*

*

Succus Emeticus in Hydrope utilis. Vide H. Boerh. Mat. Med. p. 224.

℞. *Cort. medii Sambuc. recent.* q. ſ.

Ut conſciſſ. tuſ. exprimatur Succi unc. j.

Cui adde

Syr. Violar. unc. ß.

D. uſui.

S. *Hauſtus Emeticus pro una doſi.*

*

Succus Emeticus in Febribus ex ingluvie. Vid. ibid. p. 127.

℞. *Fol. recent. Aſari conciſ.* nº. v.

Cum aq. fervidae unciis aliquot, ſpatio ½ horae infunde absque ebullitione, tum ſuccum exprime.

D.

S. Ut ſupra, *pro doſi.*

*

Succus Antipyicus in ſtatu phlogiſtico Variolarum. Ibid. p. 259.

℞. *Succi recens expreſſi Cichorei.*

Lactucae.

Succi recens expreſſi Taraxici.
Fumariae ana
unc. ij.
Radic. Scorzoner.
unc. iv.
Nitri puri. drach. i ß.
M.
S. Bibat unc. j. *omni hora diei.*

*

Succus Diluens, Reſolvens, Abſtergens, ad Aphthas. Ibid. p. 180.

℞. *Bulb. Rapar. cum cortice* q. ſ.
Tyrocneſti, vel radula ex bractea ferrata, radantur: tum exprimatur Succus, qui ebulliens leniter deſpumetur: hujus unc. xvi. admiſce
Vitell. Ovor. n°. ij.
Syrup. Violar. drach. iv.
S. Bibat. unc. ß. *omni ſemihora.*

*

Succus Acido oppoſitus, in frigida Scorbuti ſpecie utilis: ad exemplum H. Boerh. Ibid. p. 203.

℞. *Rad. recent. Raphan. ruſtican.*
Ari ana part. j.
Herb. recent. Trifol. aquatic.
Naſturt. aquat. ana
part. ij.
Radula raſis, conſciſſis, tuſis, exprime
Succi

Succi unc. vi, quibus admiſce
Spirit. Antiſcorbut. F. D. unc. ij.
Sacchar. alb. unc. j.
D. vaſe clauſo.

S. *Capiat omni triborio unc. ß. vel cochlearium.*

*

Alius in Scorbuti ſpecie alcalina. Ibid. p. 205.

℞. *Herb. recent. Acetoſae.*
Taraxici ana q. ſ.
Pom. Citreum n°. j.
Conſciſſis, tuſis, exprime Succi unc. vj. quibus per colum trajectis adde
Sacchari alb. drach. vj.
D. uſui: iterentur quovis die per duas hebdomadas.

℞. *Crem. Tartari* drach. v.
Sal. eſſent. Acetoſell. drach. ij.
M. Divide in xiv. partes aequales, & exhibe ſingulas in chartulis ſeorſim.

S. *Capiat mane hora ſeptima dimidium Succi, cui admiſceat unam doſin Pulveris: reliquum hora nona ſine Pulvere. Id fiat per* xiv. *dies.*

De
Emulſis.

256. EMULSUM, *Emulſio*, eſt medicamentum internum, liquidum, oleoſo-aqueum, conſiſtentia & colore utcunque lacti ſimile, ex materie pingui cum menſtruo aquoſo trita & emulcta, nec tamen vere ſoluta, paratum. Unde nominis patet

 ra-

ratio, & differentia hujus a priore formula (245.). Nec facile quis ad Emulſa retulerit liquores albidos, qui chemica praecipitatione obtinentur, uti Lac Sulphuris, Lac Virgin. &c.; etiamſi lactis ſimilitudinem habeant; quum emulgendo non parentur.

257. Materies triplex, uti (222. 235.), ad Emulſa uſurpatur: *Menſtruum* puta, *Emulgendum*, & *Acceſſorium.*

α. Menſtruum vix aliud in uſu eſt, quam aqueum: Aqua v. g. ſimplex, ſtillatitia officinalis, Decoctum vel Infuſum aquoſum, &c. Quandoque tamen & Vinum, ſed rarius, adhibetur, uti infra patebit.

β. Materiem Emulgendam praebent (1.) Nuclei & Semina plantarum oleo gravida. (2.) Succi oleoſi: Reſinae, Gummi-Reſinae, Balſama, Olea; quin & Radices nonnunquam valde reſinoſae, &c. Qui de Terris, praecipue Bolaribus, cum menſtruo aqueo tritis ac colatis nonnunquam parantur, liquores medicati, tametſi emulgendo acquiruntur, natura tamen ab Emulſis (256.) longe differunt. Eodem loco & haberi velim, quae ex pulveribus terreis, albidis, Margaritis v. g. & ſimilibus, pari ratione conficiuntur, Emulſa: quamvis enim lacteo colore propius accedant; nihilominus Mixturae tantum dici merentur alboremque ſubſidente celeriter pulvere mox amittunt.

γ. Acceſſorium vel (1.) ſolutionem materiae emulgendae (β.) promovet, eſtque corpus ſaponaceum: uti Vitellus ovi, Saccharum, Mel, aut te-

nc-

nerior materies oleoſa, facilius ſolubilis, ex (β. 1.) deprompta. Vel (2.), Emulſo jam parato addendum, hujus virtuti aut gratiae augendae ſerviens, in genere ſimile eſt (222. γ. 2.).

258. Delectus tamen ut ex arte fiat, notandum, duas dari Emulſorum ſpecies. Prima eſt eorum, quae, proprie ſic dicta, parantur ex materie (257. β. 1.). Altera vero, eaque notha, ſpecies potiſſimum ex materie (ibid. β. 2.) conficitur.

229. Prior ſpecies (258. 1.), ut colorem & conſiſtentiam (256.), ſic ſaporem quoque & gratiam, lactis aemulari, aut ſaltem minimè injucunda eſſe debet, nec fere, niſi refrigerandi, nutriendi, demulcendi, diluendi, rariſſime calefaciendi, ſcopo paratur. Hinc

α. *Menſtruum* non admittit aliud, quam aqueum (257. α), nec ſpiſſitudine, nec alia dote, injucundum, acrimoniae expers, quò ſimplicius, eò aptius. Optima ideo Aqua ſimplex, cocta; Decoctum aquoſum, tenue, inſipidum & inodorum, aut gratum, v. g. Hordei, Avenae, Cornu Cervi, Rad. Scorzonerae, Glycyrrhizae, Cicerum, &c.; Infuſum ſimile.

β. Aquae ſtillatitiae inertiores ſi, ut creberrimo fieri ſolet, adhibentur, ſint ex arte deſtillatae, ſine empyreumate. Aromaticas, Spirituoſas, Vinoſas, ſapor odorve nimis eminens, aut ſcopus, ſaepe excludit, vel ſaltem, Acceſſorii loco (257. γ. 2.), parciore tantum copia addendas jubet. Acetoſas eae-

eaedem rationes, tum acor, Emulſis fere incongruus, prohibet.

γ. *Materiem Emulgendam* hic conſtituunt Nuclei & Semina (257. β. 1.); non quaevis tamen promiſcuè, ſed quae mox memoratis Emulſi dotibus & ſcopo quadrant.

δ. Minus hinc apta ſunt, quorum medulla alieni eſt coloris: amantur, quae albida gaudent; ut trita cum aqua lac exhibere poſſint. Quo pertinent Semina IV. frigida majora & minora, interque haec maxime Cucumerum & Melonum: Farinoſa dein, ut Hordeum & Avena: tum alia quaedam, ut Acetoſae, Aquileg. Bardan. Cardui Bened. & Mariae, Cannabis, Cartham. Citri, Papav. alb. Poeon. &c.: denique Nuclei Amygdal. dulc. & amar. Avellan. Jugland. Pinear. Piſtach. Ceraſor. Prunor. &c.

ε. Quin & majora ideo ſuis prius tunicis orbantur, ſi lacteum hae colorem obſuſcare poſſunt intertritae; licet interim majorem ſaepe gratiam ſaporis afferant, nec virtute leniter adſtringente ſcopo ſemper repugnent.

ζ. Valde amara, acria, aromatica, calida, quoque vix adhibentur; quum horum virtus, color, odor, ſapor, rarius conveniant. Amaritie tamen leniore praedita quandoque ſcopus admittit: uti Semina Citri, Arantior. Nucleos Ceraſor. praecipue vero Amygdala amara &c. Imo reſtricta horum quantitas, aliis magis fatuis aut dulcibus accedens, vel palato quoque placet.

η. Quae

η. Quae trita mucilaginem fundunt, itidem minus quadrant: cujusmodi ſunt Sem. Cydonior. Lini, Pſyllii, Hyoſcyami, & ſimilia, quin & Hordeum diu coctum, quo hinc ſaltem leviter ad aliquam mollitiem cocto uti ſatius eſt.

ϑ. Cavendum maximé, ne rancida ſint, quae recipiuntur: quam quidem corruptionem plurima hic uſitata ſubeunt facile, nullo tunc nomine huc apta.

ι. Qui Emulgendis alia; praeter hactenus (γ. ad ϑ.) dicta, intermiſcent, uti Cortices Citri, Arantior. Myrrham, &c. nec colori, nec ſapori hujus formulae conſulunt. Elaeoſacchara priorum, Myrrhae Tinctura, acceſſorii loco addita, eandem virtutem commodius videntur conciliare.

κ. *Acceſſoriis* primae claſſis (257. γ. 1.) hic non opus: at alterius (ibid. 2.) admittuntur. Haec tamen & ſint ejusmodi, quae, ſcopo congrua, juſtas Emulſi dotes non pervertant. Optime hinc conducunt Aquae ſtillatitiae aromaticae, jucundiores, Syrupi excolores, grati, Julepi, Saccharum, Elaeoſacchara, Salia neutra, &c.

λ. Pulveres ſi addis haud in Emulſo ſolubiles, ſint ſaltem tenerrimi, albi, minus ponderoſi, nec in grumos abire proni: unde vix, niſi Terreis ſubtiliſſime laevigatis, hic locus eſt.

μ. Conſervae, Electaria, Extracta & ſimilia, quum conſiſtentiam, colorem, ſaporem, hic requiſitos, turbent, fere excluduntur.

ν. Aci-

ν. Acida quoque exulent; niſi cum poſtulat indicatio Emulſum verè acidum aut citiſſime aceſcens. Aptiſſima talibus parandis ſunt Farinoſa (δ)., Avena, Hordeum.

ξ. Alcalinorum uſum ſaporis urinoſi injucunditas prohibet.

ο. Tincturas, Spiritus, Eſſentias, Elixiria, & ſimilia, raro admittit ſcopus: licet tamen aliquando admiſceantur.

π. Saporis odorisve gratiam ne ſedulo nimis affectes, memor (85. 100. 101.). Plurimis Emulſum tantò arridet magis, quo ſimilius eſt lacti animali.

ρ. Sunt tamen, qui depoſitos ſe credunt, cum Medicus Emulſum propinat. Hos facile deceperis vel menſtruum adhibendo alieni coloris, v. g. rubri, vel ſimiles Pulveres, Syrupos, Tincturas, &c. intermiſcendo. Syr. Violar. in caeruleum tingit; Coral. rubr. Infuſum aut Syrupus flor. Rhoead. Roſar. rubr. &c. in rubellum.

260. Poſterior Emulſorum ſpecies (258. 2.), lacti minus aemula, hujus modo conſiſtentiam & colorem, imo ne hunc quidem ſemper exacte, ſimilat, ideo ſaltem ad Emulſa referenda, quod & mulctu quodam paretur, & pinguem materiem menſtruo aquoſo ad tempus diſſolutam exhibeat. Differt hinc plurimum a priore (259.). Nam

α. Tanta hic jucunditas nec exigitur, nec acquiri poteſt; quia hanc vix admittunt, quae huc pertinent, emulgenda.

β. Nec

β. Nec ſcopus etiam ſimilis eſt (259.); cum ſaepius calefactio, quam refrigerium, hic obtineatur: uti poſtea ſub uſu (267.) videre licet.

γ. Materiem Primariam (257. *β.* 2.) dant Oleoſa meraciora, difficilius in aqua ſolubilia: ut Balſama liquida, ſpiſſa, ſolida, Peruvian. Copaib. Mecc. Terebinthina, Tolutan. &c.; Olea preſſa aut ſtillatitia; Reſinae & Gummi-Reſinae, Jalapp. Scammon. Juniper. Maſtiche, Myrrha, Opoponax, Ammoniacum &c.; Camphora; denique Rad. Jalappae, Mechoacan. & ſimilia. Haec ut reddantur meabiliora, facilius ingerenda, neque ſuo glutine partibus tenaciter adhaereſcant, nec nauſeam ventriculo inducant, commodè ſub hac forma exhibentur.

δ. Et hic tamen abſtinendum a foetidiſſimis, quibus forma Pilularis aptior (172. *ι.*).

ε. Gummi vera, v. g. Arabicum, Caeraſor. Tragacanth. nullo jure a quibusdam huc referuntur: trita enim cum aquoſis verè ſolvuntur (256.), nec lactis ſpeciem exhibent, ſed lentam mucaginem.

ζ. Menſtruum non adeo diſcrepat ab illo prioris ſpeciei (259. *α.*). Aquis tamen Aromaticis, Spirituoſis & Vinoſis, potior hic locus eſt; tum quia ſcopo (*β.*) magis congruunt, tum quod materiem (*γ.*) ſolvunt facilius. Unde & Vinum ipſum aliquando adhibetur.

η. Acceſſoria primae claſſis (257. *γ.* 1.) hic potiſſimum uſui ſunt: pleraque enim emulgendorum (*γ.*)

ſine

ſine iis menſtruum aquoſum (ζ.) planè reſpuunt, ſaltem intertrita cito rurſus ſecedunt. Utendum igitur tantò potentioribus, quo & materies (γ.) tenacior eſt ac difficilius ſolvenda, & menſtruum (ζ.) magis aquoſum, & ſolutio exactior conſtantiorque deſideratur.

ϑ. Vitellus ovi, ſaponacea vi reliquis ſuperior, vel tenaciſſima etiam aquae aptat, eo quoque magis idoneus, quia nil injucundi habet. Saccharum, Syrupi, Mel, minus efficacia ſunt. Mel inſuper, niſi albiſſimum adhibeatur, colorem magis obſuſcat. Sapo vulgaris itidem hic locum habere poteſt; modo indicationi, aegrique guſtui, non repugnet.

ι. Quandoque, cum minor eſt emulgendi (γ.) quantitas, materies primaria Emulſi prioris (257. β. 1. 259. γ.) Acceſſorii loco recipitur: v. g. Semina aut Nuclei oleoſi, Amygdala quaedam, &c. Haec enim intertrita, dum farinam glutinoſam & oleum huic inhaerens fundunt, ac materiei difficilius ſolubilis particulis interponunt, ſic ſatis pulchrè ſaponis vices praeſtant, ſimulque Emulſum praebent priori (259.) ſimilius.

κ. Quin & nonnunquam uſitatum eſt, ex Seminibus aut Nucleis oleoſis (ι.) talia ſeligere, quae, dum ex parte vices Acceſſorii implent, virtute ſua medicata etiam cum primaria materie (γ.) ita conſpirent, ut una cum ea Baſin formulae conſtituere cenſenda ſint, adeoque Emulſum prodeat ad utramque ſpeciem (258. 259. 260.) pertinens: prout deinceps ex ſpeciminibus conſtabit.

λ. *Acceſ-*

λ. *Acceſſoria* alterius claſſis (257. γ. 2.) ſimilia ſunt ante (259. κ. &c.) memoratis. Spirituoſa ſaltem (ibid. ο.) crebrius hic locum habent ob (260. β. ζ.): neque ſapori, odori, colori, tantopere ſtudetur (ibid. α.)

261. Ordo, utrobique (259. 260.), emulgendis primum dat locum: his autem ſubjungit in Emulſis poſterioribus (260.) acceſſorium ſaponaceum, quod menſtruo ingreſſum paret: menſtruum dein, ac tandem acceſſoria claſſis ſecundae (257. γ. 2.) ſequuntur. Varias autem ſingulorum ſpecies pro ſuo quisque arbitrio digerit. Quandoque tamen ſi menſtruo utimur, quod ex tempore parandum eſt, v. g. Decocto, Infuſo, &c. hujus formula praemitti ſolet, ſubjunctis dein emulgendis & acceſſoriis.

262. Dosis eadem ferè eſt, quae Succi expreſſi (249.), pariterque vel pondere vel menſura determinatur. Priora quidem Emulſa (259.), magis quippe ut plurimum diffuſa, ad cyathum, unciam j. ij. &c. quandoque & ad lubitum pro potu familiari exhibentur. Poſteriora (260.) ad cochlearium, drachmam j. ij, alias tamen & ad unc. j. & plures; prout magis minusve potentia ſunt, diluta, aut nauſeoſa; ſcopus varius, aeger facilis vel difficilis, &c. (Vid. 66. & 67. δ.).

263. Quantitas Generalis nonnunquam doſi unica (262.) haud major eſt: quod maximè obtinet in Emulſis (262.). Neque expedit haec in uſum plurium dierum praeſcribere, niſi exactiſſimè ſint ligata; quum mora divortium faciat. Emulſa vera

(259.) facile aceſcunt, & eo quidem citius, quo calidior eſt tempeſtas; ut hinc aeſtate calidâ vix ultra 6. vel 7. horas, hyeme tamen nycthemeri ſpatio & ultra, ferè incorrupta perſtent. Doſis igitur molem (262.), uſus frequentiam, & atmoſphaerae calorem, inter ſe comparans haud plus praeſcribe ſimul, quam ante acorem natum queat conſumi; niſi forte indicatio iſtam mutationem commendet, nec aeger ab ea alienus ſit. Vid. (259. ν.).

264. Proportio mutua ingredientium maximopere hic variat pro horum & indicationis diverſitate.

α. Emulſa propria (259.), prout vel refrigerandi ſolum ac humectandi, vel nutriendi, ſopiendi, &c. ſcopo inſervient, plus minusve diluta parantur.

β. Spiſſiora fiunt, ſi menſtrui ad materiem emulgendam proportio tripla, quadrupla, ſextupla eſt. Dilutiſſima, ſi duodecupla ad vigecuplam usque. Media, ſi octupla aut decupla.

γ. Ratio tamen habeatur magnitudinis Seminum & Nucleorum (257. β. 1.): quo enim minora haec ſunt, eo parciore medulla, plure cortice, conſtant. Medulla autem eſt, quae in Emulſum tranſit. Unde Seminum minorum quantitas eadem eandem menſtrui copiam ſaturabit minus, quam tantumdem Nucleorum majorum.

δ. Plerumque menſtrui q. ſ. praeſcribitur, nec niſi quantitas colaturae determinatur: imò quandoque ne haec quidem: tumque pharmacopoeus mediam fere ſequitur proportionem (β.).

ε. In

ε. In Emulſis nothis (260.) tum materiae (260. γ.) major minorve ſolubilitas, & vis varia, tum ejusdem atque acceſſorii (ibid. η. ϑ. ι.) requiſita quantitas, ſimul ſpectandae veniunt, ut menſtrui proportio ritè determinetur; quae ceterum datae (β.) haud abſimilis eſt, ſi quandoque pharmacopoei etiam arbitrio committitur (δ); maximè ſi Emulſum unicam ſaltem doſin (262.) continet.

ζ. Acceſſorii ſaponacei (260. η. ϑ. ι.) quantitas, ratione materiae emulgendae ſumitur dupla, tripla, quadrupla, aut major: prout illud potentius eſt vel debilius (ibid.), & emulgendi indoles magis minusve refractaria. Hujus autem potiſſimum conſiſtentiam ſpectare oportet, num liquida, tenacior, aut ſicca ſit: quo enim magis coacta eſt, eo fere plus intermedii ſaponis ad promovendam ſolutionem requiritur. Quin & videndum, an maſſa ejus tota, quanta eſt, ſolvi poſſit, an vero pars duntaxat aliqua, reſiduo inerte, terreo, feculento, nequaquam ad ſolutionem habili, nec expetito. Olea, Balſama, ceterique ſucci puriores, (260. γ.), plenam ſolutionem admittunt: non item Radices reſinoſae (ibid.), quarum pars magna inſolubilis eſt, virtutisque expers. Intereſt etiam diſcernere, cum ſucci adhibentur, utrum mere oleoſi aut reſinoſi ſint, an parte quadam & gummoſi. (ibid.). Illis plure ac potentiore opus ſapone, ut ſolvantur, quam his, quorum gummi ex ſe aquoſis liquoribus amicum eſt, & vel ſolum ſufficit ad partem reſinoſam, cui intime junctum eſt, ſua tenacitate in connubio ſtabili cum menſtruo aquoſo detinendam. Reſinae,

Olea, Balſama, cum Gummi-Reſinis comparata id demonſtrant. Denique nec Menſtrui diſcrepantia prorſus negligenda (260. ζ.). Aqua ſimplex difficillime ad conſtans cum meracis pinguedinibus connubium cogitur: eadem vero ſubtili prius oleo aut ſpiritu imbuta; cujusmodi ſunt ſtillatitiae, aromaticae, ſpirituoſae, vinoſae; longe minus refragatur. De vino idem dicendum. Quo fit, ut id genus menſtrua ſaepe nullo etiam ſapone interpoſito egeant. Vid. (223. α ad ε.). Itaque pro diverſitate Menſtrui, quod indicationi reſpondens delegeris, major minorve ſaponis medii quantitas exigetur: quandoque etiam, absque hujus interventu, ſola curioſior ſubactio copulam praeſtabit. Quare liquet, generales proportionum regulas nequaquam ſtatui poſſe, quae ſingulis aut menſtruis, aut materiebus emulgendis, aut acceſſoriis, conveniant. Exceſſu aliquo peccare hic tutius eſt, quam defectu, ſi tamen neceſſaria videatur determinatio: ſin minus; ſufficiens modo quantitas praeſtituitur: quod praecipue circa Vitellum ovi uſitatum eſt.

η. Acceſſoria claſſis ſecundae (257. γ. 2.) vix ſtrictiores ferunt regulas, quam (227. & 251. ϑ.) datas. Pulverulenta (259. λ.) ſcrup. j. Dulcia drach. ß. ne excedant pro qualibet uncia Emulſi. Vide tamen in Emulſis nothis (260.), an & vinum dulce pro menſtruo habeas, Saccharove aut melle jam ſis uſus loco ſaponis (257. γ. 1.), tum quousque materiae injucunditas correctionem poſtulet, & num infanti, an adulto, &c. praeſcribas. Emulſa vera (259.) ne ſalibus nimiis ingratiora reddas!

Suffi-

Sufficit ſcrupulus pro unc. IV. Emulſi. Reliqua, ut ſcopus exigit, addantur.

256. Subscriptio in Emulſo priore (259.) jubet ſimpliciter, *F. l. a. Emulſio.* Determinatur dein colaturae quantitas, ſi menſtrui q. ſ. praeſcriptum eſt (264. δ.) Tandem memorantur admiſcenda. Vaſis mentione haud opus. In Emulſo poſteriore (260.) praecipitur emulgendi cum ſuo ſapone (257. γ. 2.), ſi quis accedit, accurata ſubactio, menſtruique poſtea & reliquorum admiſtio partitis vicibus facienda. Modus autem emulgendi, & ceterae encheireſes huc pertinentes, ut pharmacopoeo, ſic & Medico, ſupponuntur cognitae (7. γ. 8.).

266. Signatura, praeter vulgaria ſaepe memorata, commendat ſaltem, Emulſum (259.) ſicubi in plures doſes datum eſt (263.), ſub aqua frigida, aut in loco ſubterraneo, frigido, ſervandum eſſe, ne aceſcat (ibid.): quod maxime tempeſtate calidiore obſervandum. Quandoque & concuſſio ante uſum inſtituenda jubetur, ſi pulverulenta non ſolubilia acceſſerunt, aut ſicubi Emulſi poſterioris (260.) ſeceſſus per moram metuitur.

267. Usus Emulſorum minus univerſalis eſt, quam (232.) Priora tamen (259.), vel delicatioribus etiam gratiſſima, appoſitè dantur, ubi refrigerandum, demulcendum, humectandum, incraſſandum, leviter nutriendum, ſopiendum, ſine calore reficiendum, acre bilioſum, putridum, alcalinum, temperandum: quandoque & diaphoreſi,

urinis, rarius alvo, movendis accommodantur. Facili acore nocent acido laborantibus, frigidis. Poſteriora (260.) in univerſum iis apta ſunt indicationibus, quibus materies eorum (257. β. 2. 260. γ.) laudatur; utpote quam ſub forma meabiliore exhibent. Pleriſque tamen ingratiora ſunt, ſi odore & ſapore moleſto praedita, ut ſaepiſſime fit, recipiunt. Alvo ceterum, urinis, ſudoribus, ſputis, movendis, vermibus fugandis, ulceribus internis abſtergendis, nervis roborandis, &c. idonea habentur.

262. Specimina ſunto.

*

Emulſio Alcalinae putridae acrimoniae oppoſita.
Vide H. Boerh. Mat. Med. p. 52.

℞. *Avenae excortic.* unc. iij.
F. cum *Aq. pur.* q. ſ. Emulſio, cujus lib. i ß. admiſce
Nitri puri drach. ß.
Syrup. Violar. unc. j.
Aceti Squillit. drach. ij.
S. *Utatur pro potu familiari.*

*

Emulſio Analeptica, Demulcens, Incraſſans, ſpiſſior.

℞. *Amygdal. dulc. excortic.* unc. ij.
Amaror. excortic. no. ij.
Aquae pur. fervent. unc. x.
F. l. a. Emulſio. Colaturae fortiter expreſſae admiſce

Aq.

Aq. ſtillat. Cinnam. unc. j.
Sacchar. albiſſ. drach. vj.

M.

S. *Amygdalatum, de quo capiat aeger omni ſemihora cochlearium.*

*

Emulſio Anodyna, Narcotica. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 64.

℞. *Sem. Papav. alb. contuſ.* unc. ij.
Cum *Aq. decoct. Hord.* F. Emulſio, cujus unc. x admiſce
Syrup. Diacod. unc. i ß.
Tinct. Opii cum Spir. Vini rectif. gutt. xx.
Aq. ſtillat. Cinnamom. drach. ij.
Cortic. Citrei. drach. x.

S. *Capiat unc.* i ß. *omni* ½ *hora, donec incipiat leniri dolor.*

M.

*

Emulſio Lubricans, Diuretica. Vid. ibid. p. 263.

℞. *Semin. Cardui Mariae.*
Bardanae.
Petroſelin.
Papav. alb. ana unc. j.
Amygdal. dulc. n°. xx.
Infuſi Glycyrrhiz. q. ſ.
F. l. a. Emulſio. Colatur. lib. iij. admiſce
Nitr. pur. drach. ij.

Syr. Althaeae Fern. unc. iß.

D. uſui.

S. *Bibat omni ſemihora unc.* ij. *Servetur lagena ſub aqua frigida.*

*

Emulſum Leniens, Balſamicum, Conſolidans, in Phthiſi imminente. Ibid. p. 210.

℞. *Aven. mund.* unc. ij.
Amygd. dulc.
Pinear. } *mund. rec.*
Piſtachior. }
Sem. Papav. alb. ana unc. j.
Cum *Decoct. Aven. tenuis.* q. ſ. F. l. a. Emulſio: in colat. lib. iij. diſſolve
Mell. Maſſilienſ. unc. iij.

D.

S. Ut ſupra. *Doſis* unc. ij. *omni hora, calide.*

*

Emulſum Antihelminticum. Vid. ibid. p. 247.

℞. *Gumm. Opopanac.* drach. j.
Vitell. Ovi. drach. ij.
M. ſ. a. dein adde
Sapon. Venet. drach. j.
Syr. Artemiſ. unc. iß.
Aq. ſtillat. Foeniculi unc. iij.

M.

S. *Capiat drach.* j. *omni quadrihorio, cum regimine.*

Emul-

*

Emulſum Hyſtericum Fulleri Pharmacop. extemp. p. 100.

℞. *Aſ. fetid.* dr. ij.

Aq. ſtill. Rut. vel *Ceraſor. nigr.* lib. ß.

Terendo ſine calore emulgeantur in mortario. Colatura D. uſui.

S. *Doſis cochleare* j. *quovis ſemihorio in languore hyſterico, pro aegris minus delicatis.*

*

Emulſum Reſolvens, Diureticum, in Aſthmate humido utile. Vid. ibid. p. 97.

℞. *Milleped. viv.* unc. ß.

Contuſis in mortario paullatim affunde

Aq. ſtill. Puleg.

Hydromell. vin. ana lib. ß.

Cum Colatura fortiter expreſſa conteratur ac emulgeatur

Gumm. Ammoniac. pur. unc. ß.

Sacchar. alb. unc. j.

Trajectus liquor. D. uſui.

S. Ut ſupra. *Capiat aeger cochl.* j. *ex cyatho Infuſi ſummit. Hyſſop. omni bihorio diei.*

*

Emulſum Purgans, forte, Scammoneatum, ad Hydropem. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 224.

℞. *Semin. Carthami* drach. ij.

Scammon. pur. gr. viij.

Contuſis affunde paullatim

Aq. ſtillat. Cort. Arant. unc. iß.
Tum colatis miſce
Syrup. de Spina Cervina. drach. vj.
S. *Sit pro doſi, mane.*

*

Emulſum Hydragogum, non inflammans. Ibid. p. 82.
℞. *Rad. Jalapp. pulv.* dr. ij.
Sacchar. pur. dr. iij.
Accurate & diu contritis in mortario vitreo affunde ſenſim ac diviſim
Aq. pluviae. unc. iij.
F. ſ. a. Emulſio. Colaturae admiſce
Syr. Rhei. unc. ß.
D.
S. *Hauſtus Purgans pro doſi.*

*

Emulſio Balſamica, ad Ulcera interna, Phthiſin, Gonorrhoeam, Paralyſin. Vid. ibid. p. 210. 266. & Harris de Morb. Infant. Lib. II. Obſ. II.
℞. *Terebinthin. nativ.* drach. iij.
Vitell. Ovor. q. ſ.
Probè ſubactis admiſce ſenſim
Mellis alb. drach. iij.
Aq. ſtillat. bacc. Juniper. unc. iij.
S. Ut in fronte. *Sumat aeger omni quadrihorio cochlearium, ſemper ante uſum concutiendo lagenam.*

Emul-

*

Emulſio Balſamica, Antiſpasmodica, Demulcens, Laxans, ad Colicam ſpasmodicam & Calculum renalem.

℞. *Ol. Amygd. d. rec. p.* unc. j.
Balſ. Peruv. gutt. xxx.
Syr. Althaeae Fern. unc. j.
Vit. ov. n°. j.

Accurate terendo ſubactis admiſce paullatim
Aq. ſtill. Foenicul. unc. iv.
Petroſel. unc. viij.
Ut F. ſ. a. Emulſio. D.
S. *Capiat aeger quavis ſemihora cochleare* j.

Haec tamen ſpecies cum ſine colatione fiat, ad Mixturas congruentius referri poteſt.

De

Mixturis Internis.

269. MIXTURAE ſunt medicamenta interna, fluida, ſolâ variorum inter ſe miſtione parata. Unde facile a prioribus (221. 234. 245. 256.) diſtinguuntur.

270. Tres earum (269.) ſpecies uſitatae ſunt. (1.) Diffuſior, quae *Julapium* audit. (2.) Media, quae proprie *Mixtura* vocatur. (3.) Contracta, cui nomen varium, ut infra patebit. De ſingulis ſeorſim.

De

De

Julapio.

271. **J**ULAPIUM, *Julepus Recentiorum*, eſt Mixturae ſpecies dilutiſſima, ferè diaphana, ex ſapore, odore, colore, jucundioribus conflata, potum hinc ſuavem exhibens pluribus doſibus deſtinatum. *Veterum* ergo *Julepus*, qui dilutior Syrupus eſt, a noſtro diſcrepat ſpiſſitate, atque hodie inter officinalia relatus vix adeo ex tempore parandus praeſtituitur.

272. MATERIES in genere vel *excipit*, vel *excipitur.*

α. Excipiens, ut Baſis vel Menſtruum, eſt liquor tenuis, limpidus, ſaepe aquoſus, non injucundus, ſolvendis ac diluendis reliquis inſerviens.

β. Excipienda ſunt, quaecunque Excipiente (*α.*) ſoluta aut permiſta gratiam huic & virtutem expetitam conciliare vel intendere queunt.

273. DELECTUM utriusque (272. *α. β.*) limitant dotes in Julapio requiſitae. Notetur ergo

α. Dari id frequentiſſime loco potus familiaris, aut grati vehiculi medicamentis aliis ſuperbibendi, hinc in eo deſiderari maxime tenuitatem, claritatem, ſaporem reficientem, ex dulci acidum, aliumve non injucundum, odorem ſuavem vel nullum, colorem nullum vel amoenum, rubellum praeprimis. Quare.

β. Ex-

β. *Excipiens* ferè praebent liquores, ſapore, odore, colore, nullis, aut in univerſum ſuavibus, ſaltem non deteſtabilibus, praediti.

1. Aqua ſimplex, cocta, prae reliquis aptiſſima, cito parabilis, excipiendis pulchre ſe accommodans, nec horum dotes deſtruens, aut vi aliena pervertens.

2. Vel Aqua ſtillatitia, officinalis, iners: ut Acetoſae, Borraginis, Bugloſſi, Endiviae, Lactucae, Sempervivi, &c. His tamen ſimplex (1.) praeferenda; quum fere ſemper deſtillationem ſapiant. Aut alia ſapore & odore leni ſuavior: ut Meliſſae, Roſarum, Ceraſor. nigr. Citri totius, &c.

3. Vel infuſum aqueum (221.), jucundius, promtè parabile: ut flor. Tunicae, Roſar. Violar. Bellidis, Rhoeados, mal. Citr. Aurant. aut Conſervarum ſimilium, &c.

4. Vel Decoctum (234.) ſimile, dilutum: ut Hordei, rad. Scorzoner. Cornu Cervi, Eboris, Paſſular. Tamarindor. Panis, &c.

5. Vel Vinum Rhenanum, Moſellanum, aliudve acidulum, vel & dulce Gallicum, Hiſpanicum, Canarienſe, &c. quae ſcopo cardiaco aptiora, cum motus humorum paullò auctior non nocet.

6. Vel Phlegma acidi Vitrioli Saliſve dilutius, aut Serum Lactis tenue, acidulum. Hoc tamen probe purum, neq; turbidum, requiritur.

7. Vel

7. Vel denique hactenus (1. ad 6.) recenſitorum aliqua conjunctim.

γ. *Excipienda* (272. β.) ejusmodi hic conveniunt, quae dum medicata ſua virtute indicationi ſatisfaciunt, ſimul & ſuavitatem excipientis augere, & integre in hoc diſſolvi, aut ſaltem tenuiter cum eodem permiſceri queant. Qualia ſunt

1. Aquae ſtillatitiae aromaticae, fortiores: ut Cinnamom. Caryophyll. Pulegii, Majoran. Roſmarin. florum & cort. Arant. Citri, &c. Quo & compoſitae multae, officinales, mero ardente Spiritu non acres, pertinent. Quandoque & Vinum ſimile (β. 5.), niſi id fuerit excipiens.

2. Succi dulces, acidi, minimum non nauſeoſi, nec admodum turbidi, recentes, depurati, fructuum horaeorum: uti Ceraſor. Ribium, Berberum Rubi Idaei, Citri, Arantior. Granator. Cydonior. Pomor. redolent. Gran. Kerm. &c. Quin & aliorum vegetantium: ut Acetoſ. Acetoſell. Lactuc. Taraxac. Plantagin. &c. Hos verò dum praeſtituis, vide, an recentes eo tempore acquirere liceat (247. η.): quanquam & ſervari in officinis diu queant incorrupti (252. ε.).

3. Tincturae acido-aquoſae, rubrae: v. g. florum IV. Cordial. Tunicae, Bellidis, Aquileg. Rhoeados, granor. Kermes, & ſimilium. Atque hactenus quidem (1. 2. 3.) enumerata, cum dilutiora ſint, ſaepiusque & excipientium vices impleant (β. 2.

2. 3. 5.), potius ut excipientia ſecundaria conſiderari poſſunt, quoties majore copia ingrediuntur.

4. Tincturae Spirituoſae, ſuaviſſimae: ut cort. Cinnamom. Citri, Arantior. Caſſiae, Croci, &c. ubi ſtimulo quodam opus.

5. Aut Spiritus Ardentes, ſimplices, vel jucundiore vegetantium ſpiritu rectore per deſtillationem imbuti: ut Roſar. Angelic. Lavendul. Meliſſ. Cinnamon. Citri, Arantior. Ceraſor. nigror. Aq-Vitae Matthioli, Meliſſ. magiſtr. Balſam. Embryon. Sal. volat. oleos. &c. quorum uſus in ſimili caſu (4.) obtinet.

6. Frequentius tamen Spiritus Acidi vegetabiles, vel foſſiles: Acetum ſtillatit. Spiritus Salis. Nitri, Vitrioli, ſinceri vel dulces, Sulphuris, Clyſſus Antimon. &c.

7. Syrupi officinales, omni dote jucundiſſimi, excolores, rubri, aut ab acido rubentes, e ſuccis fructuum (2.) parati, aut alii: ut flor. Acaciae, Roſar. Violar. Tunicae, Borragin. Rhoead. herb. Capillor. Vener. Meliſſae, Cort. Cinnamom. Citri, granor. Kermes, Caryophyllor. &c. Quo pertinent & Brodia Conditurarum, & Julepi officinales, tum Oxymella, Oxyſacchara.

8. Rob & Gelatinae e ſuccis fructuum (2.) facta: quibus & accenſenda, quae de Cornu Cervi paratur, nonnunquam hic uſitata.

9. Saccharum vel ſimplex album, vel varia arte,

unâ

unà cum aliis non injucundis, in Tabulas, Rotulas, Elaeoſacchara, &c. redactum.

10. Salia ſicca: quorum tamen vix niſi neutris, atque haec inter raro aliis, quam Nitro, Sali Prunellae, Mirab. Glaub. aut Polychreſto, locus hic eſt.

δ. Pulverulenta, non ſolubilia, raro admiſcentur: craſſiora ſaltem nunquam: aliquando tamen ſubtilisſimè laevigata, minus ponderoſa, non ingrata, aut ſaporis & odoris expertia, praecipuè abſorbentia terreſtria, Corallia v. g. Margaritae, Cornu Cervi, &c. Ab his nihilominus etiam abſtinendum, ſi acida accedant ob (101. 102.). Foetida etiam, v. c. Caſtoreum, in nodulo ligata atque in liquore Julapii ſuſpenſa, ut auram modo graveolentem emittant, nec nimis turbent, aut ſapore quoque injucundo, afficiant, nonnunquam admittuntur.

ε. Conſervae vix uſum habent, niſi pro paranda Infuſi ſpecie (β. 3.).

ζ. Electaria, Extracta, Tincturae, Eſſentiae, Spiritus, & ſimilia, quae ſpiſſitate, colore, ſapore, odore, Julapium injucundius faciunt, excluduntur (α.). Excipe ſaltem Confectiones quasdam gratiores: ut Alkermes, Hyacinthor. &c.

η. Scito tamen, & nimia peccari poſſe ſuavitate (85. 100. 101.). Cave ergo, ne dulcibus, tum ne acidis, abutaris. Conſervae, Syrupi, Rob, Saccharata, dum ingrediuntur copioſa, ſaccharo ſuperaddito non opus. Acidum foſſile defectum vegetabilis ſaltem ſuppleat.

θ. Ubi

ϑ. Ubi Acidum foſſile (γ. 6.) & Salia (10.) ſimul jungis, memento dictorum (102. μ.)

ι. Interim delectûs regulae huc usque (α ad ϑ.) propoſitae non adeo omnes & ſingulae ſtringunt, quin celebres etiam practici multis easdem modis transgrediantur. Videas Mixturas ab ipſis ad Julapiorum titulum referri, in quibus concinnandis nullam habuerint odoris, ſaporis, coloris, rationem; modo conſiſtentiae fuerint tenuioris, non admodum turbulentae, virtutisque diffuſioris.

κ. Numero denique conciſo & ſimplicitati hic ſtudendum: neque enim recenſitorum (β. γ.) ſingula congerere, ſed quaedam ſcopo aptiora arte conjungere expedit. Naturae plerumque amiciſſimum eſt, ipſique palato ſuavius, quod non multorum miſtione natum (31.).

λ. Ex hactenus dictis patet, *Hydroſaccharum* & *Oxyhydroſaccharum* ſpecies eſſe Julapiorum.

274. Ordo praemittit ferè liquidum excipiens (275. β.); huic proxime ſubjungit aliud ſecundarium (ibid. γ. 1. 2. 3.); tum excipienda ponit juxta (106. β. γ. ε.). Quandoque & ultimus excipienti datur locus: quod tamen minus convenit, ſi Infuſum vel Decoctum magiſtrale (273. β. 3. 4.) ejus vicem praeſtat.

275. Dosis vel pondere definitur ad unc. j. ij. iij. &c. vel menſurâ, ad cyathum v. g. aut infantibus ad cochlearium. Saepe autem, loco potus ſa-

O mi-

miliaris, quantum urgens ſitis exigit, conceditur: ubi tamen plerumque ſatius eſt, hauſtu parciore, tantò frequentius repetito, uti, quam grandiore ſimul ingeſto inundare ſtomachum.

276. Quantitas Generalis, pro doſis (275.) mole, uſus frequentia, ſiti magis minusve intensâ, major vel minor, ad libr. j. ij. iij. iv. usque augetur: quin vel infantibus quoque vix librà dimidia minor datur. Neque hic corruptio facilis, ut in Emulſis (263.), arctiores limites ponit.

277. Proportio mutua ingredientium in genere quidem talis ſtatuitur, ut capiantur

Ad Excipientis (273. β.) libram j. vel uncias xij.
Aq. ſtillat. fortiorum (ibid. γ. 1.) -- unc. j. ij.
Succorum (ibid. 2.) -- -- -- -- unc. ij. iij.
Tinctur. Acido aquoſ. (ibid. 3.) -- unc. j. i ß.
Spirituoſorum (ibid. 4. 5.) -- -- drach. ij. vj.
Syrup. Brodior. Julepor. Rob. Gelatinar. &c. (ibid. 7. 8.) -- -- -- unc. ij. iij.
Confectionum (ibid. ζ.) -- -- -- drach. ij. vj.
Salium (ibid. γ. 10.) -- -- -- drach. ß. j.
Pulverum (ibid. δ.) -- -- -- -- drach. j. ij.
Aceti deſtillati (ibid. γ. 6.) -- -- unc. j. i ß.
Acidorum Foſſilium (ibid.) pro varia fortitudine & puritate -- -- gutt. x. drach. j.
vel q. ſ. ad gratum acorem.
Sacchari (ibid. 9.) -- -- -- -- unc. j. i ß.
vel q. ſ. ad gratam dulcedinem.

Circa haec tamen notari velim, praeter jam dicta (273. κ.).

α. In-

α. Indicationum, guſtuum, aliarumque conditionum varietatem tot parere in caſibus ſingularibus exceptiones; ut ſaepius quam longiſſime a modo data generali regula deflectatur. Hinc

β. Ubi excitandum, calefaciendum, Vini, Aromaticorum, Spirituoſorum (273. γ. 1. 4. 5.) non raro multum augeri proportionem: ut ideo vel Vinum quoque ſolum tum quandoque Baſin conſtituat (ibid. β. 5.).

γ. Infuſa vel Decocta magiſtralia (ibid. 3. 4.), ſi excipientis loco adhibentur, requiri dilutiora. Unde ſpecierum unc. j. ad menſtrui libr. j. ferè ſufficit. (Vid. Hiſtor. Infuſ. & Decoctor.).

δ. Salium (273. γ. 10.) parciorem ideo addi copiam, ne amarore aut ſalſedine injucunditatem creent.

ε. Pulverum, Rob, Gelatinarum, & ſimilium majore quantitate juſtam Julapii conſiſtentiam (271.) perverti.

ζ. In proportione Dulcium & Acidorum determinanda tenendam eſſe regulam (273. η.). Ipſum quandoque excipiens acidum aut dulce eſt (ibid. β. 3. 4. 5. 6.). Acidum Foſſile copioſius auſteritatem parit. Sacchari major quantitas, ut multis minus grata, ita ſanguinem ſolvendo in ſudorem pronos diffluere facit.

278. Subscriptio ponit: *M. F. Julapium. D. ad Vitrum.* Ubi autem obtinet (277. γ.), Infuſionis vel Decoctionis modus, ac deinde admiſtio reli-

quorum, juxta ante (229. 241.) dicta, injungitur prius: quamquam ſaepiſſime Infuſa vel Decocta hic uſitata, tanquam officinalia, praeſcribantur, ut quorum pracparatio pharmacopoeo ſatis nota ſit, aut in diſpenſatoriis deſcripta. Alioquin enim Infuſi potius aut Decocti, quam Julapii nomen merentur.

279. Signatura ex (113. 271. 275.) facile patet. Monetur tamen quandoque, dum minor humorum meabilitas actu frigida prohibet, Julapium calidum bibendum eſſe. Potionem frigidam plerumque ſatis amant aegri; ut vix mandato peculiari opus ſit.

280. Usus ut jucundiſſimus, ita maximè commendabilis eſt in Acutis, & Chronicis; ubi calor aut frigus nimia, corruptio humorum alcalina, lentor, ſitis vehemens, vires collapſae, &c. Petuntur & hinc Vehicula aliis medicamentis vel facilius ingerendis, vel promovendis, aptiſſima. Infantibus denique & delicatis gratior haec formula eſt, & in univerſum ob dotes ſenſibus minus infeſtas (271. 273. *α.*) valde frequentata.

281. Specimina ſunto.

*

Julapium Antiphlogiſticum, Antiſepticum, ſitim & aeſtum temperans, in Febribus biliosis, putridis, Variolis &c.

℞. *Aq. Pluviae, pur. coct.* unc. xxiv.
ſtillat. Naph. unc. ij.

Syr.

Syr. Violar. unc. iij.
Rub. id. unc. j.
Spir. Vitriol. q. ſ. ad gratiam.
M. F. Julapium.
S. Ut ſupra. *Bibat, quantum ſitis exigit.*

*

Julapium in Frigore Febris Intermittentis conveniens. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 131.
℞. *Aq. decoct. Hord.* unc. xxx.
ſtillat. Caryophyll. arom. unc. ij.
Oxymel. ſimpl. unc. iij.
Sal. polychr. dr. j.
M. F. Julapium.
S. *Capiat* unc. ij. *omni* ¼ *horae, calidè valde ſorbendas.*

*

Julapium Cretaceum, Acido oppoſitum, Demulcens, Adſtringens.
℞. *Cretae puriſſ. lot.* unc. j.
Sacchar. albiſſ. unc. iß.
Accurate contritis ſenſim admiſce
Decoct. Corn. Cerv. libr. ij.
Tinct. Cort. Cinnam. unc. ß.
Ut F. Julapium.
S. *Doſis cochlear.* j. *quavis hora: lagena autem ante uſum ſemper concutiatur.*

*

Julapium Roborans, Calefaciens, Carminans, Acidum temperans.
℞. *Aq. ſtillat. Ceraſor. nigror.* unc. viij.

Aq. ſtillat. Pulegii unc. ij.
Cinnamom. unc. iß.
Vitae Matthioli. unc. ß.
Margarit. ppt. drach. iß.
Confect. Alkermes drach. ij.
Elaeoſacchar. Citri drach. iij.
M. D. ad vitrum.

S. *Julapium Perlatum, de quo capiat unc.* j. *omni ſemihora in languore: aut ſit pro vehiculo alterius medicamenti.*

*

Julapium ex decocto magiſtrali, Cardiacum, ad Dolores a Partu. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 236.

℞. *Hord. mund.*
Avenae integrae ana unc. j.
Cum Aq. decoct. ſpatio ½ horae lib. iij. admiſce
Vini Rhenan. lib. j.
Aq. ſtillat. Cinnamom. unc. ij.
Syrup. Kermeſin. unc. iß.
M.

S. *Hujus* unc. ij. *ſuperbibat ſingulis doſibus Mixturae Anodynae, ibidem deſcriptae, donec ſopiatur dolor.*

*

Julapium ſpecie infuſi, Antiphlogiſticum, in Variolis utile. Vid. ibid. p. 257.

℞. *Flor. Papaver. Errat.*
Tunicae ana m. ß.

In-

Infunde cum *Aq. purae, calidae*, unc. xx. ſtent vaſe clauſo, calore leni, per 3. horas. Colaturae expreſſae adde

Spir. Sulphuris per camp. gutt. xx.
Sal. Polychreſt. drach. i ß.
Syrup. Flor. Rhoead. unc. i ß.
M.

S. *Bibat, quantum lubet, calide.*

*

Aliud, Spiritus excitans in Gangraena a cauſa calida, temperie alcalina. Vid. ibid. p. 101.

℞. *Rob. Ribeſiorum*
Berberis ana unc. ij.
Spir. Salis drach. ß.
Aq. ſtillat. Meliſſae. unc. vj.
Vini Rhenani. unc. x.
M. F. Julapium.

S. *Capiat* unc. j. *omni hora.*

*

Julapium Confortans in metu Abortûs ab incommodis Graviditatis, ad exemplnm ibid. p. 233.

℞. *Vini Rhenan.* libr. ij.
Aq. ſtillat. Cort. Citrei. unc. iv.
Tinctur. Granor. Kermes unc. ij.
Cinnamom.
Balſam. Embryon. ana unc. j.
Gelatin. Cornu Cerv. Citrat. unc. i ß.
Syrup. Rubi Idaei. unc. iij.
M. F. Julapium.

S. *Capiat* unc. iß. *in languore.*

*

Julapium Antihyſtericum.

℞. *Aq. ſtill. Rut.*

Puleg. ana unc. vj.

Spir. Matrical. unc. j.

Caſtor. in nod. lig. & ſuſpenſ. dr. j.

Syr. Pœon. unc. i ß.

M. F. Julapium. D.

S. *Capiat cochleare quavis ſemihora in paroxyſmo.*

*

Julapium Moſchatum, Antiſpaſmodicum, ad Singultum, &c. Vid. Fulleri Pharm. Extemp. p. 197.

℞. *Aq. Roſ. Damaſcen.* unc. vj.

Naph. unc. j.

Cinnam. fort.

Pœon. comp. ana unc. ij.

Moſchi.

Ambar. griſ. (*cum Sal. Corn. Cerv.* gr. iv. *ſubact.*) ana gr. iij.

Croci minutim ſciſſi & in ſindone ligat. ſcr. j.

Ol. ſtillat. nuc. Myriſt.

Caryophyll. ana gutt. j.

Confect. Alcherm. ſcr. iv.

Syr. Caryophyl. unc. j.

M. D.

S. *Quovis bihorio aliquot cochlearia ſumantur.*

De

De

Mixtura.

282. MIXTURA MEDIA (270. 2.) eſt Mixturae (269.) ſpecies, Julapio (271.) minus diluta, minore mole efficax, quacunque dote injucundiora etiam admittens, una vel pluribus doſibus, haud tamen per guttas determinatis, conſtans. Ex quo productorum Chemicorum uſus in Medicina invaluit, iſtud remedii genus, cito parabile, commodeque ingerendum, demum excogitatum eſt.

283. MATERIES, ut (272.), duplex eſt, *Excipiens* vel *Excipienda.*

α. *Excipiens* eſt liquor quicunque, interno uſui aptus, non minima doſi efficax (282.), ſaepiſſime hinc Aquoſus, quandoque & Vinoſus aut Spirituoſus: ut Aquae ſtillatitiae, ſimplices, compoſitae, vinoſae, ſpirituoſae; Decocta; Infuſa; Vina, &c.

β. *Excipienda* ſunt in genere ſicca, mollia & liquida omnia, (138. α. β. γ.) memorata, & quaecunque alia interno uſui dicata.

284. DELECTUM ſola ferè hic figit virtus medicata. Neque enim adeo tenuitatis, claritatis, ſaporis, odoris, coloris, ratio habetur, ut in Julapio (273.): quanquam & haec tamen prorſus negligenda non ſunt; praecipuè verò ſpiſſitudo, cujus exceſſus valde hic incommodat. Quin & aequabili omnium ingredientium commixtioni, quantum pote, ſtudendum. Pauca hinc addo.

α. Aquae ſtillatitiae prae reliquis frequentiſſimè excipientis loco ſerviunt; quum & cuicunque fere ſcopo congruae proſtent, & tenuitate ſua excipiendis aliis magis aptae ſint. Inertiores igitur efficacioribus junguntur, ubi virtus paullo magis diffundenda.

β. Decocta & Infuſa, quorum praeparatio ſimul adſcribenda eſt, huc non pertinent, ſed ad (221. 234.): haud enim alia ad Mixturas adhibentur, niſi quae tanquam officinalia praeſtitui poſſunt, nec ſubſcriptione, qua praeparationis modus indicetur, egent (278.). Sint autem ſatis tenuia, ſi ſiccae aut ſpiſſae materiae pluſculum recipere debent.

γ. Pulverulenta, non ſolubilia, ſi quae huc, uti creberrime fieri ſolet, accedunt, requiruntur ſaltem minus craſſa, ſubtiliora; ne deglutienti moleſtiam creent.

δ. Exulent quoque ponderoſiora ſpecifice, ſi in excipiente ſolvi nequeunt; quum citiſſime fundum petant, eoque doſes virtute minus aequales efficiant: licet interim ferri quodammodo poſſint, ſi doſis unica totam Mixturam abſolvit, aut ſi graviora interventu aliorum ſuſtinentur. Receptaculi etiam concuſſio paullo ante uſum huic vitio ex parte medetur.

ε. Gummoſa, quae aquis ſoluta mucilaginem fundunt, vel omittenda, vel miſcenda parcius; ne lentorem hic ingratum pariant.

ζ. Pinguia, ut aqueo excipienti intermiſceantur aequabilius, ſaponem poſtulant intermedium. Ad te-

tenaciora igitur, v. g. Sperma Ceti, Terebinthinam, & ſimilia, utimur Vitello Ovi; ad liquidiora, aut quorum parcior modo quantitas accedit, v. g. Olea Aromatica, preſſa, ſtillatitia, Balſama liquida, nativa, artefacta, &c. Saccharum ſufficit (260. γ. η. θ.).

η. Gummi-reſinae, ut Ammoniacum, Galbanum, &c. vino vel aceto ut plurimum ſoluta prius adhibentur. Quin & tritu exactiore cum aquoſis concorporari poſſunt, maxime ſicubi parciore fuerint copia, & Aquae oleoſa aut ſpirituoſa materia impraegnatae (264. ζ.).

θ. Cavendum hic tanto magis, ne congerantur, quae inter ſe miſta effervefcunt, praecipitantur, mutantur incongrue, aut deſtruuntur; quia forma fluida his motibus excitandis plerumque aptior. (Vid. 97. ad 103.). Eſt tamen, ubi Medicus data operâ talia conjungit, ut ſcopum ſuum obtineat felicius.

ι. Saporem, odorem, colorem, ſi corrigere paras, memento (85. 99. 100. 101.); ne vel ſcopo excidas, vel vanitatem prodas.

κ. Tandem, ut ubique, ita & hic brevis eſto & concinnus, non adeo ingredientium numero, quam efficaciae & nitori compoſitionis, ſtudens; ut perito facile ſit ſcopum eruere: Chaos aliter potius, quam Mixturam, facies (31.).

285. Ordo idem, nec magis conſtans hic obſervatur, quam in Julapio (274.).

286. Dosis, minor plerumque, quam Julapii (275.), cochleari j. vel ij, aut vaſculo Theae potui dicato, aut pondere drach. j. ad unc. ß. determinatur. Quandoque tamen & ad cyathum, aut unc. j. ij. iij. adſcendit: quod maxime obtinet, ſi unicus tantum Hauſtus exhibetur. Alias & per portiones totius Mixturae definitur doſis; ut dimidia, tertia, quarta pars ſimul capienda jubeatur: ubi cavendum, ne portio molem Hauſtûs excedat. Ceterum & hic ex uſu eſt obſervaſſe dicta (67. δ. ε.).

287. Quantitas Generalis alias unam modo doſin (286.) complectitur, alias plures. Si prius, *Hauſtus* vocatur, qui unc. iij. vix major ſit (ibid.): ſi poſterius, quandoque unc. vj. viij. imò libram Mixtura excedit, prout numerus doſium, juxta conditiones (67.), minor majorve requiritur.

288. Proportio mutua ingredientium hic maxime determinatur tum ex virtute medicata ſingulorum, & ſeorſim, & reſpectu mixtionis conſiderata (87. α. β.), tum ex juſta Mixturae conſiſtentia (282. 284.), comparatis ad (286. 287.). Unde

α. Si nonniſi liquida excipienda (283 β.), conſiſtentiae nulla habita ratione, virtuti ſaltem intentus tuam ſequere indicationem.

β. Ubi autem & ſicca & mollia (ibid.) accedunt, cavendum a nimia ſpiſſitudine (284.). Unde tum haec ferè obtinet generalis proportionum regula,

quae

quae quidem limites ponit extremos, quos egredi absque neceſſitate nefas eſt. Nimirum admittit

Liquorum qualiumcunque; ſimul ſumtorum, ut qui pro excipientibus haberi poſſunt (273. γ. 3. 283. α.) -	uncia j.
Mollium: v. g. Electarii, Rob, Conſervae, Pulpae & ſimilium. - -	drach. j.
Siccorum: ut Extracti, Succi denſi, Maſſ. Pilul. Pulver. &c. - - -	ſcr. j. dr. ß.
Sacchari. - - - - - -	dr. j. iß.
vel.	
Surupi ſimiliumve dulcium. - -	dr. j. iij.

γ. Augeri ergo poteſt mollium quantitas ad duas etiam drachmas; ſiccorum verò ad drach. j, ſi non utrumque, ſed alterutrum ſaltem genus recipiatur.

δ. Quin & excipientis conſiſtentia diſcrepantiam hic facit; prout vel tenuior fuerit liquor, vel infuſum decoctumve ſpiſſius (273. α.).

ε. Vide quoque, an excipienda liquida (ibid. β.) accedant: haec enim excipientium vice funguntur, hinc majori ſpiſſiorum quantitati locum dant.

ζ. Nec obſcurum eſt, variam ſiccae materiae gravitatem, & conſiſtentiam minus aut magis bibulam efficere, ut ejusdem plus minusve eadem liquoris quantitate recipi poſſit; quum ex volumine potiſſimum ſpiſſitas inducatur.

η. Salium ſiccorum Proportio invenitur ex eorum efficacia, & magis minusve facili ſolutione: licet tamen

tamen haud ſemper plenè ſoluta hic requirantur; ſed, Pulverum inſtar, uſus tempore, agitando diſfundi ac intermiſceri queant minus diſſoluta.

ϑ. Sacchari & Syruporum quantitas nonnunquam arbitrio pharmacopoei committitur, ut, quantum ſatis eſt ad gratiam, ſuperaddat. Tum vero obſerventur dicta (277. ζ.). Augetur ea quandoque ultra terminum poſitum (β.), ubi Reſinoſis, Balſamicis, Oleoſis, &c. cum aqua conſtantius jungendis conferre debent; quum paullo major Mixturae ſpiſſitudo ſeceſſui etiam magis obſtet. Cavendum tamen, ne aut craſſitie, aut dulcedine, nimia peccetur.

ι. Hauſtus quoque (287.) auctiorem fert ſiccorum & mollium proportionem, ſi doſis efficax id poſtulat. Plurimi malunt parcam ſpiſſioris molem, quam grandem, aut plures liquidioris doſes ingerere.

289. Subscriptio mandat. *M. F. Hauſtus*, ſi pro una doſi eſt (287.): ſi pro pluribus, ſolum *M.* ſufficit. Adjungi poteſt *D. ad Vitrum.* Et hoc exactè obthurandum jubetur, ſi diſſipatio vel corruptio ab aëre liberiore metuitur. Aliquando excipienda ſicca ſeorſim, Pulverum ſpecie (116.), uti (252. δ. *in fine.*), dantur, ut demum paullò ante uſum intermiſceantur liquidis. Duabus igitur formulis tunc utimur. Obtinet id, ſi ex mixtione naſcens effervescentia comitari uſum debet, aut aequaliores majoresve Pulverum doſes ſimul ingeri ſcopus poſtulat. Vid. Specimina.

290. Signatura ex (113. 282. 286. 287.) in-

intelligitur. Monendum quandoque, calidé an frigidé capiendae ſint doſes (Vid. 133. γ.). Vehiculum ſuperbibendum quandoque praebent Julapia (273. α.): gratioribus tamen, niſi alia id exigant, nullo opus. Ubi obtinet (289. *in fine.*), utendi modus pro ratione determinatur.

291. Usus Mixturae ut frequentiſſimus eſt, & perquam facilis pleriſque, ita aeque univerſalis, ac infuſi (23 .); imò vel magis etiam, quia citiſſime parabilis illa ſubitaneis quoque in caſibus promptam fert opem: ut ideo vix morbus detur interna poſtulans, quin hanc admittat formulam.

292. Specimina ſunto.

*

Hauſtus Ant-emeticus. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 141.

℞. *Succi recent. Citrei* unc. ß.
Vini Rhenan. unc. j.
M.
Salis Abſinthii drach. j.
D. utraque ſeorſim.

S. *Pulvis miſceatur liquori, moxque in ipſo actu effervescentiae hauriatur.*

*

Mixtura Alcali oppoſita, Saponacea, Abſtergens. Vid. Ibid. p. 52.

℞. *Oxymell. Squillit.* unc. iij.
Aceti Squillit. drach. ij.
Myrrhae Aceto in Tincturam ſolutae drach. j.

Aq.

Aq. ſtillat. Cichorei. unc. vj.

M.

S. *Capiat. unc.* ß. *omni hora.*

*

Mixtura Cardiaca, pretioſa, Calefaciens, Diaphoretica.

℞. *Infuſ. Lap. Porcini Malacc. in Aq. Card. Bened. fact.* unc. iv.
Vin. Rhenan. generoſiſſ. unc. ij.
Aq. ſtillatit. Cinnamom. unc. ß.
Extract. Eſſential. Croci gutt. iv.
Confect. Alkermes drach. vj.

M.

S. *Sumat omni ſemihora cochlear.* j.

*

Mixtura Opiata, Acidum temperans, Roborans, ad Dolores a Partu. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 235.

℞. *Lapid. Cancror.* drach. iij.
Corall. rub. drach. ij.
Margarit. ppt. drach. j.
Laud. puri. gr. iij.
Syrup. Kermes drach. vj.
Aq. ſtillat. Cort. Citrei
Meliſſae
Majoranae ana unc. iij.

M.

S. *Capiat cochleare omni* ¼ *horae, donec ſopiatur dolor, ſuperbibendo unc.* ij. *Julapii ibid. deſcripti.*

Mix-

*

Mixtura Reſolvens, Saponacea, Stimulans, Emmenagoga. Vid. ibid. p. 18.

℞. *Aq. ſtillatit. Rutae.* unc. xij.
Borac. Venet. drach. ij.
Sal. volat. oleoſ. drach. iij.
Mellis puriſſ. unc. iij.
M.

S. *Capiat unc.* j. *omni hora diei.*

*

Mixtura Adſtringens, ad Haemoptyſin. Vid. ibid. p. 208.

℞. *Aq. ſtillat. Flor. Rhoeados.*
Plantag. una unc. iv.
Extract. Tormentill.
Bol. Armen. laevig. ana drach. i ß.
Lap. Haematit. ppt. drach. j.
Syr. Myrtin. unc. j.
M.

S. *Capiat omni hora unc.* j. *concuſſo prius vitro.*

*

Hauſtus Emeticus, Antimoniatus, fortis, pro Adulto.

℞. *Oxyſacchar. Emetic. Ludovic.*
Oxymell. Squillit. ana drach. vj.
Aq. ſtillat. Cinnamom. unc. j.
M. F. Hauſtus.

S. *Sit pro doſi.*

*

Hauſtus Purgans, in Febre Intermittente utilis. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 146.

℞. *Pulver. Cornachin.* drach. ß.
Elix. Propriet. cum Sale Tart. ppt. gutt. XL.
Elaeoſacchar. Menthae. drach. j.
Aq. ſtillat. Menthae. unc. iß.
M.

S. *Capiat mane, die apyrexias, vacuo ſtomacho, pro doſi.*

*

Mixtura Balſamica, in Gonorrhoea conveniens. Vid. ibid. p. 266.

℞. *Terebinth. vulgar. cum Vitell. Ovi ſubactae* drach. iij.
Extract. Rhei.
Sal Prunell. ana drach. j.
Syr. Althaeae Fernel. unc. j.
Infuſ. Glycyrrhiz. unc. x.
M.

S. *Capiat omni biborio cochlear.* j. *probè concuſſa prius lagena: ſuperbibat cyathum Emulſi idonei, ibid. p.* 246, *deſcripti.*

*

Mixtura Reſolvens ad Aſthma humidum.

℞. *Gumm. ammoniac.* dr. ij.
Oxymell. Squillit. unc. ij.
Accurate ſubactis paullatim admiſce
Aq. ſtill. Hyſſop. unc. iv.
D.

S. *Doſis quolibet triborio cochleare.*

Mix-

*

Mixtura Diuretica.

℞. *Ol. ſtill. Juniper.* gtt. xx.
Syr. Alth. Fernel. unc. ij.
Contritis admiſce.
Sal. volat. ſuccin. gr. x.
Teſt. ovor. pulver. dr. ij.
Aq. ſtill. Petroſel. unc. xii.
M.

S. *Capiat cochlearia* ij. *quavis hora.*

De

Mixtura Contracta.

239. MIXTURA CONTRACTA, *Guttae*, vocatur Mixturae (269.) ſpecies, minore, quam prior (282.), mole efficax, ex Spirituoſis maxime, aut ejusmodi, quorum virtus exiguo ſub volumine latet, conflata, doſin plerumque per guttas determinatam ſaltem admittens. Chemicis ut originem, ita varia nomina, de quibus infra, debet hoc remedii genus.

294. MATERIEM ergo praebent ea modo, quorum doſis ad uſus internos efficax parvae molis eſt: uti ſunt Tincturae potentiores (221. 242.), Spiritus ſimiles, Eſſentiae, Quintae Eſſentiae, Elixiria, Balſama liquida, nativa, artefacta, Extracta Eſſentialia, Olea Aromatica, ſtillatitia, Liquores Salini coacti, & ſimilia.

295. Delectum dictat indicatio Medici, virtus materiae (294.) cognita, tum ſingularis variorum ſub mixtione mutua habitus. Neque enim tantopere hic coloris, odoris, ſaporis, ratio habetur; dum compendium formulam ſatis commendat.

α. Seligenda igitur talia, quae & virtute conveniunt, & amicè inter ſe coëunt absque vel praecipitatione, vel efferveſcentia, vel alia mutatione incongrua. Cautelas autem hic obſervandas vix, niſi e Chemia, hauſeris.

β. Quandoque tamen & aptè conjunguntur, quae miſta efferveſcunt & ſe mutuo deſtruunt: Acida v. g. & Alcalina. Eſt, ubi mitior medii ſalis inde naſcentis indoles ſcopo magis reſpondet. Cave interim, ne & praecipitatio ſimul comes ſit; utpote quae hic rariſſime laudatur.

γ. Aquoſa, Gummoſa, Oleoſa lenia, quae Spirituoſis non nubunt, Conſervae, Electaria, Pulveres haud ſolubiles, & ſimilia, cum virtus diffuſior, tum copula minus exacta & ſpiſſitas juſto major, fere excludit. Theriaca tamen, aliaeque Opiatae, ob doſis efficacis parvitatem, nonnunquam recte recipiuntur.

δ. Nec inuſitatum eſt, Reſinas, Extracta ſolida, Maſſas Pilularum, Gummi reſinas, Sapones, Succos denſos, aliaque id genus efficaciora adhiberi, quae Spirituoſis, Vinoſis, aut Aqueis etiam liquoribus utcunque ſolvantur. Tum vero & Saccharum, Syrupus, vel Julepus Officinalis, aliquando admitti-

tur,

tur, ſi menſtruo ſelecto forte non admodum exacta ac conſtans obtineri ſolutio poſſit, (260. γ. η. ϑ.), aut ingredientium juſto acriorum vis obtundenda. Quod praeſertim obtinet, cum Purgantia, non guttatim, ſed doſi unica grandiore exhibenda, in hanc formulam rediguntur: quae tamen forma ad Mixturas medias (282.) rectius refertur.

ε. Quin etiam Spirituoſorum, maxime Acidorum foſſilium, ſicubi hac forma dentur, acrimonia rodens admiſto Syrupo aut Julepo quandoque temperatur.

ζ. Salium ſiccorum illis modo, quae & parva doſi agunt, & ſpiritu ardente ſolubilia ſunt, hic locus eſt. Vix ideo huc pertinent, niſi volatilia, tum Tartarus regeneratus, & pauca alia.

η. Liquores etiam Salini, ut Liquor Sal. Tartari, Alcaheſt Glauberi, &c. quandoque adhibentur; quos tamen, niſi ſolos des, vide, quibuscum miſceas: non enim quaevis amant Spirituoſa.

ϑ. Numeri ingredientium parcior eſto. Tria vel quatuor ſufficiunt. Paucis errorem facilius vitaveris, virtutis ſimul certior, nec moleſtus pharmacopoeo. Quin vel unico ſaepe ſcopum poteris obtinere, haud quidem Mixturam tunc, at Guttas tamen (293.) daturus. Congeriem majorem amanti compoſita etiam officinalia proſtant, vaſta ſatis; ut minore opus ſit compoſitione magiſtrali.

ι. Draſtica denique ſi exhibueris hac ſub forma,

uti crebro fit, doſin commenda ſollicite! Haec enim aegro vel adſtantibus plerumque demetienda committitur.

296. Ordo vix alius hic obtinet, niſi quem praeſcribunt regulae (106. *β. γ.*). Ubi autem difficilius ſolvenda accedunt, v. g. Reſinae, Extracta, &c. (295. *δ.*), his ferè primus datur locus; Menſtruum dein & ſuperaddenda ſubjunguntur.

297. Dosis ut plurimum certo guttarum numero, minore, majore, vix tamen ultra lx. aucto, determinatur (293.). Alias & minus efficacium cochlearculum ß. vel j. ij. pro doſi ſunt. Imo Purgantium quandoque doſis unica (295. *δ.*) unc. ß. vel j. aequat; ut remedium formam Hauſtus habeat (289.)

298. Quantitas Generalis a drach. j. ad unc. j. iij. ferè extenditur. Quin &, ſi doſis major eſt, cochleario determinata (297.), aut uſus diu continuandus, aliaeve conditiones (68.) urgent, plus etiam ſimul praeſcribitur; quum ingredientia plerumque corruptioni minus pateant. Nonnunquam doſis unica ſufficit: quae tamen ſi paucis guttulis abſolvitur, vix admodum huic apta formulae, potius idoneo cum vehiculo in Hauſtuli molem diffunditur; ne liquoris ad vaſculum adhaeſione plus diſperdatur, quam ingeratur.

299. Proportio mutua ingredientium vix generales admittit regulas. Ex ſuâ hic indicatione praeprimis, & varia miſcendorum efficacia, facilique vel

difficili

difficili ſolutione, cognitis Medicus ſibi conſulit. Hinc

α. Quorum diffuſior eſt virtus, major fere quantitas recipitur; minor eorum, quae magis coacta ſunt: qualia habentur Olea, Extracta Eſſentialia, Salia volatilia, Balſama, &c. Sic alia aliis adjuvantur, temperantur, corriguntur.

β. Alias tamen efficaciorum quoque vel aequa vel major convenit quantitas, quam dilutiorum; ubi doſis compendio magis ſtudetur.

γ. Quorum definita ſaltem quantitas a reliquis ſolvi poteſt, potius infrâ ſummam proportionem receperis; ne vel pars indiſſoluta maneat, vel juſto ſpisſior fiat Mixtura. Huc pertinent Balſama, Olea, Reſinae, Extracta ſolida, &c.

δ. Draſticorum praecipuè quantitatem ſollicitè ſic accommoda aliis, ut ne quid nimis continet quaelibet Mixturae doſis.

ε. In univerſum opera danda, ne nimia ingredientium ſpiſſiorum quantitate conſiſtentia tenacior reddatur, quam quae ſtillicidium pro doſi per guttas determinanda neceſſariam admittat.

300. Subscriptio plerumque eſt: *D.* aut *M. D. ad vitrum*: prout vel ſimplex vel compoſita eſt formula (295. ϑ.) Quae enim infuſione aut decoctione parantur magiſtrali, hujus non ſunt loci, ſed pertinent ad (221. 234.) Ubi autem miſcela exactior tritum requirit, hic ſpeciatim injungitur: uti circa Reſi-

 nas,

nas, Extracta ſolida, & ſimilia, ferè obtinet. Quin & Colatio tum quandoque inſtituenda jubetur, ſi materies impurior plenè diſſolvi nequit. *Receptaculum* rite commendaveris ſubere & veſica obthurandum, ubi virtus facile diſſipatur. Eſt & veſica duplex pro obthuramento ex uſu, cum ſtillicidio demetiri doſin debet aeger: ſic enim, aciculâ perforando inferiorem, ex lagenula inversâ, concuſsâ, guttas ad numerum elicere facilius licet.

301. Signatura vix aliquid peculiare habet, niſi quod *Hauſtus* vel *Hauſtuli* nomine & hic utamur, ſi doſis unica totam abſolvit quantitatem (298.); at ſi plures, a primario ferè ingrediente peti ſoleat denominatio: unde *Tincturae*, *Eſſentiae*, *Elixiris*, *Spiritus*, *Balſami*, *Olei*, *Liquoris*, nomina uſitata ſunt; quorum tamen multa etiam promiſcuè adhibentur: neque enim, quam Chemici inter haec ſtatuunt, differentia adeo exactè hic obſervatur. *Guttas* in genere vocare licet ea omnia, quorum doſis hac menſura definitur. *Vehiculo* vix carere poſſunt efficaciora: id igitur virtute & indole aptum eligitur, non praecipitans, mutans, deſtruens, repellens, diſſipans Mixturae materiem vel virtutem: Vinum ſaepiſſime, Mixtura Media (282.), aut Julapium (271.), Infuſum (221.), Decoctum (234.) Juſculum, &c. ex uſu ſunt; Balſamis, Oleoſis meracis, Saccharum vel Syrupus maximè convenit.

302. Usus, uti ob compendium plurimis gratiſſimus eſt, ita praeprimis locum habet, ubi vis ſtimulans & calefaciens, qua formulae hujus materies

tan-

tantum non ſemper praedita eſt, conducit: quamvis & ſcopo refrigerandi apta Guttas dare queant: uti ſunt Spiritus Foſſiles acidi, varii, &c.

303. Specimina ſunto.

*

Hauſtus Aquam Purgans, nec acriter tamen inritans. Vide H. Boerh. Mat. Med. p. 81.

℞. *Scammon. Syriac. puri gr.* xiv.
Spir. Reginae Hungariae drach. ij.
In mortario vitreo ſ. a. tritis, & a faece ſeparatis admiſce
Syrup. Roſar. ſolut. cum Senn. drach. vj.
F. Hauſtus.

S. *Hauſtus Purgans. Capiat pro doſi.*

*

Alius Purgans, in Scorbuto utilis. Vid. Ibid. p. 197.

℞. *Pil. Coch. maj.* ſcrup. j.
Elix. propr. cum Sale Tart. ppt. drach. j.
Spirit. Menthae drach. i ß.
Syr. Roſar. ſolut. cum Senn. drach. ij.
M. F. Hauſtus.

S. *Hauriat mane pro doſi.*

*

Elixir Stimulans, Reſolvens. Vid. Ibid. p. 19.

℞. *Elix. propr. cum Sale Tart. ppt.*
Sal. Volat. Oleoſ.
Purgant. Sennerti ana unc. ß.
M.

S. *Capiat gutt.* xxv. *quater de die ex vino.*

*

Elixir Febrifugum, Aperiens.
℞. *Extr. cort. Peruv.* dr. ij.
Caſcarill. dr. j.
Liquor. Terr. fol. Tartar. unc. ij.
Curate ſubactis ac ſolutis admiſce
Elix. Propriet. ſ. ac. unc. j.
D.
S. Ut ſupra. *Capiat aeger quolibet bihorio gutt.* xxx. *ex aqua aut cereviſia, tempore ἀπυρεξίας, vaſculumque ante uſum concutiatur.*

*

Spiritus Antiſcorbuticus, Anti-ſepticus, minus Calfaciens.
℞. *Spir. Antiſcorbut. F. Dek.* unc. iij.
Sal. dulc. unc. j.
Syr. Violar. unc. ij.
M. D.
S. *Mane jejunus, & veſpere cubitum iturus, capiat cochleare* j. *ex cyatho Aq. Spadanae.*

*

Liquor Antipodagricus. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 227.
℞. *Alcabeſt Glauber.* unc. j.
D. ad Vitrum.
S. *Sumat omni mane gutt.* ix. *ex jure vitulino.*

Bal-

*

Balſamum vitae Cardiacum, Nervinum, Antapopleсticum &c.

℞. *Ol. Stillat. Cinnamom.*
Caryophyll.
Cort. Citr.
Lavandul.
Roſmarin.
Succini alb. ana gutt. x.
Balſ. Peruvian. gutt. xx.
Spirit. Vin. rectificatiſſ. unc. ij.
M. D. vaſculo exactiſſime clauſo.

S. *Balſamum vitae, cujus gutt.* x. *ex Vini Hiſpanici cochleari capiantur in languore aut vertigine, quin & ad prophylaxin mane & veſpere tertio quovis die.*

*

Oleum Vitrioli dulce, extemporaneum.

℞. *Ol. Vitriol. alb. dephlegmatiſſ.* dr. ij.
Alcohol. Vin. rectificatiſſ. unc. j.
In phiala chemica paullatim commiſta digere leniſſimo calore per noctem, ac exhibe.

S. *Doſis gutt.* IV *ad* viij. *ex vehiculo aquoſo aut vinoſo appropriato.*

*

Tinctura Anti-Hyſterica, Sopiens.

℞. *Tinct. Succin.* drach. iij.
Caſtor. dr. ij.

Spir.

Spir. Sal. Ammoniac. drach. j.
Ol. Corn. Cerv. rectificatiſſ. drach. ß.
M.

S. *Sumat guttas* xxx. *ex Syrup. Chermes in paroxysmo.*

*

Mixtura Stimulans, Roborans, Anti-Hydropica. Vid. Ibid. p. 218.

℞. *Tinct. Rad. Helen.* unc. ij.
Myrrh.
Spirit. Matrical. ana unc. j.
Ol. Stillat. Baccar. Juniper.
Abſinth. ana gutt. viij.
M.

S. *Capiat cochlear.* ß. *quater de die, vacuo ſtomacho, ex vino generoſo.*

*

Elixir Stomachicum, Antiſpasmodicum, Anodynum, ad Cardialgiam ex cauſa non inflammatoria natam.

℞. *Elix. Propriet. ſ. ac.* unc. ij.
Spir. rad. Angelic.
Tinct. Caſtor. ana unc. ß.
Balſ. Peruv. dr. j.
Theriac. Androm. dr. ij.
Accurate ſubacta & miſta exhibe.

S. *Doſis guttae* xx. *ex vino molli, quater de die, aut guttae* x. *quavis ſemihora in paroxysmo. Lagenula autem ante ſtillicidium probe concutienda.*

D E

De
Medicamentorum Externorum Formulis.

304. Externae Formulae (115.), ſi materiem, conſiſtentiam, praeparationem ſpectes, non magnopere ab Internis diſcrepant. Quapropter, etſi plures earum ſpecies numerantur, in ſingularum tamen enarratione compendio uti licebit, atque ex praemiſſa Internarum doctrina (116. ad 304.) lucem mutuari. Generatim vero inter ſeſe differunt Externae, quod *Communes* aliae ſint multis corporis partibus, aliae *Propriae* parti tantum ſingulari. Hoc igitur ordine reliquum hujus hiſtoriae pertexam, de *Communibus* primum dicturus.

De
Formulis Externis Communibus.

De
Injectione.

305. Injectio, *Enema*, eſt liquor medicatus, qui in cava corporis, ſecundum vel praeter naturam foras patentia, plerumque ſiphonis ope, ad varios uſus, infunditur.

306. Aures, Nares, Oculi, Os, Anus, Veſica, Penis, Uterus, Vagina, Vulnera, Abſceſſus, Sinus, Fiſtulae, cava (305.) exhibent, quibus Injectiones deſtinantur. De iis interim, quae Ori & Ano

Ano dicatae ſunt, Gargariſmate puta & Clysmate proprie dicto, poſtea ſigillatim agendum ſuadet ordo receptus (304.), & frequentior utriusque uſus.

307. Huc & retuleris *Chirurgiam Infuſoriam*, ſeculo ſuperiore tot moliminibus exercitam; quae tamen, dum hodie exolevit, nos porro non morabitur.

308. Materiem liquoris (305.) praebent Infuſa (221.), Decocta (234.), Succi (245.), Emulſa (256.), Mixturae Mediae (282.) vel Contractae (293.). Unde, quidquid huc pertinet, ex locis citatis facile intelligitur.

309. Delectum hic ſola dictat indicatio & cognita materiae virtus medicata; quum coloris, ſaporis, odoris, nulla habeatur ratio. Hinc

α. Quae Internis crebro admiſcentur, Corrigentia (83. 85.) locum non habent.

β. Contra adhibentur & ea, quae vel ob injucunditatem, vel ob qualitatem noxiam, raro aut nunquam interno uſui ſerviunt: uti Olea infuſa, cocta, Unguenta, Urina, Hyoſcyamus, Mercurialia acerrima, &c.

γ. At ſumma tamen opus circumſpectione, ne injecta violentiora doceant: vaſa enim bibula ubique hiantia propius in ſanguinem vehunt: quin & nervi, tendines, oſſa, aliaeque teneri ſenſus partes nudius ſaepe poſitae idem vel maximè poſtulant.

δ. Conſiſtentia uti paullo ſpiſſior hic fertur, ita fluida

fluida tamen & aequabilis ſit oportet; tum ut ſiphunculum (305.), ſi quo opus, minus obſtruat liquor; tum ne intermixta ſolida, ſcabritie ſua, incommodent. Tenera igitur vel tenuiſſimè laevigata requiruntur ſicca & ſolida, quae ſolvi nequeunt. Eſt & ſaponi locus, ubi oleoſa aqueis miſceri debent (284. ζ.).

ε. Quandoque & unguinoſis & balſamicis utimur, quae frigore plus minusve ſolideſcunt. Haec tamen non, niſi apto prius menſtruo, aut calore, liquefacta, injiciuntur.

310. Ordo idem hic obſervatur, quem variae liquoris (308.) naturae proprium locis ibid. citatis indicavimus.

311. Dosis, vix in genere determinanda, pro cavi (306.) magnitudine, liquoris injiciendi efficacia, & ſcopo Medici, diverſis, plurimum diſcrepat. Alias una vel altera guttula ſufficit: neque tum adeo ſiphone opus: quod circa Aures uſu venit. Alias drach. j. unc. ß. j. ij. iv. & plures ſimul injiciuntur. Saepiſſime exundatio cavi terminum ponit.

312. Quantitas Generalis, aeque parum definita, ex doſis (311.) mole, & injectione tardius, citius, repetenda, brevius, diutius, continuanda, facile colligitur.

313. Proportionem ingredientium mutuam docent, quae de hac dicta ſunt in hiſtoriis liquorum hic uſitatorum (308.), comparata cum Delectûs regu-

regulis (309.). Addo ſaltem, doſes internas efficaciorum ad triplum, quadruplum, & ultra, ſaepe hic augeri. Cave tamen, ne quid nimis (309. γ.). Hiſtoria Medica docet, multa ventriculum innoxie ferre ac ſuperare, quae peſſime afficiant, & vel vi toxica agant, ſicubi aut proxime in circumeuntes humores invecta, aut ſenſilioribus aliis partibus nudius applicata fuerint.

314. Subscriptio eſt, qualis formulae, quae huc adhibetur (308.). Ex ejus ergo hiſtoria intelligitur. Aliquando tamen additur. *F. Liquor pro Injectione.* Injectio ipſa quum rarius, nec niſi Clysmatum Inteſtinalium, pharmacopoeo committatur perficienda, hujus non eſt loci.

315. Signatura, praeter titulum formulae, (113. γ. 305. 314.), explicat & illa, quae ad ejus pertinent applicationem; quum haec plerumque vel aegro ipſi, vel adſtantibus, vel & chirurgo, demandetur. Unde injungitur

α. Frigidus, tepidus, an calentior ſit injiciendus liquor. Frigus, plerumque infeſtum corpori, rariſſimè hic uſu venit, quibusdam tamen, ubi repellendum, adſtringendum, roborandum, placet. Tepor, naturali hominis ſani ſimilis, omni parti amiciſſimus, ubique ferè conducit: praeterquam quod materiem injiciendam quoque fluidiorem, hinc penetrabiliorem, reddat. Calor intenſior haud minus, ac frigus, urendo ſaepe nocet.

β. Injectio fit vel ſolo ſtillicidio, cum cavitas ſatis aperta, pronus defluxus, & parva ſimul injicien-

di

di quantitas (311.) eſt, nec ad hujus actionem excitandam motus validior requiritur: vel inſtrumento appropriato, ſi contraria modo dictis obtinent. Siphones variae magnitudinis & materiei, emiſſariis variè tenuibus & figuratis inſtructi, pro cavi & liquoris injiciendi diverſitate, hic ex uſu ſunt. Vaginae & utero *Metrenchytes* ſervit. Injectio per urethram in veſicam Cathetere tubulato juvatur.

γ. Situs aegri aut partis, admittendo liquori commodus, ſub injectione quandoque commendandus eſt; qui etiam vel aliquamdiu ſervatus, vel aptè mutatus poſt injectionem, liquori diutius detinendo, ejusve actioni promovendae conducit.

δ. Sunt & alia poſt injectionem obſervanda, cum vel in cavo relinquitur injectum, vel ſua functum actione citius, tardius, iterum ejicitur. Obthuratio oris cavi, quies, agitatio apta liquidi cavo contenti, &c. huc pertinent: quorum tamen nimis multa varietas eſt, quam ut in regulas generales cogi queant.

ε. Monendum hic denique, quantum ſimul, quo tempore, quoties, quousque, &c. injiciendum: quae omnia facile ſuo ex ſcopo limitat Medicus.

ζ. Cave tamen in his maximè, ne decori vel ſecreti regulam (113. ϑ.) excedas.

316. Usus Injectionum multifarius eſt, praeprimis chirurgicus, aetati nulli inimicus, abſtergendi, diluendi, eluendi, mundandi, emolliendi, reſolvendi, demulcendi, adſtringendi, aperiendi, conſolidandi, &c. ſcopis accommodatus.

Q 317.

317. Specimina ſunto

*

Clyſma Auriculare, Ulceri intra Meatum Auditorium abſtergendo, mundando, aptum.

℞. *Urinae Homin. ſan.* unc. iv.
Sapon. Venet. ſcrup. j.
Tinct. Myrrh. gutt. xl.
Mell. Roſar. drach. vj.
M.

S. *Hujus liquoris tepidi, quantum cavo capi poteſt, quotidie bis injiciatur in Aurem aegram ſupinatam, ac detineatur per aliquot minuta, dein Aure prona rurſus emittatur.*

*

Aliud Auri ſordibus induratis obſtructae conveniens.

℞. *Ol. Amygdal. Dulc.* drach. ij.
Amaror. drach. j.
Fell. Lucii Piſcis. drach. ß.
Exacte M. D. ad Vitrum.

S. *Guttae* vj. *ter de die inſtillentur Auri ſupinatae, detineantur goſſypio immiſſo. Idem &* Antihelminticum *eſt.*

*

Injectio ad Cruorem coagulatum, extravaſatum, diluendum. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 79.

℞. *Mell. commun.* unc. ij.
Sapon. Venet. drach. ij.
Sal. Marin. unc. ß.

Aq.

Aq. pluviae. unc. xij.

M.

S. *Hujus tepefacti q. ſ. injiciatur cavo cruorem continenti, leniterque conquaſſatum dein una cum cruore diluto rurſus evacuetur.*

*

Emulſum Digeſtivum ad Fiſtulas curandas. Ibid. p. 98.

℞. *Terebinth. nativ.* unc. ij.
Vitell. Ovor. unc. j.
ſ. a. ſubactis admiſce
Mellis commun. unc. ij.
Spir. Vini commun. unc. ß.
Aq. commun. unc. ix.

D.

S. *Calefactum & probe miſtum injice.*

*

Injectio Mundans, Abſtergens, Antiſeptica, ad Fiſtulas & Sinus.

℞. *Fol. Scordii* man. ij.
Coq. ex Aq. com. q. ſ. per ½ horae. Colat. unc. xij. admiſce
Ung. Aegypt. unc. ß.
Mell. roſac. unc. ij.

M.

S. *ut prius.*

*

Decoctum Balſamicum, Conſolidans Fiſtulam puram. Ibid. p. 100.

℞. *Ol. infuſ. Hyperic.* unc. iv.

Aloës.
Myrrhae.
Olibani. ana drach. ij.
Coquendo leniter, miſta, ſubige cum
Vitell. ovor. unc. ij.
D.
S. *Parum calefactum in Fiſtulam injice.*

*

Injectio Detergens, ad Urethram Ulcere Venereo eroſam. Ibid. p. 265.
℞. *Mell. Roſar.* unc. j.
Aloës puriſſ. gr. x.
Sal. Ammon. gr. iv.
Aq. ſtillat. Foenicul. unc. vj.
M.
S. *Liquor Mundans, cujus q. ſ. ter, quater, de die, in Virgam, ſanie prius expreſſa vacuam, & pone locum ulceratum digitis compreſſam, ope ſiphunculi injiciatur.*

*

Clyſma Uterinum, Foetus mortui, putrefacti, reliquias excutiens, & Matricem emundans.
℞. *Rad. Ariſtoloch.* unc. ß.
Herb. Scordii. man. j.
Flor. Chamaemel. man. ij.
Bacc. Laur. dr. vj.
Coq. in Aq. com. q. ſ. per ½ horae. Colat. libr. ij. admiſce

Myrrh.

Myrrh. in Vino albo ſolut. unc. j.
Mell. roſat. unc. ij.
M. D.

S. *Hujus liquoris calefacti ad teporem hominis ſani* unc. vj. *bis de die, prudenter, per Metrenchyten injiciantur, ac aegra decumbente aliquamdiu retineantur.*

De Adſpergine.

318. ADSPERGO eſt Pulvis (116.), qui ſuperficiei corporis externae, varios ad uſus, inſpergendo ſuperdatur. *Paſma, Catapaſma, Diapaſma, Empaſma, Sympaſma,* veteribus audit.

319. Tenuitatis hic vix niſi primus & medius gradus (117. α. γ.) uſu venit; quum moleculae craſſiores nec facile adhaereſcant, nec, ob minorem ſuperficiem, adeo diffundantur.

320. MATERIEM, hujusque DELECTUM ac ORDINEM, facile intelligit, qui confert dicta (119. 120.) cum ſua indicatione. Neque enim differentia hic datur ulla, niſi, quod ſaporis, odoris, coloris, ſpecificae gravitatis nulla habita ratione, eligantur ſaltem ſcopo accommodata. Unde & huc recipiuntur frequentius, quorum nullus vel rarus uſus internus (309. β.). Cosmeticorum tamen alia ratio eſt, ut quorum praecipua virtus in odore ponitur (326.).

321. DOSIS nulla certa, nec pondere unquam determinata; utpote quam ſola fere loci conſpergendi amplitudo limitat. Hinc nec diviſio in doſes hic, uti (123. 128.), obtinet.

322. Quantitas Generalis ſimilibus, ac (312.), conditionibus definitur.

323. Proportio mutua ingredientium ex ſola ſingulorum virtute cognita, & Medici ſcopo, terminatur.

324. Subscriptio eſt. *F. vel M. F. Pulvis.* Addi poteſt, ſi requiritur, *Tenuiſſimus* aut *Pollen.* Cum Pulveris materies ſcabra, duriuſcula, inſolubilis eſt, aut partibus nudis, ſenſilioribus, Vulnere, Ulcere, Puſtulis, Scabie, Intertrigine, Eryſipelate, &c. affectis admovenda, ſcopusque poſtulat aequabilem Adſperginis diffuſionem, amplam ſuperficiem, penetrationem facilem, ſubtilitatis gradus ſummus (117. *α.*) fere praefertur. Memento tamen, tenuiſſimos pulveres, admixto humore, facile in maſſas & cruſtas concreſcere. Scatula plerumque aut lagenula *Receptaculum* praebet, aut & chartula, pro varia tum quantitate, tum natura materiae (129.). Alias & ſindoni rarae includendus jubetur.

325. Signatura utendi modum exponit, qui plerumque ſolo inſperſu abſolvitur. Si Nodulus eſt (324.), inde ſuper partem excutitur Pulvis, Si vero ſuperficiei declivitas Adſpergini retinendae minus apta eſt, haec ſuper panno lineo, laneo, aut papyro, diſtributa parti applicatur, firmatur. Quandoque addendum, an calefieri ante uſum debeat Pulvis. Alias autem & ante & poſt inſperſionem agenda injunguntur: uti dum locus prius detergendus, fricandus, inungendus, aut poſt deligandus &c. Sed haec ſua quemque docet indicatio.

326.

326. Usus Adſperginum multiplex, chirurgis praecipuè frequens, conducit ad exſiccandum, diſſipandum, adſtringendum, depurandum, acre corrigendum, exedendum, conſolidandum, &c. Vulnera hinc, Ulcera, Haemorrhagiae, Oſſa, Tendines, Nervi laeſi aut nudati, Catarrhi, Eryſipelas, Cutis vitia, &c. eas ſaepe poſtulant. Quin &, qui fragrantiae aut ornatus gratia corpori inſperguntur, Pulveres, Cyprii dicti, huc pertinent.

327. Specimina ſunto.

*

Pulvis Mundans, ad Bubonem Venereum apertum. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 268.

℞. *Pulv. fol. ſiccator. Scordii* unc. ij.
Vitriol. alb. drach. ij.
Aloës. drach. j.
M. F. Pulvis.

S. *Aperto Ulceri, deterſo prius, inſpergatur ad depurandum.*

*

Pulvis ad Eryſipelas.

℞. *Pulv. Eryſipelatod. Mynſich.*
Flor. Sambuc. ſiccator. ana unc. iij.
Smalti. unc. ij.
Myrrh. opt. dr. iij.
Camphorae. drach. iß.
Tenuiter trita M. D. ad ſcatulam.

S. *Hujus calefacti prius q. ſ. loco affecto inſpergatur, aut ſuper charta caerulea diſtributum parti applicetur & faſciâ leniter circumvolutâ firmetur.*

*

Pulvis Balſamicus, Oſſibus, Tendinibus, Nervis, nudatis conveniens.

℞. *Myrrhae* drach. ß.
Olibani.
Maſtiches. ana drach. j.
Sarcocoll. drach. ij.
Colophoniae. unc. ß.
M. F. Pulvis tenuiſſimus.

S. *Eo conſpergantur partes affectae, ſub qualibet deligatione.*

*

Pulvis Adſtringens, ad ſiſtendam Haemorrhagiam Vulneris externi. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 111.

℞. *Sang. Draconis.* drach. j.
Sarcocoll. drach. ij.
Lapid. Haematit. drach. ß.
Bol. Armen. unc. j.
M. F. Pulvis tenuiſſimus.

S. *Hujus q. ſ. inſpergatur vaſi vulnerato, & ſtupis Alcohole calido madidis, veſicaque vel faſcia circumpoſita, firmetur.*

*

Pulvis Columellam relaxatam reſtringens.

℞. *Flor. Balauſt.*
Succ. Catechu. ana ſcr. ß.
Alumen. crud.
Piper. long. ana gr. v.

M.

M. F. Pulvis ad chartulam.

S. *Lingua ſpeculo oris depreſſa, Pulvis ope fiſtulae afſfletur, aut cochlearculo impoſitus admoveatur Uvulae.*

*

Pulvis Cyprius.

℞. *Farin. Crinalis.* libr. ij.

Rad. Irid. Flor. ſubtiliſſ. pulver. unc. ß.

Ol. Lign. rhod. gutt. vj.

Accurate ſubacta & miſta D.

S. *Pulvis Odorarius, quo capillos comat, cui volupe eſt.*

*

Diapasma Acrimoniam obtundens, ad Intertriginem.

℞. *Amyli.* unc. ij.

Cretae alb.

Ceruſſae. ana unc. ß.

Pulv. Rad. Irid. Florent. drach. j.

M. F. Pulvis ſubtiliſſimus.

S. *Incluſus ſindoni rarae excutiatur ſuper parte excoriata, prius deterſa.*

De

Epithemate.

328. Epithema eſt medicamentum externum, variae conſiſtentiae, non unguinoſum, nec emplaſticum, quod ſuperficiei corporis exter-

nae, ſcopo vario, imponitur. *Fomentum* id, vel *Fotus*, dicitur, ſi calidum admovetur.

329. Triplex ejus (328.) datur conſiſtentia: (α.) *Liquida:* (β.) *Sicca* vel *ſolida:* (γ.) *Mollis*, pulmentaris. Priora duo nomen generale (328.) retinent; poſterius *Cataplasma*, *Puls*, *Malagma*, vocatur. Diſtinctionis gratia de ſingulis ſeorſim.

De
Epithemate Liquido.

330. Epithema Liquidum (329. α.) eſt liquor medicatus, ſimplex vel compoſitus, qui, frigidus aut calidus parti corporis externae, vehiculi apti interventu, ſuperimpoſitus, & aliquamdiu retentus, hanc aut profundius ſub hac ſitas partes ita mutare valet, ut Medici ſcopus poſtulat. *Fomenti* aut *Fotus* nomen huic formulae proprie datur, ſi liquor calide admotus partem calore humido fovet (328.).

331. Materiem Liquoris (330.) dant Aqua, Lac, Vinum, Acetum, Spiritus Vini, Succi liquidi, Oleum, Urina, &c. ſimplicia, aut variis modis praeparata, & inter ſe atque cum aliis cujuscunque conſiſtentiae compoſita, officinalia, magiſtralia: ut Aquae ſtillatitiae omnis generis, Aceta, Olea infuſa, cocta, Spiritus Aromatici, Tincturae, Eſſentiae, Liquores ſalini, Lixivia, Aqua Fabrorum, Calcis &c.: praecipuè ex his & aliis idoneis parata Infuſa (221.), Decocta (234.), Succi Expreſſi

preſſi (245.) Emulſa (256.), Mixturae Mediae (282.), Contractae (293.)

332. Delectum limitat indicatio Medici, partis mutandae, ejusque, cui proxime applicatio facienda, conditiones ſanae vel morboſae, & natura liquoris adhibendi cognita. Nota ergo

α. In genere ſimilia hic obtinere illis, quae dicta ſunt circa delectum internorum (223. 236. 247. 258. 284. 295.).

β. Haud tamen ſaporem, odorem, colorem, curari; hinc omitti, quae his corrigendis ad interna adhibentur, Sacchara, Syrupos, &c.

γ. Nec paullo ſpiſſior conſiſtentia adeo hic obeſt: licet interim, ubi major penetrabilitas requiritur, ſpiſſitudo minor, caeteris paribus, praeferatur.

δ. Haud ſemper ſolam hoc remedio intendi partis externae, cui id proximè admovetur, mutationem, ſed vel crebrius etiam viſcerum ac partium profundius ſub illa ſitarum (330.)

ε. Hinc convenire magis ejusmodi, quorum virtus in principiis haeret volatilibus, tenuibus, facile penetrare aptis; praeſertim ubi in interiora agendum eſt. Quare Terrea, Lapidea, Adſtringentia, Incraſſantia, & ſimilia, tum vix boni quid efficere videntur: etenim vel ob craſſitiem ſuam adſorberi nequeunt, vel oſtiola claudendo ſibi ipſis ingreſſum obſerant. Leni tamen adſtrictioni ſi Aroma aut Spiritum junxeris penetrabiliorem, plus forte praeſtabis.

ζ. Vi-

ζ. Vide etiam, quae natura ſit partis, cui liquor proximè applicandus eſt; an Oleum, Aquam, Spiritum, Acre, ferat illaeſa; ne alteri dum prodes, alteri noceas: quod maxime in iis, quibus cutis delicatior contigit, animadvertendum.

η. Ceterum &, quae interno uſui raro aut nunquam ſerviunt, huc recipiuntur v. g. Mercurialia acerrima, Saturnina, Alcohol Vini ſolum, Hyoſcyam. Mandragor. Solan. Cicuta, &c.

ϑ. Memento tamen in uſu Draſticorum, ſuperficiem corporis omnem bibulam eſſe, & abſorpta per hanc viam infundi ſanguini, inſalutato ventriculi janitore (309. γ. 313.).

333. Ordo haud differt ab eo, quem in ſimilibus formulis interno uſui dicatis (331.) commendavi ante.

334. Dosis nec pondere unquam, nec menſura alias conſueta, hic determinatur. Limites figit varia partis fovendae amplitudo, tum corporis, quo interveniente applicatur liquor, major minorve bibacitas. Panni lanei prae lineis, duplicati, triplicati prae ſimplicibus, &c. plus liquidi imbibunt.

335. Quantitas Generalis ut raro lib. ß. minor eſt, ita ſaepiſſimè lib. j. ij. iij. & plures aequat; prout vel una major minorve, vel plures partes ſimul foveri debent; vel vehiculum magis minusve bibulum eſt (334); vel Fotus diutius, brevius, continuatus, minoribus aut majoribus intervallis reno-

novatus exigitur; vel ipſe liquor magis minusve corruptioni obnoxius, facilius aut difficilius parabilis eſt, &c. Satius ferè eſt exceſſu hic, quam defectu, peccare, maximè ſi plures aut majores partes fovendae ſunt; ne liquor juſtò citius, aut & ſub prima applicatione deficiat.

336. Proportio ingredientium mutua patet ex dictis (227. 240. 251. 264. 288. 299.), collatis cum (313. 332.) Limitat hanc ſola Medici indicatio & virtus materiae cognita. Uſus autem externus interno minus arctos habet terminos. Memento ſaltem (332. ϑ.), tum conſiſtentiae; ne ſpiſſitate nimia minus penetrabilis ſit.

337. Subscriptionis eaedem leges ſunt, quales ſimilium liquorum internorum (228. ad 230. 241. 252. 265. 289. 300.), nomina ſi exceperis internum uſum indicantia, quibus hic ſubſtitui poteſt: *F. Liquor pro Epithemate vel Fomento.* Alias tamen & a parte, cui applicantur, nomen accipit; uti poſtea ſub Externis Propriis (304.) patebit: alias ab ingredientibus: unde *Oxyrrhodini* appellatio. Vide (472.). Ceterum & hic quandoque materies, e qua per infuſionem aut decoctionem parandus eſt liquor, ſaltem petitur a pharmacopoeo, reliquum opus aeger ipſe ſive adſtantes perficiunt, uti (228. 230. 241.). *Specierum* tunc aut *Collectionis* nomine etiam utimur. Tandem nec depuratione exactiſſima (229. δ. 241. γ. 252. γ.) hic adeo opus.

338. Signatura, praeter nomen (113. γ. 330. 337.), indicat

α. Prae-

α. Praeparationem, ſi haec pharmacopoeo non committitur (337.) Conf. (231. *β.*).

β. Partes fovendas. Hae, juxta (330. 332. *δ.*), ſunt vel Externae, quibus proximè admoveri poſſit liquor. Circa has, utpote ſat manifeſtas, id ſolum noto, quod, ſi vulnere aut ulcere patulae fuerint, quandoque prius materie apta tegi debeant; ne cruda loca tangat liquor, hisque agglutinetur areſcendo, aut alio modo incommodet. Vel ſunt Internae, profundius ſub integumentis ſitae. His Fotu mutandis idonea ſeligitur regio externa, pro ſitu partis & Medici ſcopo varia. Quocirca ſitus & conſenſus partium, tum curſus vaſorum ac nervei ſyſtematis diſtributio, cognita maximè conducunt. Eſt, ubi Fotus ipſam in partem proximè agere debet, hanc v. g. roborando, emolliendo, humectando, refrigerando, ei impactum reſolvendo, diſſipando, &c. Regio externa, cui pars propius, interpoſitis molliſſimis & minime craſſis integumentis, ſubjacet, aptum tunc Epithemati locum praebet. Eſt, ubi revellere aut derivare a parte ſcopus poſtulat: tum vel inferiori cuidam vel ſuperiori vel & laterali regioni vicinae aut remotae applicatio fit; prout & pars ipſa ſita eſt, & cum hac illave parte externa magis minusve conſentit. Alias & in univerſam ſanguinis maſſam conamur agere: cui ſcopo eliguntur loca externa, ſub quibus majora & nudiora vaſa decurrunt; uti Tempora, Collum, Axillae, Carpi, Inguina, Poplites, &c.

γ. Vehi-

γ. Vehiculum (330.). Eò plurima adhibentur: Panni linei, lanei, varii coloris, rubri praeprimis, textum ſericum, ſtupae, panis toſtus, hujus mica, ſpongia, Epithema ſiccum vel Sacculus, de quo poſtea. Alias & veſicae ſuillae duplo capaciori includitur liquor. Selectum dictat ſcopi & partis fovendae diverſitas, tum promtior unius prae alio parabilitas. Si plurimum liquidi admovendum, hujusque calor diutius conſervandus eſt, Panni lanei, Spongia, Stupae, magis ex uſu ſunt. Veſica diſſipationem liquoris praepedit, caloremque conſervat, nec inquinat: ſed & nonniſi ſubtiliores particulas, & lente quidem, transmittit. Scitur hinc, ubi conveniat. Si regio fovenda tenerior eſt, & Epithema non calefactum admovetur, aut conſervandi caloris non magna urget neceſſitas, linteaminibus uti licet, iisque duplicatis, triplicatis, &c. ſi multo liquore admoto opus eſt.

δ. Calidus an *Frigidus* admovendus ſit liquor. Intentio Medici, partis & materiae natura, hoc docent. Ubi validiſſimè reſolvendum, penetrandum, adtrahendum, calor ſummi uſus eſt. Nocet is gelu conſtrictis, repulſui, &c. Spirituoſa, Volatilia, rectius frigida vel ſaltem tepida adhibentur, niſi alia repugnent. Vehiculi (γ.) etiam calefactione, antequam id liquido imbuatur, hujus frigus temperare licet.

ε. Quomodo applicatus liquor *Continendus*. Huc facit ligatura. Si vero longior humoris & caloris con-

conſervatio requiritur, veſica ſuilla, oleo prius madefacta, ſuper Fotu extenſa, & firmata, conducit. Quin & huic ſacculum arena calida plenum, operculum figulinum, lapideum, aliudve corpus calefactum, nec cito frigeſcens, ſuperimponere juvat, quod dein, nata refrigeratione, removeri, iterumque calefactum apponi poteſt, Fotu ipſo interim ſuper parte retento.

ζ. Quamdiu Epithema ſuperdatum *relinquere*, an & quando vel *calefacere* iterum vel *renovare*, & quousque *continuare* oporteat, &c. Multa hic datur varietas. Alias ex ſymptomatis mitigandi ceſſatione terminus figitur; ubi v. g. dolor, vigiliae, frigus, calor, anxietas, vomitus, haemorrhagia, virium collapſus, delirium, &c. remiſerunt. Alias ex vi liquoris diſſipata; dum v. g. refrixit, vel vehiculum (γ.) exaruit, &c. Alias tempora praeſcribuntur; ut v. g. mane, veſpere, quotidie ſemel, bis, ſingulis 2. 3. &c. horis, & ſic porro. Quae omnia in caſibus ſpecialibus facile quis limitaverit, conſiderans ſuam intentionem, morbi vel ſymptomatis indolem, liquoris naturam volatilem, fixiorem, &c., vehiculi materiem, apparatum facilem vel difficilem, & ſimilia.

339. Usus Epithematum valde univerſalis, Acutis, Chronicis, Externis, Internis, malis levandis peraptus, virtute varia emolliendi, adſtringendi, roborandi, repellendi, adtrahendi, calefaciendi, refrigerandi, diluendi, reſolvendi, diſcutiendi, ſopien-

piendi, excitandi, acre corrigendi, demulcendi, &c. ſolidis fluidisque opem fert: quin & quibuscunque fere evacuationibus aut efficiendis aut promovendis conducit, aetati ſimul omni conveniens; modo & materies arte ſeligatur, & tempeſtiva fiat atque idonea applicatio. Pulchrè quandoque remedii interni vices ſupplent externa iſthaec in infantibus, aliisve, qui ore capienda horrent aut deglutire nequeunt. Applicatio tamen & renovatio aliis iterum moleſtior eſt, quam uſus internorum. Nocent & aliquando inepte adhibita; dum, cauſâ morbi non ſublata, ſymptomata tollunt: quod maximè circa ſtupefacientia obtinet: aut dum repellentia, materie morbi haud ſatis mobili, vaſa conſtringendo illam magis compingunt; aut, quae calida requirebantur, ſub longiore applicatione nimis frigeſcunt, &c. Haec tamen, perverſo ſaltem uſui tribuenda, artis peritus facile evitat.

340. Specimina ſunto.

*

Epithema Aromaticum, promovens ſaburrae inteſtinalis excretionem in infante recens nato. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 240.

℞. *Vitell. Ovi.* N. j.
Spirit. Matrical.
Tinct. Abſynth.
Aq. ſtiliat. Foenicul. ana drach. ij.
M.

S. Excepta pauxillo micae panis ſtomacho applicentur.

℞ Aliud

*

Aliud, ad Nauſeam ab inordinato liquidi nervoſi motu ortam. Vid. Ibid. p. 143.

℞. *Aq. Vitae Matthioli.* unc. j.
Spir. Rad. Angelic.
Carmin. Sylv.
Menthae. ana unc. ij.
M. D.

S. *Taleola panis triticei toſti, bene irrorata his, applicetur, calidè epigaſtrio, ſuperapplicetur veſica ſuilla oleo humectata, & dein ſupra hanc apta ligatura: renovetur poſt* xij. *horas.*

*

Emulſum externum, Anodynum, Demulcens, leniter Aperiens. Ibid. p. 123.

℞. *Semin. Pomor. Cotoneor.* n°. vj.
Cum *Aq. ſtillat. Flor. Roſar.*
Sambuc. ana unc. iij.
F. ſ. a. Emulſio, cujus puro liquori admiſce
Spir. Vini rectificat. unc. ß.
Tinct. Opii. drach. j.
D. ad Vitrum.

S. *Parti a cauſtico aliove acri foris applicato laeſae & dolenti cum panno lineo triplicato admoveatur calidè: renovetur, ubi ſiccefcit.*

*

Fomentum Laxans, Reſolvens, Paregoricum, ad Pleuritidem. Ibid. p. 168.

℞. *Fol. Malvae*

Fol.

Fol. Biſmalvae
Parietar. ana m. ij.
Papaver. hortens.
Hyoſcyam. ana m. j.
Flor. Sambuc.
Chamaemel.
Melilot. ana unc. iij.
Cum. *Lact. dulc.* q. ſ. F. Decoctum pro Fomento.

S. *Veſica ſuilla, hoc liquore calidiſſimo ad dimidias repleta, admoveatur lateri dolenti, firmetur ligamine: tum ſuperponatur ſacculus arena calidiſſima plenus, qui frigeſcens iterum calefiat, aut ei mox ſubſtituatur alius jam calefactus. Continuentur haec, donec dolor remiſit.*

*

Fotus Laxans, Mulcens, Spasmos reſolvens, Flatus diſcutiens, adverſus Colicam.

℞. *Flor. Chamaemel.*
Melilot. ana man. j.
Bacc. Laur.
Sem. Carui. ana unc. j.
Coq. ex *Lact. dulc.* q. ſ. per ¼ hor. Colat. fortiter expreſſ. lib. iij. admiſce
Sapon. venet. unc. iß.
Croc. opt. pulv. dr. ij.
D.

S. *Hoc liquore calido bene imbutus pannus laneus, mox expreſſus, imponatur univerſo ventri, ac quovis bihorio renovetur.*

*

Epithema Reſolvens, Anodynum, adverſus Arthritidem.

℞. *Aq. Regin. Hungar.* unc. viij.
Spir. Sal. Ammon. unc. ß.
Camphor. dr. ij.
Opii crud. dr. ß.
Sapon. ven. unc. iß.
M. D.

S. *Lintea hoc liquore tepido madefacta partibus dolentibus ſuperdentur, ac ſingulis horis renoventur.*

*

Fotus Antiſepticus, calorem vitalem reſuſcitans, inteſtino per vulnus abdominis egreſſo conveniens. Ibid. p. 83.

℞. *Inteſtina pura Animalis junioris.* q. ſ.
Coq. in *Aq. commun.* q. ſ. ſpatio $\frac{1}{8}$ horae; dein adde
Flor. Chamaemel.
Lavendul.
Centaur. ana m. ß.
Fol. Menth. m. j.
Stent in Infuſione per ' horae.
D.

S. *Liquor calidus cum panno laneo applicetur.*

*

Epithema Adſtringens, Repellens, ad Aneurysma &c. Vid. Fuller Pharmac. Extemp. p. 123.

℞. *Fuligin. lignor. denſae. ac ſplendent.* unc. ß.
Vitriol.

Vitriol. Anglic. dr. ij.
Coq. ex *Acet. vin.* unc. xij. ad reſiduum unc. viij. Colat. D. uſui.

S. *Linteum quadruplicatum, hoc liquore frigido intinctum & expreſſum, parti affectae applicetur.*

*

Epithema Lactantibus utile ad dolentes Papillarum fiſſuras.

℞. *Fol. Althaeae* man. j.
Aq. commun. in qua aliquoties pruna lign. extincta ſit. lib. j.
Macerentur per aliquot horas, ſub leni calore: dein liquori defuſo admiſce
Spir. Vin. Camphor. unc. ij.
Balſ. Peruv. cum vit. ovi ſubact. dr. j.
Opii gr. vj.
D.

S. *Foliolum Althaeae, iſto liquore prius tepefacto ac concuſſo humectatum, parti affectae ſaepius imponatur.*

*

Epithema Putredini reſiſtens, Cardiacum, in Gangraena: ad exemplum H. Boerh. Mat. Med. p, 102.

℞. *Herb. Scordii.*
Menthae
Summit. Rutae
Fol. Roſmarin. ana m. ß.
Cort. Cinnamom.
Nuc. Myriſtic. ana drach. ij.
Conſciſſa, tuſa, cum *Acet. Roſac.* & *Vini*

Rhenan. ana unc. viij. coquantur in phiala alta, vitrea, per ½ horae. Liquori decantato adde
Aq. Prophylact. Sylv. unc. ij.
M. D.

§. *Hoc liquore imbutae ſpongiolae admoveantur parotidibus, axillis, ſcrobiculo cordis, carpis, inguinibus. Taleola panis toſti eodem imbuta naribus ſupponatur. Renoventur quolibet trihorio.*

De

Epithemate Sicco.

341. EPITHEMA, *Fotus*, *Fomentum*, SICCUM eſt Pulvis medicatus (116.), qui, conſuto pleſumque panno incluſus, externae corporis ſuperficiei, vario tam internas quam externas partes mutandi ſcopo, apponitur. *Sacculus*, *Saccus*, *Cucufa*, *Cucullus*, *Frontale*, *Scutum*, *Lectulus*, *Pulvinar*, &c. audit, prout aliis atque aliis partibus aut uſibus inſervit.

342. Craſſior hic, aut mediocriter tenuis tantum Pulvis (117.) ferè uſitatus eſt; quia particularum ejus adhaeſio ad ſuperficiem corporis, vel de continente panno excuſſio, non adeo in hac formula, uti in Adſpergine (319. 325.), deſideretur.

343. MATERIES in genère eadem eſt, quae (119. 120.), ſi & ſimilia externo uſui apta accenſueris.

344. DELECTUM docent (121. 320. 322.) comparata ad (341. 342.). Paucis nota

α. Ve-

α. Vegetantium partes ſicciores, Radic. Cortic. Fol. Flor. Semina, Baccas, Aromata, Succos duros, tum ex his compoſitas Species officinales, &c. maximè huc adhiberi.

β. Penetrabilitatem (332. ε.) hic vel magis etiam requiri ob conſiſtentiam & uſûs rationem (341. 342.).

γ. Superaddi ſaepe Epithemata Liquida (330.), tum ut horum ope materies ſicca fiat actuoſior, tum ut haec illis ſit pro vehiculo (338. γ.).

δ. Ad Lectulos & Pulvinaria paranda Paleam miſceri Pulveri medicato, quae hunc diffundat. Idem in Cucufis aut ſimilibus Sacculis, qui ſimul molliores requiruntur, nec multum madefaciendi ſunt, quandoque praeſtat Goſſypium, aut Lana animalis.

ε. Sacculi Arena repleti huc quoque pertinent, vel ſoli, vel cum Epithemate Liquido uſitati (338. ε.), ubi calor ſiccus, vel humidus, diu conſervandus requiritur. Sed hi a pharmacopoeo non petuntur, neque hinc ad inſtitutum noſtrum pertinent.

345. Ordo idem, qui (122.), obtinet.

346. Dosin limitat amplitudo ſuperficiei fovendae, & Sacci implendi (341.) capacitas ſcopo Medici apta. Unde diverſiſſima eſt. Crinita Capitis pars, Ventriculus, Hepar, ferè unc. ij. iij. iv. poſtulant: Cor, Lien, Ren, unc. j. iß. ij: reliquae partes pro ratione ſuae magnitudinis. Lectuli, Pulvinaria, quibus incumbendum, plures libras exigunt. Scito autem,

α. Variam & ſtaturam aegri, & aetatem, & morboſam partis extenſionem, multum hic diſcriminis parere.

β. Non infarciri, ſed laxè ſaltem repleri Sacculos; ut ſat ſequaces & molliculi ſint.

γ. Denique ingredientium quoque (344. α.) diverſae denſitatis rationem eſſe habendam.

347. Quantitas Generalis definitur ex doſium mole (346.) & numero (68.). Plures enim ſaepe unà praeſtituuntur, ut vel diverſis partibus ſimul, vel uni alternatim, adhiberi queant. Inde major hic varietas obtinet, quam quae generales regulas admittat. In univerſum exceſſus aliquis defectu tolerabilior eſt.

343 Proportionem mutuam ingredientium conditiones ſimiles (323.) terminant.

349. Subscriptio mandat

α. *Pulveris Praeparationem*, quae fit conſciſſione, tuſione plerumque rudiore, vel, ut vocant, *groſſo modo* facta (342.), miſtione. Aliquando ingredientium quaedam, aut omnia, in ſartagine torrenda jubentur; ut vel augeatur vel mutetur virtus: quod tamen in volatilioribus nocet. Alias & ſpecies, antequam immittantur Sacculo, liquidis efficacibus, Spiritu, Oleo, Tincturis Aromaticis, Eſſentiis, &c. conſperguntur.

β. *Sacculi Confectionem*. Ubi occurrit (1.). Pannus adhibendus, qui plerumque eſt lineus tenerior, rudior;

dior, ſindon, aut ſericus, raro laneus. Partis fovendae conſtitutio; Pulveris quantitas, qualitas; major minorve vis, quam Sacculus ſub applicatione pati debet; pretium panni; opinio aegri, &c. electionem ſigunt. (2.) Figura, quae parti ſovendae & uſui accommodatur. Capiti crinito cucullaris, fronti quadrato oblonga, cordi pyramidalis, ventriculo ſcutiformis, hepati lunata, lieni linguae bubulae aemula, umbilico rotunda, &c. ferè tribuitur. Lectuli, Pulvinaria, magnitudine ſaltem aptanda, formam uſitatam ſervant. Quandoque & pollicari menſura longitudo & latitudo exprimitur parti contegendae reſpondens. Alias tamen, partis fovendae tantum facta mentione, reliquum pharmacopoei peritiae relinquitur, mandando ſaltem: *F. Sacculus pro Corde, Hepate*, &c. aut *Scutum Stomachicum*, &c. (341.) Vel etiam una cum formula transmittitur pharmacopoeo charta ejus figurae ac magnitudinis, qua Sacculus deſideratur. (3.) Numerus denique, ubi plures ſimul conficiendi ſunt (347.), memoratur.

γ. *Sacculi Repletionem.* Hanc, ubi opus eſt, praecedit Pulveris cum palea permixtio, aut cum goſſypio vel lana exceptio (344. δ.). Incluſio ipſa ſuturâ plerumque perficitur. Aliquando tamen & ſimplex illigatio aut complicatio ſufficit, ubi vel figura (β. 2.) exacta, vel applicatio diuturna, non exigitur. Denique & interſuuntur Sacculi majores, quod barbarè *interpaſſare* vocant; ne Pulvis incluſus conglomeretur, aut verſus unam ſedem coacervetur.

δ. Hactenus tamen (β. γ.) dicta ſaepiſſime aeger hujusve adſtantes curant, pharmacopoeo ſaltem Pulverem (α.) exhibente. Subſcribitur tunc modo. *F. Species pro Cucufa*, *Sacculo*, *Lectulo*, *Epithemate*, &c.

350. Signatura, poſt nomen (341. 349. δ.), exponit.

α. *Specierum Incluſionem*, ſi has ſolutas modo tradit pharmacopoeus (349. δ.), immitti autem Sacculo ſcopus poſtulat. Haec vero ſimilis tunc eſt (ibid. β. γ.).

β. Quae ad *Applicationem* pertinent. Adhibentur autem Epithemata iſthaec vel (1.). ſola, ſicca, utplurimum prius calefacta. Vel (2.) vi medicatâ aliorum ante imbuta, ut actuoſiora fiant. Quare crebro prius Epithemate Liquido (330. 338. γ.) humectantur, macerantur, conſperguntur, aut & cum eo decoquuntur: alias quoque decocti idonei vapore, aut ſuffitûs accenſi fumo, imbuuntur. Vel (3.) Epithemati Liquido applicato ſuperadduntur, hujus ut calorem conſervent, vim augeant. (338. γ. ε. 344. ε.). Denique (4.) non adeo conſtanter uſitata eſt ſpecierum in ſacculum incluſio, quin & nonnunquam laxae inſpergantur calenti Pani, ac ſuperextenſa ſindone retentae, fovendis partibus imponantur: quod cum ab ipſo aegro aut miniſtris ejus curari debeat, ſcripto in Signatura, aut voce, praecipiendum eſt; uti per exempla deinceps eluceſcet. Reliqua repetantur ex dictis (338.); utpote quorum plurima & hic locum habent.

351. Uſus idem eſt, qui (339.). Minor ſaltem plerumque Sicci Epithematis eſt penetrabilitas, actio lentior, niſi Liquidum accedat (350. β. 2.). Eſt tamen, ubi ſiccus calor magis prodeſt, facilius fertur. Saltem nocumentis ex celeriore refrigerio, & incommodis ex inquinatione haec formula minus patet, quam prior (339.). Poſſent huc quoque aliqua ratione referri Epithemata ex Catellis vivis, Columbis, Pullis Gallinaceis, &c. diſſectis, Omento, aliisve Animantium partibus etiamnum vitali calore praeditis, Pane adhuc a furno calente, & ſimilibus, vel ſolis, vel aliorum acceſſu magis appropriatis, parari ſolita, quae facile ex hac hiſtoria intelliguntur. Amuleta denique & hujus loci ſunt; quum extrinſecus corpori appenſa aut ſuperdata, ubi concaleſcunt, virtutem ſuam exſerere perhibeantur. At rarus hodie inter cordatos Medicos eorum uſus eſt; & ſi quis, rariſſime per modum formulae a pharmacopoeo petuntur: revelata enim materies plerumque vileſcit.

352 Specimina ſunto.

*

Cucufa Confortans, Capiti debili, frigido, Catarrhis obnoxio, proficua.

℞. *Rad. Angelicae.* unc. j.
Herb. Majoran.
Salviae.
Folior. & Flor. Roſmarin.
Summit. Serpill. ana m. ß.
Semin. Nigell. Rom. drach. iij.

Caryo-

Caryophyll. arom. drach. j.
Maſtiches.
Styrac. calamit. ana drach. ij.

Conſciſſa, tuſa ruditer, miſta, D. ad chartam.

S. *Species pro Cucufa, quae goſſypio exceptae includantur duplicaturae cuculli, & punctim interſuantur. Cucullo, mane & veſperi fumo Lign. Juniper. accenſi imbuto; ſemper tegatur caput.*

*

Scutum Stomachicum, ad Nauſeam a turbis nervei ſyſtematis ortam. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 142.

℞. *Pulv. Aromat. Roſac.*
Diagalang.
Diarrhod. Abb. ana unc. j.
M.

S. *Inſuta ſindoni applica Epigaſtrio.*

*

Aliud ſimile, Ventriculum roborans, Calfaciens, Digeſtionem promovens.

℞. *Rad. Angelic. Hiſp.*
Calam. arom. ana dr. ij.
Herb. ſicc. Menth.
Abſynth. ana man. ß.
Sem. Coriandr.
Carui. ana dr. iß.
Cinnamom.
Nuc. Moſch.
Macis.

Caryo-

Caryophyll. ar. ana dr. j.
Balſ. Peruv. gutt. xx.
Conciſis, tuſis, miſtis, F. Pulvis craſſus pro Scuto Stomachico.

S. *Ex ſerico culcitula fiat, qua Pulvis includatur, interſuatur. Haec calefacta, Vino Canarino aut Burgundico conſperſa, ſedi ventriculi applicetur.*

*

Epithema ad Dolores Colicos a cauſa frigida, flatulenta, natos.

℞. *Semin. contuſ. Aniſi.*
Cumini ana unc. j.
Piperis drach. iij.
Nuc. Myriſtic. drach. ij.
Caryophyllor. arom.
Maceris. ana drach. j.
Confciſſa, tuſa, miſta, D. ad chartam.

S. *Species Calefacientes, quae panis adbuc a furno calentis, transverſim diſſecti, ſuperficiei internae, micaceae, inſpergantur, tum Spiritu Vini irroratae, ſindone ſuperextenſâ contineantur, & epigaſtrio vel regioni dolenti applicentur: poſt tres quasque horas ſindon Spiritu Vini iterum humectetur.*

*

Lectulus & Pulvinaria Roborantia, Antirachitica. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 275.

℞. *Folior. recent. in umbra ſiccator.*
Filicis maris. lib. iij.

Maje-

Majoranae.
Meliſſae.
Menthae. ana m. ij.
Flor. recent. in umbra ſiccator.
Meliloti.
Trifolii odorati.
Sambuci.
Roſarum. ana unc. ij.

Tritis in Pulverem, & miſtis, F. Species pro Lectulo & Pulvinaribus.

S. *Species Roborantes, quibus cum duplo tanto* Paleae Hordei *miſtis, ac dein linteo immiſſis, fiant Lectulus & Pulvinaria, quibus incumbat aeger. Defendantur autem ab humido, & ſaepe ſuſpenſa in vento exſiccentur.*

*

Epithema Siccum ad Hydrocelen, Serum diſſipans, educens. Ibid. p. 226.

℞. *Sal. marin. decrepit. ſicciſſimi, calidi, tenuiſſime triti.* q. ſ.

D.

S. *Intra lintea conſuta applicetur calidus: ſimul ac madeſcit, alius ſimilis Sacculus, priori remoto, ſubſtituatur.*

*

Fomentum Antiphlogiſticum, ad Nephritidem. Vid. H. Boerh. Aphorism. §. 997. n. 3.

℞. *Herb. Parietar.* m. ij.
Flor. Chamaemeli.

Flor.

Flor. Meliloti.
Sambuci ana unc. .
Semin. contuſ. Lini. unc. j.
Conſciſſa, tuſa tenuiter, miſta, laxè immiſſa duobus Sacculis lineis, quatuor pollices longis, duos latis, inſuantur.

S. *Sacculi Renales, quorum unus horae quadrante cum lacte dulci coctus, calidus, imponatur regioni lumbari dolenti, firmetur ligamine: ubi refrixit, interea ſimiliter coctus alter priori ſubſtituatur.*

Sacculus Cordialis, excitans in Languore ab inertia defectuve vigoris nervoſi orto.

A. ℞. *Folior. recent. Meliſſae.*
Baſilic. ana drach. iij.
Flor. Lavendul. ſiccator. drach. ij.
Cort. recent. Aurant.
Cinnamom. ana drach. j.
Croci Britann. drach. ß.
Conſciſſa tenuiter inſuantur Sacculo, pyramidali, ſerico, rubro.

B. ℞. *Aq. Meliſſ. magiſtral.* unc. ij.
Sal. Volat. Oleoſ. drach. ij.
Tinct. Ambari. drach. j.
M. D. ſeorſim vitro probè clauſo.

S. *Sacculus* A. *regioni Cordis apponatur prius irroratus Liquore* B.: *ubi exaruit, iterum humectetur.*

Fotus

*

Fotus Adſtringens, Inteſtino Recto prolapſo, reducto, conveniens.

℞. *Herb. Anſerin.*
Folior. Quercus ana m. j.
Flor. Balauſt.
Gallar. Quercin. ana unc. ß.
Conſciſſa, tuſa, inſuantur binis Sacculis ſericis, aequalibus.

S. *Coquantur Sacculi in Vini rubri & Acet. vin. ana q. ſ. & calidi alternatim admoveantur Ano.*

*

Sacculi ad Eryſipelas, Diſcutientes, Repellentes.

℞. *Pulv. ad Eryſipel.* pag. 245. *deſcript.* unc. iv.

Vel

℞. *Flor. ſiccat. Chamaem.*
Sambuc. ana Man. j.
Farin. vel *Amyli* unc. ij.
Ceruſſ.
Smalti. ana unc. ß.
Myrrh. rubr. dr. ij.
Camphor. dr. j.
Croc. opt. dr. ß.
Contuſis, miſtis, F. Species pro ſacculis. D.

S. *Species ad Eryſipelas. Inſuantur duobus Sacculis ex ſindone confectis, ac aequaliter diſtributae interpaſſentur. Hi, prius calefacti, ac glebula Camphorae perfricti, alterne ſuperdentur parti affectae,*

De

De

Cataplaſmate.

353. CATAPLASMA eſt Epithema molle (328. 329. γ.), cohaerens, pultiforme, Electarii (148.) fere conſiſtentia, calore non colliqueſcens, varii uſus externi.

354. Coctione id (353.) paratur frequentiſſimè: quandoque tamen & ſine hac, ſolo tritu & mixtione. Unde duplex eſt: *Coctum* aliud, aliud *Crudum*. De illo, cum proprie Cataplasmatis nomen gerat, prius exponendum.

De

Cataplaſmate Cocto.

355. CATAPLASMA COCTUM conſiſtentiae non diffluenti (353.) junctam exigit particularum, quibus conſtat, teneritatem & cohaeſionem lubricam. His ſi accedit earundem parvitas & miſtio velut homogenea, *Puls* vocatur.

356. MATERIES triplex hic uſitata eſt: *Liquor*: *Corpus* huic *incoquendum*: *Acceſſorium*.

α. *Liquorem* praebent varia: Aqua; Lac dulce, ebutyratum, Serum Lactis; Succus preſſus liquidus; Mulſa; Vinum; Acetum ſimplex, aut medicatum officinale; Urina; Lixivium; Oleum preſſum, infuſum, coctum: quin & quandoque ſpiſſiora, calore tamen liqueſcentia, Butyrum, Axungiae,

Unguenta, &c. Horum quòque plura inter ſe miſta nonnunquam, ſcopo exigente, adhibentur.

β. *Coquenda Materies* maximè e regno vegetabili petitur: quo pertinent Radices; Bulbi; Cortices; Herbae; Folia; Flores; Fructus; Semina; vel ex his parati Pulveres, Farinae; tum Succi denſi, &c. Animale & Foſſile Regnum pauca exhibet. Stercora, Nidus Hirundinum, Saturnina, &c. hujus ſunt cenſus.

γ. *Acceſſorium*, ſub finem coctionis, aut hac peracta, immiſcendum, vel (1) virtutem auget, coctionem impatiens aut non egens: uti ſunt Aquae & Olea Aromatica, Tincturae, Eſſentiae, Spiritus, Vinum, Acetum, Balſama, Extracta, Pulpae, Electaria, Gummireſinae, Succi liquidi, ſpiſſi liqueſcentes, Fermentum Panis, Salia, Sapo, Pulveres teneriores, Vegetantium partes molliores, aromaticae, Crocus v. g. & ſimilia. Vel (2.) conſiſtentiam & cohaeſionem lubricam (355.) efficit: cujusmodi ſunt Farinae, Pulveres tenues, molles, Olea, Unguenta, Butyrum, Mel, Mica Panis, Ovi Albumen, Vitellus, Mucilagines, &c.

357. Delectum docent dotes Cataplasmatis (345.), coctionis nota vis, & indicatio Medici. Hinc

α. Repete dicta (232.), quorum plurima & huc quadrant.

β. *Materies decoquenda* (356. β.) vel mollis eſto, vel

vel coctione molleſcens: ut ideo dura quaevis, minus ſucculenta, Ligna, Stipites, Radices, Cortices, &c. ferè excludantur; recentes vegetantium partes praeferantur ſiccis.

γ. Si tamen duriora aut tenaciora requirit indicatio, ante coctionem tundendo ac conquaſſando in pulverem tenuari, aut in paſtam molliri debent. Unde quorum pulveres aut farinae in officinis proſtant, pararive cito & facile poſſunt, iſta potius forma adhibentur.

δ. Minus etiam apta ſunt, quorum virtus ſub coctione, utpote hic aperto fere vaſe inſtituendâ, avolat. Rectius haec, tanquam Acceſſoria (356. γ.), peracta coctione ſuperaddideris, pro ſuae naturae diverſitate, tritu prius vel in pulverem, vel in paſtam, redacta. Confer (236. ο. 237.). Attamen id genus ingredientia quandoque etiam vaſe exacte clauſo in Cataplasma coqui recte ſolent; modo caveatur, ne vel abundans Liquor (356. α.) neceſſariam faciat diſſipationem, vel ignis vehementior, ob defectum agitationis, empyreuma producat. Hinc ſaepe & ſuccoſiora, ſuis defenſa aridioribus tunicis, ut Bulbi Cepar. Allior. Porr. Lilior. alb. Rapae, Poma, &c. calido ſub cinere pulchre ad hos uſus aſſantur.

ε. Panis, farinae, vel pulveres tenuiores vegetantium, faciendis Pultibus (355.) plerumque ſerviunt.

ζ. Alias & reſiduum a Fomenti Liquidi decoctione

ne (331.) materiem praebet, quando & Fomenti & Cataplasmatis, ejusdem virtutis, junctus requiritur uſus. Raro tum repetitâ opus coctione; quum Acceſſoriis ſuperadditis facile Cataplasma congruum obtineri poſſit.

η. *Liquor* (356. α.) & ſcopo & materiae decoquendae aptus ſeligatur, coctionem quoque illibata vi ſuſtinens. Humectare, emollire, laxare, dum vis, Aquam, Lac, hujusve praeparata, Oleum & huic adfinia, capito! Ubi aperiendum, reſolvendum, ſtimulandum, Aceto, Oxycrato, Urina, Lixivio, &c. utere! Ex variis inter ſe junctis virtus compoſita naſcitur. Cave autem, ne Acida cum Lacte dulci componas! Coagulum enim & ſeri ſeceſſus hinc conſequitur, quo aequabilis Cataplasmatis conſiſtentia perturbatur. Vinum, Aquae Stillatitiae, Spiritus Vini, Olea aromatica, & ſimilia, coctionem vix ferunt (236. α. β. γ.), hinc ſatius pulpae jam coctae admiſcentur.

ϑ. *Acceſſoriis* (356. γ.) haud ubique opus. Conſiſtentia modo, aut virtus expetita, in materie coctâ deficiens, ea poſtulat. Hinc ſi juſto tenuius eſt magma, nec ſatis aequabile, pulveres, vel farinas addimus; ſi ſiccius, minus lubricum, olea, vel huic analoga. Alias & quantitatis augendae gratia utrisque utimur. Potiſſimum vero & illa, quae vim ignis absque virtutis diſpendio non ferunt, aut, quia ſola coagitatione cum reliquis facile concorporari queunt, non repoſcunt, pro acceſſoriis pulti jam

jam coctae ſuperadduntur; quum ſpiſſioris materiae coctionem, torrenti calori obnoxiam, quantum pote evitare expediat.

ι. Sint autem Acceſſoria cujuscunque claſſis vel liquida, vel calore liqueſcentia, vel mollia pultiſormia, vel pulverulenta teneriora, nec aequabili mixtioni reſiſtant. Quae difficulter ſolvuntur, aut calore in grumos coëunt, v. g. Reſinae, Gummi reſinae, Galbanum, Sagapenum, &c. Aceto prius, Vino, Spiritu vini, Vitello ovi, ſubigere expedit.

κ. Olea & his affinia ne promiscuè ubivis adhibeto. Obſtruendo poros ſaepe nocent, ni ſapone aut menſtruo idoneo ea attenuaveris. Itaque cum lubricante opus eſt, nec tamen pingui meraco uti licet, Mel, Sapo, Vitellus ovi, commode ſubſtitui poſſunt.

λ. Numerus ingredientium, qualis in Decoctis (236. ψ.), fertur.

258. Ordo quoque idem eſt, ac (237.). Acceſſoria (356. γ. 2.) plerumque poſtremum tenent locum; quia ſaepe quantitate non determinata praeſtituuntur. Si tamen valde volatilia accedunt, haec, quippe ultimò immiſcenda, reliquis poſtponuntur.

359. Dosis ex partis fovendae magnitudine cognoſcitur, alio non egens limite.

260. Quantitatem Generalem ſimiles conditiones (335.) determinant. Unde uti lib. ij. iij. & plures, quandoque aequat, ita, ob coctio-

 nis

nis neceſſitatem, raro lib. ß. minor praeſcribitur.

361. Proportio ingredientium mutua ferè tota intelligitur ex (227. 240. 313. 336.). Adde ſaltem,

α. Materiem decoquendam (356. β.) ea capi quantitate, quae ſcopo, doſi (359.), & quantitati generali (360.) ſufficiat: quum tota ejus ſubſtantia hic in uſum veniat. Repetantur ceterum dicta (313. 336.).

β. Liquoris (356. α.). Proportionem vix unquam determinari, ſed capi modo q. ſ. Sufficit autem huc parcior plerumque quantitas, quam ad Decocta interna, vel externa liquida (240. 313. 336.); ut tanto citius juſta obtineatur conſiſtentia (353.): modo non requiratur coctio longior ad materiem (357. β.) emolliendam. Ea propter conſultius fere eſt, aliquo defectu, quam exceſſu, hic peccare: abundans enim liquor juſto diutius protrahere coctionem quandoque cogit: at deficiens portione nova inter coquendum affuſa ſuppleri poteſt.

γ. Quodſi vero apparatu clauſo Cataplasma parare animus eſt (357. δ.), major etiam cura adhiberi debet, ne vel nimia liquoris quantitas, ob impeditam diſſipationem, incommodet, vel nimis exigua ambuſtionem producat. Prudens hinc Medicus iſtam rem pharmacopoei peritiae recte committit.

δ. Oleum, Butyrum, Axungia, &c. ſi pro menſtruo fuerint (356. α.), perparca recipiuntur; ne igni

igni diutius admota ranceſcant, & acria reddantur. Unde frixio potius aut ſimplex colliquatio, quam coctio, tum plerumque hic uſitata eſt.

ε. Pultibus (355.) itidem minor ferè liquidi quantitas ſufficit; quia materies (357. ε.) tenerior coctione leni facile concorporatur.

ζ. Acceſſoria (356. γ. 1.) vix certos in genere admittunt limites. Virtus eorum, & conſiſtentia magis minusve ad Pultis ſpiſſitatem accedens, quantitas materiae decoctae, & intentio Medici, hic conſiderandae. Si fluiditate vel ſiccitate nimia juſtam Cataplasmatis formam (353. 355.) pervertunt, Acceſſoria (356. γ. 2. 357. ϑ. ι. κ.) adhibentur.

η. Acceſſoriorum (356. γ. 2.) Proportio ex quantitate & conſiſtentia tam materiae decoctae, quam Acceſſoriorum (ζ.) determinatur. Poſterior vero cum non ubique eadem ſit, patet, ex priore ſola certi quid ſtatui haud poſſe. Hinc anceps optime ſemet expediverit addendo ejus, quod requiritur (357. ϑ. ι. κ.), acceſſorii, quantum ſufficit q. ſ. Si autem & ſicco & liquido uti animus eſt (ibid.), alterutrius, vel utriusque etiam q. ſ. praeſtitui poteſt.

362. Subscriptio praecipit materiae (356. β.), ſi opus eſt, prius mundatae, conſciſſae, tuſae, aut maceratae, cum menſtruo (ibid. α.) coctionem. Hujus vero terminum figit emollitio, putrilago, teneritudo, ſi materies craſſior eſt aut ſolidior: ſi tenera, pulverulenta; pultiformis ſpiſſitas limitem ponit, quam &

promovet jugis ſub coctione agitatio, quippe & mixtionem reddens aequabilem, & empyreuma arcens, ubi liquidi parcior adeſt copia. Itaque mandatur: *Coq. ad emollitionem*, vel *putrilaginem* &c. *usque:* vel *redigantur in Pultis conſiſtentiam.* Norunt autem periti pharmacopoei, quo ordine & modo ſecundum artis regulas coctionem peragere deceat; ut vix neceſſum ſit monere, duriora & compactiora v. g. Radices & his ſimilia, prius aliquamdiu decoquenda eſſe, dein teneriora, Folia, Flores, Semina, &c. immittenda. Optimum eſt, tali in praeſcribendis ingredientibus ordine uti, quo pharmacopoeus etiam indoctior ad recte agendum veluti manuducatur (358. 237.). Superadditur porro coctae materiae contuſio & cribratio, ſi ſtamina ejus coctione ſatis emolliri nequeunt. Pulpae tandem, vel Pulti paratae, ab igne remotae, aut mox removendae, admiſcenda jubentur Acceſſoria (356. γ.). Formulam claudit; *F. Cataplasma* vel *Puls. D. ad Fictile.*

363. Signatura patet ex (355. 338.). Epithema hoc fere ſemper applicatur calidum, maxime, ſi maturandum, reſolvendum, condiendum, animandum, molliendum, liquefaciendum eſt. Sunt tamen, quibus frigidum magis congruum videtur in Eryſipelate ceteriſque inflammationibus, quarum nimius calor temperari, ac materies impacta retroagi debet. Quandoque linteaminibus incluſum admovetur, ne inquinet: quod munditiei ſtudium efficaciae & penetrationi obſtat. Unde ut plurimum magis expedit proximus nudi cum nuda parte contactus.

Le-

Legitima magmatis conſiſtentia, nec ſiccitate, nec humiditate, excedens, & lubrica mollitudo, diffluxum, adhaeſionem tenacem & exſiccationem facile avertunt. Alias & proxime ante-applicationem demum miſcentur eidem volatilia, v. g. Vinum, Spiritus, & ſimilia, quae tunc, niſi vulgaria ſint, ſeorſim exhibet pharmacopoeus. Calorem applicati conſervamus ſuperdando pannum laneum, craſſum, ſiccum, aut veſicam ſuillam oleo madefactam, aliove quodam liquore calido ſemiplenam, aut Fomentum liquidum (330.), aut operculum figulinum, lapideumve, calefactum. Renovatio ſuas exigit cautelas, ne intervallis nimium brevibus, aut longis, fiat. Plerumque quater aut quinquies repetita in diem ſufficit. Frequentior nocet interrupto per aëris allapſum fotu, crebroque partis calore emollitae refrigerio. Unde, niſi velocior Cataplasmatis exſiccatio, virtutis diſſipatio, corruptio, aliaeve conditiones majoris momenti, obſtiterint, a nimia ſedulitate abſtinendum. Etiam quae frigida aut tepida ſuperdantur, crebriore renovatione egent; ſicubi forſan a contactu partis aegrae plus juſto excalefacta indicationi non amplius reſponderint: prout in Eryſipelate, Ambuſtis, &c. obtinet. Ubi uſus longior, aut frequenter repetitus, Cataplasmatis nimiam efficit ſiccitatem, tantillum liquoris, quocum id coctum eſt, aut alterius idonei, ipſi inter calefaciendum affundi jubetur. Cetera ex loc. cit. intelliguntur.

364. Usus eximius eſt in Tumoribus, Inflammatio-

nibus, Abſceſſibus, Gangraena, Obſtructionibus, Contuſis, Ambuſtis, Doloribus, &c., ubi emolliendum, refrigerandum, ſtimulandum, attrahendum, demulcendum, ſopiendum, maturandum, diſcutiendum, acre corrigendum, condiendum, &c. modo materies apta ſcopo ſeligatur.

365. SPECIMINA ſunto.

*

Cataplaſma Emolliens, Narcoticum: ad exemplum H. Boerh. Mat. Med. p. 67.

℞. *Rad. Althaeae.* unc. ij.
Capit. recent. Papav. hort. cum Semin. n°. IV.
Fol. recent. Hyoſcyam. nig. m. ß.
Micae Panis albi. unc. iij.
Contuſis, cum *Lact. recent.* q. ſ. ad emollitionem usque decoctis, trajectis, adde
Olei Solani. unc. j.
Farin. Semin. Lini q. ſ.
Ut F. ſ. a. Cataplaſma.

S. *Calidum parti dolenti applicetur, ac conſervetur, donec remittat dolor. Renovetur quarta quaque hora.*

*

Cataplaſma Antiſepticum, ad Gangraenam: juxta exemplum Ibid. p. 107.

A. ℞. *Rad. Helenii.* unc. ij.
Herb. Tanacet.
Abſynth.
Scordii. ana unc. iij.

Baccar.

Baccar. Juniper. unc. iſs.

Conſciſſa, tuſa, decoque in *Aq.* & *Aceti* ana q. ſ. ad teneritudinem. Contuſis dein & per ſetaceum trajectis admiſce.

Sal. Gemmae. unc. ſs.

Ol. Nardini. unc. iſs.

Farin. Lupinor. q. ſ.

Ut F. ſ. a. Cataplaſma.

B. ℞. *Spirit. Matrical.* unc. iv.

Camphorae. drach. ij.

Concute ad ſolutionem usque, & ſeorſim vitro clauſo exhibe.

S. *Cataplaſma* (A.) *calidum, irroratum prius tantillo Spiritus* (B.), *applicetur cum pannis lineis parti affectae, & veſica ſuilla oleo madefacta detineatur, renovetur quolibet triborio.*

*

Cataplaſma Reſolvens, Antiphlogiſticum, ad Anginam. Vid. Ibid. p. 153.

℞. *Lentis paluſtr.* unc. iij.

Fol. Nymphaeae rec. unc. ij.

Papaver. hortens. unc. iv.

Bismalvae. unc. iij.

Flor. Sambuc.

Melilot. ana unc. ij.

Cum *Aq.* decoct. ad mollitiem, ſub finem adde

Nid. Hirundin. no. j.

Semin. Lini contuſ. q. ſ.

Ol.

Ol. Lilior. alb. unc. iß.

M. F. Cataplaſma.

S. *Calidum admoveatur collo utrinque ad aures usque, & tertia quavis hora renovetur.*

*

Puls Emolliens, Leniens, ad Oculi dolorem inflammatorium utilis.

℞. *Micae Pan. alb.* unc. iß.

Cum *Lact. dulc.* q. ſ. coque ad pulticulae conſiſtentiam: tum ab igne remotis admiſce

Troch. alb. Rhaſ. pulv. dr. iij.

Album. ov. n°. j.

Pulp. Pomi non auſteri, putridi aut aſſati, unc. iß.

M. D.

S. *Modice calefacta, inter duo lintea extendatur atque oculo dolenti applicetur.*

*

Puls Emolliens, Stimulans, in pus Maturans. ibid. p. 95.

℞. *Farin. Tritici.*

Lini recent. ana unc. iij.

Cum *Acet.* & *Olei Lilior. alb.* ana q. ſ., ſub jugi agitatione, cocta leniter, redige in Pultis conſiſtentiam, cui dein admiſce

Pulp. Cepar. ſub cineribus aſſatar. unc. ij.

Gumm. Ammoniac. in Vitello ovi ſolut. unc. j.

D. ad

D. ad fictile.

S. *Admoveatur calidè loco affecto; renovetur quater de die; ubi areſcit, tantillo Butyri inſulſi emolliatur.*

*

Aliud ſimile. Ibid. p. 96.

℞. *Fol. Acetos. recent.* m. iv.
Butyri inſulſi. unc. j.
Ad ignem leniter, parum, frixis adde
Fermenti panis. unc. ij.
Gumm. Sagapen. in Vitello ovi ſolut. unc. ß.
F. ſ. a. Cataplaſma.

S. ut prius.

*

Cataplaſma Suppurans, ad Bubonem Venereum. Ibid. p. 268.

℞. *Ficus molles, maturas*, ad *lib.* ß.
Mell. recent. unc. ij.
Galbani in Vitello Ovi ſoluti. unc. j.
F. ſ. a. cum *Aq.* coquendo Cataplaſma.

S. *Admoveatur calidum parti affectae, cum panno lineo quadruplicato: renovetur poſt 6 horas.*

*

Cataplaſma Molliens, Reſolvens, ad Ambuſta. Ibid. p. 113.

. *Fol. Malv.*
Bismalv. ana Man. ij.
Flor. Melilot. unc. ij.

Cum

Cum *Aq. com.* decoct. ſub finem admiſce
Farin. Lin. q. ſ.
Spir. Vin. Theriacal. unc. j.
Ol. Lini. unc. ß.
Ut F. Cataplaſma.

S. *Tepidum admoveatur parti ambuſtae, ac quavis hora renovetur, donec dolor remiſerit: dein per intervalla 6 horarum tantum renovetur.*

De

Cataplaſmate Crudo.

366. Cataplasma Crudum (354.), ſpiſſitate Bolo vel Electario (137. 148.) proximum, nec lubricam Cocti (355.) mollitiem, nec mixtionem adeo aequabilem, ſemper poſcit vel admittit. Neque etiam nomen Cataplaſmatis ubique habet, ſed alias *Paſta*, *Epithema molle*, aut *ſolidum*, &c. vocatur: quandoque & a partibus, quibus admovendum eſt, aut ab ingredientibus, quibus conſtat, quin & a virtute, quam exſerit, ſingularia accipit nomina: prout deinceps tum in ſubſcriptione & ſpeciminibus hujus formulae, tum in hiſtoriis formularum propriarum (304.) patebit.

367. Materies ejus in genere eſt, qualis Boli (138.); hinc *Excipiens* vel *Excipienda.*

α. Excipiens eſt vel (1.) Mollis: uti Conſervae, Rob, Electaria, Mel, Balſama ſpiſſa, Extracta mollia, Succi denſi idoneo menſtruo ſoluti, inque pul-

pultis formam rurſus coacti, Sapo, Fermentum Panis, Mica hujus recens aut macerando emollita, Butyrum, Axungia, Unguenta, Pulpae, Stercora recentia, Vegetantia recentia aut Animalia viva, eorumve partes molles, ſuccoſae, in paſtam tuſae, &c. Vel (2.) Liquida: Vinum v. g. Acetum, Spiritus Vini, Aquae ſtillatit. Lac, Mucilago, Syrupus, Oleum, Ovi Albumen & Vitellus, Urina, Lixivium, Succus preſſus, tum enumerata (138. γ.).

β. *Excipiendam* materiem praebent ſicca quaevis pulverulenta, aut quae interventu excipientis (α.) molliri ſaltem poſſent, e regno triplici petita, tam ſimplicia, quam praeparata & compoſita.

368. Delectus, juxta ſcopum Medici & formulae hujus dotes (366.) determinandus, facile intelligitur ex iis, quae hactenus de Externis diximus. Nota inſuper paucis,

α. Vegetantia recentia cum deficiunt, ſubſtitui poſſe ſicca idoneo liquore macerata: prout & de Pane jam dictum (367. α. 1.). Videndum modo, utrum ſiccatione virtutem, quae deſideratur, non amiſerint.

β. Bulbos & Fructus quandoque prius aſſari ſub cineribus; ut pulpam exhibeant tuſa molliorem, & magis aequabilem.

γ. Mollia (367. α. 1.) ſaepe ſola, aut &, ſi ſpiſſiora ſunt, cum liquidis (ibid. 2.), absque ſiccorum (ibid. β.) acceſſu, adhiberi. Alias & ſicca ſola cum

cum liquidis: tum vero vel haec requiri paullum glutinantia, vel ſicca ejusmodi, quae liquido permiſta facile cohaereſcant. Frequentiſſime & molle & liquidum ſimul inſervire excipiendis ſiccis, aut ſicca illis cogendis.

δ. Itaque & Excipientis & Excipiendae materiae uſum, prout ſupra (367. α. β.) indicatus eſt, nequaquam hic adeo perpetuum eſſe, ut non quandoque nullus ſit, alias & plane inverſus: cum enim ex ſolis mollibus Cataplaſma paratur (γ.), diſtinctio iſta locum vix habet: ubi ex mollibus & liquidis tantum, alterum alterius Excipiens dici poteſt: ſi vero haec ipſa Baſin formulae (75.) conſtituunt, ſiccisque admiſtis in conſiſtentiam legitimam redigi debent, ſicca non excipi, ſed potius excipere, dicendum eſt. Vide (172. μ.).

ε. Ad hanc ideo formulam quoque pertinere Cataplaſma illud Emplaſtrodes, quod ex Theriaca, vel ſola, vel aliis ita commiſta, ut ſuam Electarii conſiſtentiam utcunque ſervet, pro uſu externo conficitur.

ζ. Ingredientium numerum eſſe, qualem in Electario (250. η.).

369. Ordo quoque ſimilis, ac (151), obtinet, praeparationi maxime accommodandus.

370. Dosin eaedem limitant conditiones, quae (359.).

371. Quantitas Generalis, minor ſaepe, quam (360.), ne unc. j. quidem quandoque excedit,

dit, & raro ad aliquot libras usque augetur: quum enim praeparatio hic facilior ſit & promtior, creberrime una tantum doſis ſimul praeſtituitur: quod ipſum ſcopus quoque ſaepius, quam in Coćto (363. 365.), efflagitat, quin & corruptio ex longiore asſervatione pertimeſcenda jubet.

372. Proportionem ingredientium mutuam novit ferè, qui dićta (143. 154.) confert cum vi medicata & conſiſtentia materiae, quam ſeligit (367. 368.), cum dotibus formulae (366.), doſi (370.), & quantitate generali (371.). Adde

α. Spiſſitatis gradum (366.) hic non adeo conſtantem eſſe, quin alias major, alias minor adhibeatur; ſive ſcopus id, ſive natura materiei, poſtulet. Profundè penetraturis conſiſtentia paullo dilutior magis convenit (322. γ.), &c. Proportio hinc nec ubique eadem obtinet; licet tamen in genere ferè ſimilis ſit datae in Elećtario (154.), aut Bolo (143.).

β. Uſitatiſſimè hic Excipientem materiem vel mollem, vel liquidam (367. α. 1. 2.), vel utramque, ſaltem q. ſ. praeſcribi; aut &, hujus quantitate definitâ, Excipiendae (ibid. β.) molem non determinari. Unde facilis dubitandi expeditio.

373. Subscriptio injungit contuſionem, aut agitationem, & mixtionem, *ut F. ſ. a. Cataplasma*, aut *Epithema*: promiſcuè enim hoc illove nomine uti quidam ſolent. Quandoque a parte, cui id applicatur, nomen habet (366.): unde, quae Carpis

T ad-

admoventur, *Epicarpia*, quod Fronti, *Frontale*, quae Plantis pedum, *Supplantalia* vel *Suppedanea* &c. audiunt. Saepiſſime tamen pars modo adſcribitur, cui apponi debet; maximè ſi & ejus ſuo ſuper vehiculo (330.), panno nempe lineo, laneo, ſerico, corio, ſtupa, &c. (338. γ.) extenſionem pharmacopoeo committimus; tumque magnitudo etiam & figura vehiculi commemorari poteſt (349. β. 2.); quanquam poſterioris tanta hic non habetur ratio.

374. Signatura, intellectu facilis ex (338.) 363. 373.), partem fovendam, tempus, modum applicandi, de quo paullo ante (373.), &c. exponit. *Vehiculum* (ibid.) ſaepe liquore idoneo, Aceto, Vino, Oleo, Alcohole, Epithemate liquido, imbuitur prius, quam Cataplasma excipiat. Alias & incluſio hic obtinet (363), ne partes inquinentur. Calida, tepida, frigida, ſit applicatio pro ſcopi & materiae diverſitate; frequentius tamen frigida, quam Cocti (ibid.).

375. Usus idem ferè eſt, qui (339. 364.), at minus univerſalis. Epiſpaſtica, Veſicatoria, frequenter hac formâ adhibentur: uti deinceps ſingulari titulo exponetur. Spiſſitas major Cataplasma plerumque Epithemate Liquido minus promtè in partes profundas penetrabile reddit, minus etiam citò diſſipabile: unde diutius, fortius, agit in externas, in internas inertius.

376. Specimina ſunto.

Epi-

*

Epicarpia Antifebrilia. Vide H. Boerh. Mat. Med. p. 150.

℞. *Uvar. Corinthiac.*
Summit. Lupuli.
Sal. marin. ana unc. ij.
Contuſa in pultem D.

S. *Excepta linteis Pulſuum locis applica ad Arterias, duabus horis ante ingruentem paroxysmum.*

*

Epithema Stomachicum, Roborans, pro Infante. Ibid. p. 240.

℞. *Flaved. Cort. Citrei raſ.* unc. ß.
Nuc. Myriſtic. drach. ij.
Vini Hiſpan. drach. iij.
M. conterendo ſimul in mortario.

S. *Excepta mica Panis applicentur Stomacho.*

*

Cataplasma Theriacale, Ventriculum atque Inteſtina confortans, Anodynum, Antiſpasmodicum, in Singultu, Nauſea, Vomitu, Alvi profluviis, &c. utile, pro Adulto.

℞. *Theriac. Androm.* unc. ij.
Balſ. Peruv. dr. j.
Miſta, extenſa ad alutam, exhibe forma Emplaſtri.

S. *Applicetur abdomini.*

*

Epicarpia & Suppedanea ad Epilepſiam Infantum.

℞. *Summit. rec. Rutae.* Man. ij.

Conſciſſis, ac cum tantillo *Vini Rhenani generoſi* in paſtam contuſis admiſce

Moſch. opt. dr. ß.

Camphor. dr. j.

D.

S. *Linteis excepta ad carpos manuum pedumque plantas admoveantur, ac idonea ligatura firmentur.*

*

Epithema Reſolvens, Molliens, ad Ambuſta. Vid. Fuller Pharmacop. Extemp. p. 126.

℞. *Cepar.* unc. ij.

Cort. inter. Sambuc.

Sapon. moll. ana unc. j.

Ol. Lini. q. ſ.

Ut contuſis & concorporatis F. inſtar Cataplasmatis.

S. *Tepidum ſuperdetur parti ambuſtae ac frequenter renovetur.*

*

Cataplasma Adſtringens, ad Haemorrhagiam partis externae vulneratae. H. Boerh. Mat. Med. p. 111.

℞. *Sang. Dracon.* drach. j.

Sarcocoll. drach. ij.

Lap. Haematit. drach. ß.

Bol. Armen. unc. j.

Tenuiſſime pulverata, miſta, excipiantur

Al-

Album. Ovor. q. ſ. ut F. Cataplasma.

S. *Exceptum id ſtupâ Alcohole Vini madidâ admoveatur vulneri, tum veſica vel faſcia circumpoſitâ firmetur.*

*

Epithema molle, Excitans, Cardiacum.

℞. *Summit. tener. recent. Meliſſae.*
Abrotan. ana unc. ß.
Theriac. Andromach. drach. ij.
Caryophyll. arom.
Cinnamom. ana drach. j.
Cum *Vini Rhenan. generoſ.* tantillo contuſa D. ad fictile.

S. *Extenſa ſuper pannum ſcarlat. Vino Rhenano prius madefactum, tepida, regioni Cordis applicentur.*

*

Cataplasma Acre, Emolliens, Stupefaciens Ibid. p. 97.

℞. *Fermenti Panis acris.* unc. ij.
Sapon. Venet. raſ. drach. ij.
Mellis unc. ß.
Ol. Chamaemel. infuſ. drach. ij.
M. F. ſ. a. Cataplasma.

S. *Calidum imponatur Abſceſſui maturo, aperiendo, donec integumenta macerata ſenſum perdiderint.*

*

Cataplasma Emolliens, Anodynum, Diſcutiens.

℞. *Micae Panis Siligin. in Lacte dulci macerat.* Lib. ſ.

Vitell. Ovor. n°. iij.
Croci pulveriſ. drach. ij.
Farin. Lini q. ſ.
Ut conterendo F. Cataplasma.

S. *Cum linteamine duplicato, aut panno laneo, dolenti parti applicetur calidum.*

*

Epithema Hyſtericum. Fuller l. c. p. 130.
℞. *Aſ. fetid.* dr. j.
Aq. commun. unc. ij.
Tritu ſolutis admiſce
Terebinth. pur. dr. ij.
Pulv. Rad. Bryon. q. ſ.
M. D.

S. *Linteo excepta, parum calefacta, umbilico admoveantur.*

De

Balneo.

377. Balneum eſt medicamentum externum, quod liquoris vel vaporis humidi ſpecie, absque vehiculi vel injectionis interventu (305. 330. 338. γ.), ſuperficiem corporis humani externam alluendo, aut & intra cava ejus foras hiantia ſeſe inſinuando, opem praeſtat.

378. Patet igitur *Humidum* aliud, aliud *Vaporoſum* eſſe. Utrumque inſuper vel eſt *Univerſale* vel *Particulare*: prout toti corporis ſuperficiei, aut hujus tantum parti, adhibetur. De *Humido* prius dicam.

De

De Balneo Humido.

397. BALNEUM HUMIDUM, ut variis partibus, varioque modo, admovetur, varia accepit nomina. Univerſale (378.) *Balneum* proprie appellatur: ſi vero dimidiae corporis regioni tantum, a ſcrobiculo cordis aut ab umbilico ad crura vel imos usque pedes exporrectae, dicatur, *Semicupium*, *Inſeſſionem*, *Inſeſſum*, vocant; ſi pedibus, *Pediluvium*: ſi capiti, *Capitiluvium*: ſi aliis partibus, *Lavatio*, *Lotio*, *Lavamentum*, audit: ſi ex alto, vel guttatim, vel continente rivulo, in partem depluit, *Embroche*, *Stillicidium*, *Impluvium*, *Gutta*, vulgo *Duccia* dicitur, cujus tamen uſus hodie, praeterquam in Thermis naturalibus, ferè exolevit, digniſſimus interim, qui revocetur; quum in morbis articulorum, tumoribus refractariis, pertinaciſſimis obſtructionibus, &c. movendo, molliendo, reſolvendo, tantam ſaepe exſerat efficaciam, quantam ab alio quovis remediorum genere fruſtra exſpectaveris.

380. MATERIEM dat liquor medicatus quicunque, diffuſior, ſcopo aptus, ſaepiſſimè vulgaris, absque pharmacopoei operâ parabilis, nec formulâ egens: ut Aqua ſimplex, ſalſa, ſaponata; Lixivium cinerum; Lac dulce, ebutyratum, aut lactis Serum; Thermae naturales; Oleum blandum; Aqua permiſta Lacti, Vino, Aceto, Oleo, quod Hydrelaeon vocatur, Butyro; Decoctum domeſticum, Furfurum,

 Par-

Partium Animalium, &c. Alias tamen & arte pharmacopoei parata Decocta (234.), Infuſa (221.), Mixturae (282.). Confer. (331.).

381. DELECTUS patet ex dictis (309. 332.). Virtus apta, penetrabilitas & conſiſtentia liquida hic praeprimis ſpectantur, neglectis, quae ad colorem, odorem, &c. attinent. Ceterum

α. Hic praeprimis, ubi liquor ſimplex ſufficit, is nimium cara pharmacopoei opera parando praeferatur (31. 33.); qui moles major ſumtum auget. Unde ad Univerſalia (378.) vix niſi vulgaribus (380.) utimur. Memento tamen & (25. 32.).

β. Pinguium & Aquoſorum, ſi ſimul adhibentur (380.), permixtio tam exacta hic non requiritur, medio ut ſapone opus ſit (284. ζ.); niſi alio forſan fine adhibendum cenſeas.

γ. Quae ex Foſſilibus, Nitro, Sale communi, Alumine, Vitriolo, Sulphure, Calce viva, Alcali fixo, &c. parantur, ut non ubique uſu omni careant, Thermarum tamen naturalium vires nunquam planè exprimunt. Optabile autem foret, ut inſtitutis ſolicite tentaminibus iſta naturae opera accuratius imitari perdiſceremus; quando loca iis inſtructa non cuivis adire licet.

δ. Quod ad Lotiones attinet ſingularibus partibus dicatas (379.), nihil admodum eſt, quod non ex Injectionis & Epithematis liquidi hiſtoriis (309. 332.) intelligi poſſit.

ε. Nu-

ε. Numerus ingredientium vix major eſto, quam in Decocto (226. ↓.).

382. Ordo idem eſt, qualis in formulae ſimilis, internae (380.), praeſcriptione.

383. Dosin dictat ſuperficiei humectandae (379.) amplitudo, & vaſis balnearii conſtructio. Unde, cum balnearia publica aut privata deſunt, univerſum autem corpus hominis, praeſertim adulti, vel magnam corporis partem, lavare oportet, apta ſolii aut urcei balnearis conformatione plurimum liquoris, alioquin pro doſi neceſſarii, compendifacere licebit.

384. Quantitas Generalis, ſaepiſſimè unâ tantum doſi (383.) conſtat; praecipue cum Univerſale eſt aut majori ſuperficiei aptatum Balneum (379.). Minorum partium Lavationes etiam ad plures doſes praeſtituuntur ſimul, quorum quantitas tum juxta (335.) facile determinatur.

385. Proportio ingredientium mutua ſimilibus limitatur conditionibus, ac (336.), additis ſimul (383. 384.). Nota inſuper

α. Plerumque virtutem hic non admodum contractam exigi: ut ideo menſtrui vel excipientis proportio longè capiatur major, quam ad ſimilia liquida interna.

β. Quin ſaepiſſime menſtrui q. ſ. ad Decocta vel Infuſa hic uſitata ſaltem praeſcribi.

γ. Alias & Decoctum vel Infuſum parari poſſe

conſuetâ in Internis proportione (227. 240.), valde ſaturum, idque dein, uſus tempore, affuſo plure menſtruo aliove liquore idoneo dilui: quod maximè ex uſu fuerit in Balneis diffuſioribus conficiendis; ne ahena grandiora ad macerandum aut decoquendum requirantur.

♂. In univerſum ſi ſpecies pro Balneo praeſtituuntur, infuſione, decoctione, aut mixtione adaptandae, ſemper videndum, quantum fere liquoris exigatur (383. 384.), huicque illarum quantitas accommodanda; ne majore ſpiſſitatis acrimoniaeve gradu noceas, aut inefficaci paucitate agas nihil, teque vel pharmacopoeo etiam deridendum propines.

386. Subscriptio, ratione praeparationis, eſt, qualis ſimilium liquorum internorum (228. ad 230. 241. 389.). Depuratio exacta nec neceſſaria nec uſitata eſt (229. ♂. 2. 3. 4.). Imo materies ſolida ſaepe in ipſa cupa balnearia cum menſtruo ſuo infunditur & maceratur, aut alio in vaſe cocta prius dein ſuo cum liquore una in cupam injicitur, ut frictioni, inſeſſui, &c. ſerviat. Creberrimè & hic, in Balneis praeſertim majoribus, locum habet (230. 241.); dum materiem tantum exhibet pharmacopoeus in domo aegri infundendam vel decoquendam: quin haec quoque ſacco lineo, laneo, quandoque prius inſuitur, qui, Fotus Sicci inſtar (341.), parti affectae, ſub uſu Balnei, admoveatur, aut pulvinum praebeat inſidenti: quod in Semicupiis maximè uſitatum. Claudit hinc formulam: *F. Liquor,*

quor, vel *Species*, vel *Saccus*, *pro Balneo*, *Semicupio*, *Pediluvio*, &c. (Vide 379.).

387. Signatura intelligitur ex (113. 379. 383. 386.) comparatis ad ea, quae de legitima Balnea adminiſtrandi ratione ſuggerit juſta indicationum doctrina. Poſtulat autem inſignis Balneorum, maxime univerſalium, efficacia, ut Medicus in exponendo utendi modo perquam ſolicitum ſe praebeat; quum ſola perverſi regiminis culpa haud leves inferri noxae poſſint. Remedia leniora ſi ſcopum non feriunt, plerumque nihil agunt: at heroica, dum non proſunt, etiam tanto magis obſunt, quanto plus prodeſſe recte adhibita potuiſſent. Itaque accurate injungatur, quomodo ad ſalutarem Balnei uſum praeparandus ſit homo: cum plurimum interſit, utrum ventre cibis potibusve pleno, an vacuo; ſordibus ac cruda materie obſeſſo, an prius repurgato; corpore frigido, aut frictione, exercitamentis, aliave cauſa excalefacto; ſicco, vel ſudante; plethorico, aut exhauſto; a febre libero, aut febricitante; &, ſi febris adeſt, num tempore intermiſſionis aut remiſſionis, an vero acceſſu ingruente, fervente, vel declinante; praetermiſſa aut omiſſa ſanguinis detractione, &c. in Balneum deſcendatur. Monendum dein, frigidus, tepidus, an calidus requiratur Lavacri liquor; quousque & num celeriter, an cunctanter, immergendum ſit corpus hujusve pars aliqua; an frictio, motio, inſtituenda, aut aliquid exhibendum aegro, cum in Balneo eſt; quamdiu in eodem permanendum &c. Denique nec praemittere oportet, quae

poſt

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF ... FOUNDED ... 13

poſt Lavationem agenda, utrum fricandum, ungendum, ſudandum ſit, quis cibus, quod remedium porrigendum, &c. Innumera profecto ſunt, quorum ratio hic haberi debet, ſed & pro vario Medici ſcopo diverſiſſima. Quapropter ab inſtituto meo alienum eſt, ſingulatim omnia proſequi. Videantur Auctores, qui hanc materiem ex profeſſo tractarunt; praeſertim vero Veteres, ut qui, cum id remedii genus frequentiſſimo in uſu habuerint, etiam in exponenda ejusdem legitima adminiſtratione fuerunt exactiſſimi. Eorum plurima congeſſit, brevique ſermone complexus eſt *Jul. Caeſar Claudinus ſect.* x. *appendic. libri de ingreſſu ad infirmos* Ibidem quoque *ſect.* xi. exhibentur, quae ad Stillicidium vel Ducciam pertinent.

388. Usus Balneorum, hodie in Belgio noſtro (quod merito dolemus) rarior, omni aetati ac ſexui congruens, non ad munditiem modo & delicias, ſed ad prophylaxin quoque & therapiam morborum aptiſſimus, humectando, emolliendo, demulcendo, attrahendo, diſcutiendo, roborando, aperiendo, refrigerando, calefaciendo, attenuando, ſopiendo, &c. in chronicis, acutis, externis, internis, malis ſummum fert auxilium; licet nec noxis careat intempeſtivè adhibitus. Vid. *Cl. F. Hoffmann. Opuſcula Phyſico Medica*, tum *Medic. Ration. Syſtem. Tom.* III. *Sect.* II. *Cap.* x. atque alii.

389. Specimina ſunto.

*

Lotio mundans ad Pediculos planos Pubis. Vide H. Boerh. Elem. Chem. T. II. p. 488.

℞. *Mer-*

℞. *Mercur. ſublimat. corroſ.* gr. iv.
Aq. ſtillat. Roſar. unc. iv.
M. D.

S. *Tantillo hujus liquoris laventur mane & veſperi loca infeſtata.*

*

Semicupium Emolliens, Anodynum, Calculo Ureteribus impacto proficuum. Vid. H. Boerh. Aphor. §. 1426.

℞. *Rad. Althaeae.* unc. iv.
Herb. V. Emollient. ana m. iv.
Flor. Papaver. errat.
Chamaemel. ana m. ij.
Conſciſſa inſuantur laxè ſacculo lineo quadrato, ad lumborum dimenſionem aptato. D.

S. *Saccus coquatur per ½ horam in Lact. dulc. duplo aquae diluti q. ſ. Liquori calenti inſideat aeger ad umbilicum usque, ſacco lumbis ſuppoſito, manè & veſperi per horam. Interea bibat Decoctum Diureticum H. Boerh. Mat. Med. p. 244. deſcriptum.*

*

Lavamentum ad Intertriginem.

℞. *Aq. ſtillat. Roſar.* unc. xij.
Tinct. Benzoin. unc. j.
Sacch. Saturn. drach. j.
M.

S. *Lac Virginale, quo partes excoriatae, prius aqua abſterſae, laventur.*

Lo-

*

Lotio ad Tineam Capitis. Vid. Fuller Pharmacop. Extempor. p. 227.

℞. *Teſt. Oſtrear. nuper calcinat.* unc. xij.
Picis liquid. unc. viij.
Aq. pluv. libr. vj.

Coque ad dimidias, dein ſubſidendo facta depuratione, cum friget liquor, percoletur.

D.

S. *Sit pro capite lavando mane & veſpere. Poſt ejus uſum allini poteſt Unguentum e Teſtis.*

*

Balneum ad Glutinoſa, pro Infante. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 45.

℞. *Summit. Rutae.*
Sabinae.
Abſynthii.
Tanaceti.
Chamaemeli. ana m. iij.

Cum *Aq.* decoct. pintis xij. admiſce.
Sapon. Venet. unc. iv.
Sal. Sarmentor. vit. unc. j.

F. Liquor pro Balneo.

S. *Huic tepido inſideat aeger collo tenus mane & veſperi per ½ horam: poſt fricetur corpus univerſum cum pannis laneis, ſiccis, calidis, fumo aromatico imbutis.*

Pe-

*

Pediluvium Refrigerans, Paregoricum.

℞. *Fol. recent. Salicis.*

Malvae.

Lactuc.

Nymphaeae.

Flor. Rhoead.

Roſar. rubr. ana man. ij.

Cap. Papav. alb. n°. vj.

Nitri. unc. ij.

Conſciſſis, tuſis, miſtis, F. Species pro Pediluvio.

S. *Species cum Aq. pluv. q. ſ. coquantur per ¼ horae, ſub finem addendo Aceti Vini pint.* j. *Decoctum tepidum ſit pro Pediluvio, cui inſideat aeger ad crura usque per horam, veſpere: egreſſus ad ſomnum ſe componat.*

*

Balneum Emolliens, Antiſepticum, ad Gonorrhoeam. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 264.

℞. *Flor. rec. Rutae.*

Scordii.

Alliariae.

Malvae. ana m. ij.

Cum *Aq.* decoct. & expreſſis admiſce ad lib. ij.

Sapon. Venet. drach. j.

Spir. Vini comm. drach. vj.

S. *In hoc tepido Virga & Scrotum immergantur ter quater-*

terve de die, ſpatio ¼ horae: dein panni lanei eodem Decocto immerſi, & expreſſi, omni applicentur Pubi, Scroto, Perinaeo.

*

Balneum Aromaticum, Antiparalyticum. Vid. Fuller Pharmacop. Extempor. p. 22.

℞. *Raſ. Lign. Guajac.* libr. iij.

Include ſacculo & coque in *aq. pluv.* congiis XL. per horam: dein adde

℞. *Raſ. lig. Saſſafr.* libr. iß.
Bacc. Laur. libr. iij.
Cort. Winteran. libr. ß.
Rad. Irid. Florent.
Cyperi.
Calam. arom.
Angelic. Hiſpan. ana libr. j.

Conciſa, tuſa, miſta, ac ſingulari ſacculo incluſa, cum priore ſacculo adhuc per ¼ horae bulliant. Liquor ſit pro Balneo.

S. *In hoc liquore ſat calente inſideat aeger ad collum usque tempore matutino per horam. Dein induſio laneo obvolutus, calefacto lecto commiſſus, ac hauſtulo Vini, aut Juſculo Vinoſo recreatus, ſudorem exſpectet. Repetantur eadem quotidie. Poſſunt autem iidem ſacculi decoctionibus inſervire.*

*

Embrocatio Molliens, Diſcutiens, Animans, ad Paralyſin, Tumores, Anchyloſes. Vid. Le Dran Obſervat. de Chirurgie 93 & 94.

℞. *Herb.*

℞. *Herb. Althaeae.* man. iv.
Menth.
Matricar.
Summit. Abſynth.
Flor. Centaur.
Lavandul.
Chamaemel. ana man. ij.
Raſ. Lign. Saſſafr. unc. ij.
Baccar. Laur.
Juniper. ana unc. iv.

Cum ſ. q. *aq. com.* coq. vaſe clauſo per dimidiam horam. Colat. lib. xxiv. admiſce

Sal. Ammon. unc. iv.
Spirit. Juniper. lib. ij.

D.

S. *Liquor pro Stillicidio, qui modice calefactus, apto vaſi immiſſus, de hujus cannula ex alto deſtillet in partem affectam, nudam: huic autem ſuppoſita ſit pelvis, liquorem munere ſuo functum exceptura. Stillicidio per horam continuato, aeger in lectum calidum reponatur, parsque affecta veſicis eodem Decocto calente repletis, undequaque applicatis, foveatur, ut aliquot horarum ſpatio ſudet. Denique fricetur eadem cum pannis laneis, ſiccis, calidis, hisque ipſis obvoluta a frigore defendatur. Repetantur eadem ſingulis diebus per aliquot hebdomadas, Decoctumque quarta quavis embrocatione renovetur,*

De

Balneo Vaporoſo.

390. BALNEUM VAPOROSUM (378.) eſt medicamentum externum, cujus vapores ad ſuperficiem corporis externam aut foras patentem determinati, vel & cum aëre attracti, ſcopo Medici ſatisfaciunt.

391. Vapores autem (390.) e materie vel (α.) exhalant ſponte, naturali duntaxat atmoſphaerae calore acti, nec viſibiles: quae *Odoramenta* audiunt, inferius demum explicanda; quum cognitionem quorundam, de quibus nondum egimus, ſupponant. Adde, quod ſenſu minus proprio ad Balnea Vaporoſa referantur. Vel (β.) admoto igne excutiuntur: de quibus nunc dicemus.

392. Poſteriora (391. β.) *Humida* ſunt vel *Sicca*: illa vocabo *Vaporationes Humidas;* quia & humida conſtant materia, & humectantes exhibent vapores, frigore in liquorem abituros: haec *Suffitus*, *Suffimenta*, *Suffumigia*, cluent, & fumo potius, quam vapore, agere dicenda ſunt. Utrumque, uti Balneum Humidum (378.), in *Univerſale* & *Particulare* diſtinguitur. De *Humidis* prius exponam.

De

Vaporatione Humidâ.

393. VAPORATIONIS HUMIDAE MATERIES eſt liquor omnis, ignis ope in vapores reſolubilis medicatos: cujusmodi ſunt Aqua ſimplex, Lac,

Lac, hujus Serum, Vinum, Acetum, Spiritus Vini, Urina; praeparata & compoſita officinalia, Aquae ſtillatit. Tincturae, Eſſentiae, Elixiria, Spiritus, & ſimilia; tum ex his aliisque, arte ſelectis, confecta infuſa (221.), Mixturae Mediae (282.), aut Contractae (223.), praeprimis vero Decocta (234.).

394. Delectus, praeter ea, quae toties jam de Externis dicta ſunt, notare jubet,

α. Vapores hic vel incenſionis, vel, quod frequentius, ebullitionis igne de materie (393.) excuti; hinc virtutem in ea requiri hoc illove calore volatilem.

β. Videndum ergo prius, quo uti calore velis aut poſſis; ut huic dein aptam ſeligas materiem: hac enim manente eâdem, pro ignis diverſitate diverſus erit vapor. Alcohol Vini bulliens exhalat Alcohol, accenſum vero Aquam.

γ. Quodſi accenſione vaporem medicatum requiras, ex claſſe liquorum inflammabilium nonniſi Ardentes, quos vocant, Spiritus adhiberi; ut qui accenſione in vaporem purum reſolvantur: Olea, atque his ſimilia, cum fumum fuligineum emittant, nequaquam; niſi huc referre volueris liquores aromaticos, oleoſos, qui nonnunquam prunis inſperguntur, ut ſuaveolentia ſua foetorem atmoſphaerae corrigant. Vid. ſpecimina.

δ. At ſi bulliendo, ut ſaepiſſime fit, vaporan-

dum, vanus ea admiſcueris, quorum virtus liquoris, quo uteris, ebullientis calore diſſipari nequit. Adſtringentia ergo, Extracta coctione ſpiſſata, Animalia ac Foſſilia fixa, &c. inepta. Optima, ex quocunque regno, quae aquae incocta efficaces ſtillant Aquas, Spiritus, aut Olea. (*a*). Emolliens quoque, Demulcens, Sopiens vis, licet penitus fixa videatur, aliqua tamen ex parte, coctionis ope, in vapores abit.

ε. Patet hinc Decoctis hujus formulae ea etiam idonea eſſe, quae, quod virtute gaudeant volatili, ad interna minus conveniunt (236. α. β. γ. ξ. ο.); modo & coctio & vaporatio ſimul perficiatur.

ζ. Ubi varia inter ſe miſces, diſce ex Chemia mutuas aliorum in alia actiones. Docet haec bina fixa inter ſe juncta vapores poſſe dare volatiles, & contra volatilia figi miſta volatilibus aut fixis. Calcem vivam aut Alcali fixum adde Sali Ammoniaco; Acidum Vitrioli Nitro, Sali Communi, &c.; Acidum Nitri, Salis, Aceti, junge Alcali volatili, fixo, Terrae abſorbenti, &c.: & habebis manifeſta dictorum exempla.

η. Memor denique ſummae penetrabilitatis vaporum igne actorum cave, ne laedas profuturus.

ϑ. Numerus ingredientium eſt, ut in ſimilibus Internis (393.). Plerumque tamen ſimplex aliquis liquor ſufficit; niſi numerum materiae auctiorem injunxerit indicatio aut canon (32.).

395.

(*a*) Vide H. Boerh. Elem. Chem. Vol. II. Proc. I. XV. &c.

395. Ordo itidem nihil habet peculiare.

396. Dosis menſurâ aut pondere nunquam, ſed ex vaporationis duratione plerumque determinatur: unde vel liquoris quantitas generalis tota ſimul igni exponitur, vel ejus modò pars circiter ſufſectura, ſin minus, plure dein affuſo ſupplenda. Quandoque tamen, ubi foetoris corrigendi gratia Eſſentiis tantum aut Oleis pretioſis utimur, Doſis ad guttulas aliquot reſtringitur. At quae hoc ſcopo praeſcribuntur, dubitare liceat, num magis ad Suffitus, an ad Balnea, pertineant; etiamſi humidos ſpargere vapores dici poſſit.

397. Quantitas Generalis ſcitur ex vaporanda ſuperficie & vaporationis duratione ac frequentia: ut ideo lib. j. ij. iij. & plures aliquando praeſtituantur. Si tamen doſin aliquot modo guttae conſtituunt (396.), ſcrupuli etiam aliquot aut drachmulae ſufficiunt.

398. Proportio mutua ingredientium patet ex iis, quae hactenus de Externis ſimilibus dicta ſunt (313. 336.). Ad Decocta & Infuſa ſaepiſſime hic menſtruum modo q. ſ. praeſcribitur.

399. Subscriptio eſt, ut in Balneo humido (386.). Neque hic, niſi ſimplici deſuſione, depuratur liquor: & frequentiſſime ne hac quidem opus eſt; cum plerumque menſtruum una cum ſuis ſpeciebus coram aegro demum coquatur, hincque ipſa quam expetimus, vaporatio mox ebullitionem comitetur (394. ε.). Quapropter & ſaepe materiem

tantum decoquendam praebet pharmacopoeus, coctione aegro aut adſtantibus commiſſa. Sacculo etiam quandoque includuntur ſpecies, qui vaporatione peracta calidus affectae parti ſuperdetur. Subſcribitur ergo. *F. Liquor*, vel *Species*, vel *Sacculus, pro Vaporario* vel *Balneo Vaporis.*

400. Signatura, praeter communia, ſingularem hic utendi modum exponit, qui pro vario ſcopo varius eſt.

α. Si vapore corrigendam modò atmoſphaeram requirit foetor, contagium, aër putridus, peſtilens, &c.; prunis in loco infecto poſitis vel adfunditur liquor, vel ſuper his in olla repanda locatus, ignitove ſilici aut ferro adſperſus, in vapores ſolvitur per aëra diffundendos.

β. Si corporis aegri univerſae ſuperficiei proximè applicandus eſt vapor; variae inventae ſunt domunculae, ſellae, arcae, machinae fornicatae, intra quas ſtans, ſedens, jacens aeger, corpore nudo, aut tenui linteamine tecto, capite foras porrecto, coërcitum excipiat vaporem, natum de Spiritu Vini accenſo, aut de Aqua, Decoctove quodam fervente. Nimirum lampas ſpiritu repleta, accenſo ellychnio, in loculum reponitur ita machinae, in qua collocatus eſt aeger, adaptatum, ut excuſſus de flamma vapor calidus, aut machinae ipſius parietibus, aut ſuper injectis ſtragulis concluſus, interventu tubi, vel & ſine eo, ad corpus aegri determinetur. Alias vèro liquor, qui, prius calore ad ebul-

ebullitionem concitatus, vapores calidos exſpiret, eundem in loculum ponitur, ſervorque ejus ſubdito igne conſervatur, aut frigeſcenti bulliens alius continuo ſubſtituitur; aut & in ollam immiſſo ſilici laterive candefacto liquor ſuperfunditur; aut denique in liquorem lapides igniti conjiciuntur, alii poſt alios, prioribus, cum reſtincti ſunt, exemtis, ut jugis vaporatio ſuſtineatur. Vid. *Rob. de Farvacques Medicin. Pharmac. Lib.* III. *Cap.* IX.

γ. Si cavum quoddam, Auris v. g. Nares, Fauces, Bronchia, Vagina, Uterus, Anus, &c. aut minor aliqua corporis ſuperficies, vapore maceranda; infundibula, ſtragula, pallia, ſellae perforatae, &c. ex uſu ſunt.

δ. Quae ante, ſub, & poſt Vaporationem agenda, tum ejus durationem, iterationem, &c. ex indicatione ſua in ſingularibus diſcit Medicus. Conferantur, quae ſummatim dicta ſunt de Balneo Humido (387.): maximam enim partem & huc quadrant.

401. Usus Vaporarii inſigniſſimus, Balnei Liquidi ſimilis (388.), & vel longè efficacior eſt. Vires certe mollientes, laxantes, reſolventes, aperientes, hujus formulae incomparabiles vel ſola abunde docet Cornu Cervi, Eboris, &c. ſpagyrica, quam vocant, praeparatio. Unde vix tantus datur rigor, aut tam pertinax obſtructio, quae vaporibus rite adhibitis ac directis reſiſtere queat. Cavendum autem, ne materie acriore in partes corporis

exquiſito ſenſu ac teneriore ſubſtantia donatas inſinuata nocumentum inferatur: id quod praeprimis in Pulmonum & Uteri vaporatione notari meretur. Vid. *Cl. Hoffmann.* loco ante citato.

402. SPECIMINA ſunto.

*

Vaporarium particulare, Emolliens, Reſolvens, ad Anginam Inflammatoriam. Vide H. Boerh. Mat. Med. p. 153.

℞. *Acet. Samb.*
Roſar.
Calendul. ana unc. j.
Aq. ſtill. Samb. unc. vj.
M.

S. *Vapor calidus hauriatur infundibuli ope in fauces, frequentiſſime.*

*

Balneum Vaporoſum univerſale, Nervinum, Antiparalyticum. Conf. H. Boerh. Aphorism. §. 1068. 1069.

℞. *Herb. Majoran.*
Menth.
Mari Syriac.
Fol. rec. Cochlear.
Summit. rec. Rutae.
Flor. Chamaemel.
Baccar. Juniper. ana m. j.

Conſciſſa, tuſa, miſta, digere in phiala alta chemica, cum *Aceti* & *Spiritus Vini vulg.* ana q. ſ. per diem & noctem.

S. *Li-*

S. *Liquor bene calidus, una cum ſpeciebus, in ollam repandam effuſus, reponatur in loculum fornicis ſudatorii, ac ſilicibus candentibus ſubinde injectis fervens detineatur. Sub fornice decumbens aeger, ingeſto prius Decocto attenuante, vapores excipiat nudo corpore, ut ſudet per ½ horam aut ultra, ſi vires ferunt. Sudoribus deterſis fricetur pannis laneis, calidis, ſiccis, villoſis, praeſertim ad partes paralyſi affectas, tandemque jusculo vinoſo reficiatur.*

*

Vaporatio Uteri Menagoga, Incidens, Stimulans; Aperiens. Vid. Fuller Pharm. Extemp. p. 324.

℞. *Herb. Matricar.*
Thymi.
Summit. Sabinae.
Fol. Rosmarin.
Flor. Chamaemel. ana M. j.
Semin. Cumin.
Bacc. Laur.
Juniper. ana unc. j.

Conſciſſa, tuſa, coq. cum ſ. q. *aq. pur.* vaſe clauſo per dimid. hor. Colat. lib. iv. admiſce.

Spirit. Matrical. unc. iv.
D.

℞. *Spir. Sal. Ammon.* unc. ij.
D. in phiala ſeorſim.

S. *Decoctum in vaſe repando, ſuper lampade aut prunis, collocetur ſub ſella perforata, ut propemodum bulliens vaporem ſpiret, injiciatur tum cochleare Spiritus Sal. Ammon. mox aegra, nudato corpore, inſideat ſellae perforatae, ſtragulo aut pallio circumquaque tecta, excipiatque aſſurgentem vaporem per infundibuli roſtrum ſinui immiſſum.*

*

Vapor Suaveolens ad Foetorem loci corrigendum.

℞. *Eſſent. Ambar.* drach. ij.
Ol: ſtill. Caryophyllor. gutt. xxv.
Cinnamom. gutt. x.
M. D. Vitro probe clauſo.

S. *Hujus aliquot guttulae prunis non fumantibus, aut ſilici ignito, inſtillentur.*

*

Vaporatio Emolliens, Reſolvens, ad Gravem Auditum a cauſa frigida.

℞. *Folior. Abſynth.*
Rosmarin.
Summit. Rutae. ana m. ß.
Flor. Lavandul. unc. ß.
Baccar. Laur.
Semin. Cumin. ana drach. iij.
Conſciſſa, tuſa, miſta, inſue ſacculo.
D.

S. *Coquatur ſacculus in q. ſ. Vini. Vapor ope infundibuli immitatur Auri affectae, mane & veſperi*

ſperi per ½ horae: poſt ſacculus ipſe e decocto exemtus, valde calens, Auri applicetur, firmetur.

*

Vapor Laxans, Aperiens, Diſcutiens, ad Mammarum Tumores.

℞. *Flor. Sambuc.*
Chamaem.
Melilot.
Lavandul. ana Man. j.
Semin. Cumin. unc. j.
Conciſa, tuſa, mixta, exhibe.

S. *Species, quarum pugilli duo infundantur ex Aq. ferventis & Aceti Vini ana unc.* IV. *ac per horam macerentur vaſe clauſo. Fervefacti dein liquoris vapori nuda exponatur Mamma, ſuperne ſtragulo contecta: quo per quadrantem horae continuato, molliter cum panno laneo, ſicco, calido, fricetur, moxque Emplaſtro de Spermate Ceti ſuper aluta extenſo foveatur. Repetantur eadem bis, ter, quotidie: at nova quovis mane infuſio paretur.*

*

Vapor Antiloimicus.

℞. *Aceti Vini vulg.* Pint. ij.
Sal. marin.
Nitri.
Ol. Vitriol. vulg. ana Lib. ß.
Aq. purae. Pint. j.
M.

S. *Im-*

S. *Immiſſa in ollam fictilem vitreatam, repandam, ſuper prunas repoſita, in limine domus aut cubiculi leniter, ſine ebullitione, evaporent, & cum vapor acrior exſurgit, nova ſubinde aqua infundatur.*

*

Nota. Vaſculum odorarium, *cui* Caſſolettae *nomen* eſt, *Gall.* Caſſolette, (*Vid.* P. Morelli method. praeſcr. form. p. 291.) *ad Vaporationes humidas quoque referendum videtur* (392.); *quamquam ab aliis inter Suffitus aut Odoramenta reponitur. Ex dictis autem* (393. ad 402.) *formula ejus facile intelligi poteſt. Ceterum rari hodie uſus eſt, & cum ad delicias magis, quam ad ſanitatem faciat, vix adeo pharmacopoeorum, ſed artificum odorariorum operam requirit. Simpliciſſima paratur modo, ſi in vaſculum concavum, ore patulo, ſubdito igne calens, infunditur Aqua quaedam ſtillatitia, aroma ſpirans,* v. g. Roſar. Naphae, Cinnam. Caryophyll. Majoran. &c. *quae fervens ſuavem fragrantiam per aëra diffundat. Qui compoſitionem amant, ita procedunt.*

℞. *Styrac. calam.* unc. j.
Benzoin.
Balſ. Tolutan. ana unc. ß.
Rad. Irid. Flor. pulv.
Caryophyll. arom. pulv. ana dr. ij.
Ambar. gryſ.
Moſch. ana gr. vi.

Cum

Cum *Aq. Roſar.* q. ſ. contuſa ſimul & in paſtam redacta indantur *Caſſolettae*, quae, uſus tempore, ſubdito igne calefacta vaporem ſpirabit jucundiſſimum, ſi prius tantillum *Aq. Roſar.* paſtae affuderis.

De Suffitu.

403. SUFFITUS (392.) Θυμιάμα, eſt medicamentum ſiccum, cujus accenſi vapore per atmoſphaeram diffuſo, aut ad ſuperficiem corporis aegri externam, hujusve in oſtia, admiſſo, Medicus finem ſuum aſſequitur.

404. MATERIEM ei primariam praebent ſicca quaevis, vel inflammabilia vel volatilia, quae igne cremata vapores fundunt medicatos. Quare huc maximè recipiuntur Vegetantium partes ſolidae, tum Succi denſi, Reſinae, Gummi, Gummi-reſinae, Balſama ſicca, &c. Ex Animali Regno Moſchus, Zibethum, Caſtoreum, Fella inſpiſſata. Ex Regno Foſſili Succinum, Ambarum, Sulphur, Nitrum, Cinnabaris, Sal Ammoniacus, &c.

405. FORMA Suffitus eſt vel *Sicca Pulverulenta*, vel *Sicca Cohaerens*, ſolida.

α. Prior, particulis conſtans plerumque longe craſſioribus, quam Tragea (117.), exhibet vel *Pulverem* dictum *Fumalem*, prunis inſpergendum, vel *Nicotianam Medicatam*, vulgaris inſtar Tabaci, fiſtulae committendam, ut accenſae fumus ore trahatur.

β. Po-

β. Poſterior, particulis exactius miſtis, & apto glutinante coactis, varias fingitur in figuras, *Trochiſcos* vel *Paſtillos*, *Baculos*, *Candelas*, *Aviculas Cyprias*, *Taedas* minores, majores, quae prunis injecta, aut fornaci calidae affricta, accenſa, fumos ſpargunt requiſitos.

406. Delectum Materiae (404.) limitat ſcopus Medici & Forma ſelecta (405.).

α. Hinc quae ad delicias, aut ad foetorem loci corrigendum, adhibentur, nonniſi ſuaveolentia recipiunt, Aromata v. g. Thus, Styracem, Ladanum, Benzoinum, Succinum, Ambarum, & ſimilia. Ubi roborandum, calefaciendum, ſiccandum, diſſipandum, Reſinae, Gummi, Gummi-reſinae, Aromate etiam non ſuaviſſimo praedita, tum Succinum, Camphora, Sal Ammoniacus, &c. optima. Hyſtericis Foetida, Caſtoreum, Aſa foetida, Galbanum, &c. magis apta. Sulphur, Nitrum, putredini adverſa. Venereis malis opponitur Cinnabaris aliaque Mercurialia.

β. Vegetantium partes ſolidae natura ſicciores, aut arte ſiccatae, tantum huc quadrant, facilius quippe inflammabiles.

γ. Liquores etiam aromatici, coactiores, non tamen aquoſi, ſed flammam alentes, ut Eſſentiae, Olea, Balſama liquida, ſiccis reſtrictâ doſi admiſcentur: prout in internis quoque obtinet (120. *δ*. 184. *α*.).

δ. Nicotianae Medicatae (405. *α*.) baſin Tabaci fo-

ſolia praeprimis conſtituunt: minor aliarum Herbarum, Florum, Corticum, Aromatum, &c. quantitas accedit. Excluduntur Succi igne liqueſcentes, obſtructuri quippe canalem fumiſugii.

ε. Cogendis maſſis formae poſterioris (405. β.) Mucilago Gummi Tragacanthae, Ladanum liquatum, Terebinthina, aut Balſamum quoddam liquidum, inſervit.

ζ. Paſtillos, Candelas, Aviculas Cyprias, Saccharum quandoque ingreditur, quo materies reliqua & magis diffundatur, & vividius ardeat.

η. Quae ſemel accenſa, ſponte dein proſerpente ſcintillatione, ignem alere debent, ut ſunt Candelae & Aviculae Cypriae, levioris ligni, Salicis v. g. vel Tiliae, Carbonem recipiunt aliis intermiſtum, utpote propagando paullatim igni aptiſſimum.

θ. Taedis majoribus conſtituendis Cera baſin exhibet.

ι. Ubique hic, maximè ſi fumi proximius corporis ſuperficiei applicandi, hujusve in oſtia intromittendi ſunt, cogita & peripheriae bibacitatem (332. θ.) & ſenſiliſſimam internarum partium teneritudinem, & miram denique ignis vivi vim, corporum concretorum principia ſeparantem, mutantem; ut cautus ſeligas apta ſcopo, affectis partibus amica, non nocitura aliis. Cinnabaris, movendae ſalivae impar, dum concreta manet, igne reſoluta redit in Mercurium. Benzoë, Succinum, &c. concremata

an

an priſtinum Benzoinum & Succinum evaporant? Chemiam conſule! diſces alia.

κ. Cum ſuaveolentem fumum deſideras, memento praeterea, multa dari ſponte, aut attritu & calore, fragrantia, quae prunis injecta & uſta male olent. Cinnamomum, Caryophylli, Roſae, & pleraque, quorum vis odora a reliqua ſubſtantia igne ſeparabilis eſt, aut quae uſtione in carbonem abeunt, hujus cenſus ſunt.

λ. Proſtant ſaepe in officinis jam parati Suffitus formae ferè cujuscunque. His igitur, ſi ſcopo reſpondent, utenti nova compoſitione ſuperſedere licet; quum diu ſatis incorrupti perſtent, imo tantillo liquidi idonei, aromatici (γ.), intermiſto aut illito appropriari queant.

μ. Numerus ingredientium ingens ſaepe hic congeritur. Concinna tamen brevitas ubique laudanda (31.).

407. Ordo, qualis in Pulvere & Trochiſcis internis (122. 186.), hic obtinet.

408. Dosis, in variis varia, rariſſimè pondere, ſaepe numero aut menſura, determinatur. Pulverum (405. α.) drach. j. ij. pugill. j. ij. prunis injici jubentur. Nicotianae (ibid.) doſin limitat coni fiſtulae tabacariae capacitas. Trochiſcorum, Candelarum, Avicularum (ibid. β.), n°. j. ij. iij. prunis imponuntur vel accenduntur. Baculi (ibid.), quantitate incertâ, fornaci affricantur. Taedae incendendae

dendae numero & tempore determinari poſſunt.

402. Quantitas Generalis ex uſu diutius, brevius, continuando, ſaepius aut rarius iterando, colligitur. Quae moleſtiorem exigunt ſubactionem, formationem, uti ſunt pleraque formae poſterioris (405. β.), vix infra lib. ß. ſimul praeſcribito; niſi cum officinalibus uteris (416. λ.). Confer (190.).

410. Proportio mutua ingredientium ex indicatione Medici, virtute & pretio materiae, tum forma expetita (405.), cognoſcitur, collatis ante dictis (87. ad 92. 125. 191. 313. 406.).

α. Efficaciora, cariora, ad utramque formam (405. α. β.) plerumque minore ad reliqua proportione recipiuntur. Idem de Liquidis (406. γ.) obtinet.

β. Tabaci Folia, pro conficienda Nicotiana Medicata (405. α.), triplo, quadruplo, ſextuplo, & ultra, ceteris copioſiora capi ſolent.

γ. Glutinantis (406. ε.) ad Trochiſcos, Candelas, &c. (405. β.), q. ſ. praeſcribitur: Cerae ad Taedas (406. ϑ.) dupla, tripla, reliquorum quantitas.

δ. Carbonis (406. η.) itidem q. ſ. aut aequalis vel dupla reliquorum quantitas ferè ſumitur. Simili penè modo & Sacchari (ibid. ζ.) Proportio ſe habet.

411. Subscriptio mandat comminutionem rudiorem vel *groſſo modo*, miſtionem, &c. ut *F. Pul-*

vis pro Suffitu, Nicotiana Medicata. At pro forma poſteriore (405. β.) comminutionem in pulverem tenuem, miſtionem aequabilem, & curioſam ſubactionem cum Glutinante, ut *F. Trochiſci, Baculi, Aviculae Cypriae, Taedae,* &c. Neque ceterum moles horum aut pondere aut menſurâ determinari ſolet; quum pharmacopoeo cognita ſupponatur. Ubi officinalia praeſtituuntur (406. λ.), patet, non opus eſſe Subſcriptione, niſi forte liquoris cujusdam intermiſtio aut illitus commendandus. Addi poteſt. *D. ad chartam, ſcatulam,* &c.

412. Signatura ex (113. 403. 405. 408.) facile intelligitur. Nota

α. Formas omnes (405. α. β.) ſaepiſſime tantum atmoſphaerae corrigendae gratia adhiberi; & Baculos quidem, Candelas, Aviculas Cyprias, Taedas, non niſi huic ſervire ſcopo; at Pulveres & Trochiſcos etiam vaporando proximiûs corpori. Prior igitur uſus cum delicias modò aut prophylaxin plerumque ſpectet, vix exactius regimen requirit.

β. Si vaporandum corpus, pleraque (400. β. γ. δ.) memorata hic quoque obtinent. Vapores tamen accenſione ſemper (403.) excutiuntur. Nicotianae Medicatae uſus, a vulgari non diſcrepans, ſat notus, horis praecipue matutinis injungitur. Quandoque ſubuculae, cuculli, ſacculi (250. β. 2.), fumigantur prius, quam corpori applicentur. Alias & panni lanei, linei, vapore ſicco imbuti, fovendis aut fricandis partibus inſerviunt. Vid. Caput *De Fricio.*

413.

413. Usus, paſſim jam indicatus, voluptati, prophylaxi, tum therapiae aptus, roborando, calefaciendo, diſcutiendo, ſiccando, ſtimulando, praeſtat plurimum. Sunt &, quibus Cinnabarini Suffitus ad Venerea placent; licet haud ſatis tutò ubique (406. α. ι.). Nec tenerò Pulmoni admodum convenire putem aduſtos acrium vapores (ibid. ι.).

414. Specimina ſunto.

*

Suffitus Antiloimicus.

℞. *Myrrh.*
Flor. Sulphur.
Nitri ana unc. j.
M. F. Pulvis rudis.

S. *Hujus pugillis aliquot in prunas inſperſis vaporentur cubicula aut aedes, bis quotidie.*

*

Suffitus Roborans, Diſcutiens, ad Hydrocelen, Vide H. Boerh. Mat. Med. p. 227.

℞. *Benzoin.*
Oliban.
Sarcocollae.
Reſin. Guajac. ana unc. ß.
Maſtiches. unc. j.
Salis Ammoniac. dr. vi.
Camphor. dr. ij.
M. F. Pulvis pro Suffitu.

S. *Hujus incenſi vapor excipiatur nudo Scroto, dein*

panni lanei fumo hoc vaporoſi, calidi, ſuper applicentur.

*

Suffitus Balſamicus, Exſiccans, Roborans, Ulcus Pulmonale mundatum Conſolidans. Vid. Fuller Pharm. extemp. p. 308.

℞. *Succin.*
Maſtich.
Thur.
Balſ. Tolut.
Sang. Dracon. ana unc. ß.
Nuc. Myriſtic. dr. vj.

Contuſis ruditer ac miſtis F. Pulvis pro Suffumigio.

S. *Pugillus prunae non fumanti injiciatur, fumusque ore patulo hauriatur mane & veſpere.*

*

Nicotiana Suaveolens, Cephalica.

℞. *Herb. ſiccat. Salviae.*
Majoran. ana m. ß.
Thymi.
Flor. ſiccat. Lilior. Convall.
Roſar. ana pug. j.
Cort. Caſcarill.
Cinnamom. ana ſcrup. j.

Comminutis craſſiuſculè admiſce
Fol. Nicotianae conſciſſor. unc. IV.
Tum conſperge tantillo *Eſſent. Ambar.*
D.

S. Ut

S. Ut in fronte. *Sugatur fumus mane, per dimidiam aut integram horam, ex fiſtula tabacaria.*

*

Trochiſci Fumales, Antirachitici. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 275.

℞. *Benzoin.*
Maſtiches.
Succin. ana unc. j.
Lign. Aloës.
Cort. Cinnam. ana drach. ij.
Caryophyll. arom. drach. j.

Contuſa, miſta, cum *Terebinth. pur.* q. ſ. redigantur in Trochiſcos. D. ad ſcatulam.

S. *Trochiſci pro Suffitu, quorum aliquot prunis injiciantur, dum ante ignem ſedet infans nudatis inferioribus. Pannis etiam laneis, ſiccis, horum fumo imbutis, fricetur ſpina dorſi, abdomen, &c. manè & veſperi.*

*

Baculi Suaveolentes ad Fornacem.

℞. *Ladan.*
Styrac. calam.
Benzoin. ana unc. j.
Balſ. Tolutan. unc. ß.
Pulv. Rad. Irid. Flor.
Cort. Caſcarill. ana drach. iij.
Ol. Lign. Rhod. gutt. xx.

Cum ſ. q. *Mucilag. Gum. Tragacanth. Aq.*

Roſar. extract. F. Maſſa, quae formetur in Baculos inſtar Cerae Sigillaris.

D.

S. *Fornaci aut teſtae calidae adfricetur parum Baculus ad diſcutiendam mephitim.*

*

Aviculae Cypriae, fragrantes.

℞. *Oliban.*

Maſtiches.

Benzoin.

Cort. Thymiam. ana unc. j.

Baccar. Juniper. unc. ß.

Caryophyll. arom. drach. ij.

Sacchar. alb. unc. iv.

Carbon. Salicis. lib. j.

M. F. omnium Pulvis ſubtiliſſimus, qui cum *Mucilag. Gumm. Tragacanth in Aq. Roſar. factae* q. ſ. ſubigatur & effingatur in Aviculas vel Candelas.

S. *Duae, tres, &c. accenſae reponantur in loco odore grato inficiendo.*

*

Taedae Odoratae.

℞. *Easdem vel ſimiles Species formulae praeced.* exceptis Saccharo & Carbone.

Cerae flavae duplum ad. p. o.

Colliquata & concorporata formentur in Taedas minores vel majores, pro lubitu.

S. *Ar-*

S. *Ardeant hae ad delicias aut ad prophylaxin in locis infectis.*

Nota. *Huc & referri poteſt* Clyſma ex fumo Nicotianae, *quod ano immittitur in pertinaciſſimis alvi conſtipationibus, & ſatis noti uſus eſt, nec adeo ſingulare in praeſcribendo artificium requirit.*

De

Emplaſtro.

415. Emplastrum, *Ceratum Solidum*, eſt medicamentum externum, in frigore ſolidum, cohaerens, haud tamen friabile, calore liqueſcens, ductile, glutinoſum, ex pingui materie maximè paratum, quod, idoneo ſuper vehiculo extenſum, partibus corporis externis varios in uſus ita imponitur, ut calore mollitum plus minus adhaereſcat. Vocatur id *Dropax* ſeu *Picatio*, ubi Picem pro baſi habet; *Sparadrapum*, *Spannadrapum*, *Tela Emplaſtica*, ſi vehiculum eo utrinque obductum eſt.

416. Materies ejus in genere vel *Excipiens* eſt vel *Excipienda.*

α. Excipiens, in univerſum oleoſa, pinguis, tenax, vel eſt (1.) Liquida: ut Olea preſſa, infuſa, cocta. Vel (2.) Spiſſior, ſequax: ut Pinguedines, Medullae, Butyrum, Mel, Unguenta officinalia, &c. Vel (3.) Tenacior, glutinoſa: ut Terebinthina, &c. Vel (4.) Durior in frigore, ſicca, co-

haerens: ut Cera, Reſinae, Gummi reſinae, Emplaſtra officinalia, &c.

β. *Excipienda* iterum vel (1.) Liquida eſt: ut Liquores aquoſi, Mucilagines, Decocta, Infuſa, Succi preſſi, Olea Aromatica, preſſa, ſtillatitia, Balſama liquida, nativa, artefacta, Tincturae, Spiritus, Vinum, Acetum, Fel, & ſimilia. Vel (2.) Spiſſa, ut Succi denſi, Gummi, Extracta, Sapo, Amalgamata, &c. Vel (3.) Sicca pulverulenta: ut Calces Metallicae, Pulveres Vegetantium, Animantium, Foſſilium &c.

417. Delectus ut ex arte fiat, indicatio Medici, materiae aptae (416.) natura, & Emplaſtri dotes (415.) requiruntur cognitae. Hinc ſcito,

α. Laudari in Emplaſtro (1.) Conſiſtentiam in frigore ſiccam, digitos non inquinantem. (2.) Ductilitatem ſequacem in leni calore, ac mollitiem. (3.) Tenacitatem lentam; ut vehiculo & parti facile adhaereſcat. (4.) Mixtionem ingredientium homogeneam.

β. Dos prior (α. 1.) pendet a materie (416. α.) 4. β. 3.): alteram (α. 2.) efficit excipiens (416. α. 1. 2.): tertiam (α. 3.) Terebinthina, Cera, Gummoſo Reſinoſa (416. α. 3. 4.) praecipue exhibet: poſtremam (α. 4.) producit artificioſa omnium concorporatio.

γ. Excipiendo (416. β.) haud ubique opus: Excipientium enim ſpecies (ibid. α.), arte junctae,

Em-

Emplaſtrum praebent optimum. Sola Cera & Terebinthina, proportione aptâ colliquatae, absque aliis, omnes Emplaſtri dotes (α.) exhibent. Unde non in omni Emplaſtro ingredientium diſtinctio in Excipiens & Excipiendum (416.) obtinet.

δ. Oleum (416. α. 1.), vel huic analoga (ibid. 2.); tum Terebinthina & Cera (ibid. 3. 4.), plurimorum Emplaſtrorum baſin conſtituunt: Cerae tamen & Terebinthinae Pix aliquando, Reſinae, Gummi-Reſinae, ſubſtituuntur.

ε. Quin ſola etiam Pix, aut Gummi-Reſinae, piſtillo calido diductae, aut oleo ſpirituve apto emollitae, pro Emplaſtro ſunt.

ζ. Oleum quoque ſolum, cum Calce Saturnina, Lithargyrio v. g. Minio, Ceruſſa, ſat diu coctum, in Emplaſtrum abit.

η. Liquida Aquoſa (416. β. 1.), quorum in volatili principio virtus haeret, ne receperis: neceſſaria enim hic humoris aquei per cocturam difflatio ſimul & vim diſſipat. Id tamen non obſtat, quo minus maſſam emplaſticam mollem, aut liquatam, cum Aqua quadam odorata, aromatica, depſere liceat, ut hujus odore imbuatur: quod tamen exiguae opis eſt, nec longae durationis.

ϑ. Vegetantium partes ſpecificè leviores, & vi per magnum volumen diffusâ praeditae, vix aptae, quae pulveris ſpecie huc ingrediantur. Harumce Succum, Decoctum, Infuſum, Oleum, Extractum, rectius adhibueris.

ι. Quandoque tamen ex pulverato Vegetabili, cum Cereviſia fortiore diu incocto, abſque mixtione aliorum, paſta formatur tenax, quae cum in modum Emplaſtri ſuper idoneo vehiculo extenſa adhiberi ſoleat, huic etiam formulae accenſetur.

κ. Salia, praeterquam Metallica quaedam, ut Saccharum Saturni, &c. rarius hic in uſu ſunt; quum vel aegrè miſceantur, vel ſub mixtione pereant volatilia, vel vi emplaſticâ aliorum enerventur, vel deliquio noceant.

λ. Qui accedunt Pulveres, (416. β. 3.), vel ſolubiles ſint oportet, vel tenuiſſimi, ut aequabiliſſimè interteri queant (α. 4. β.).

μ. Hinc & Extracta, Succi denſi, Gummi-Reſinae, & ſimilia, niſi vel colliquari cum aliis, vel in pulverem comminui poſſint, apto prius menſtruo, Aceto, Vino, Oleo, Terebinthina, Vitello Ovi, &c. ſolvuntur.

ν. Quandoque Vegetantia aut Animantia, quorum virtus in Emplaſtro deſideratur, cum Vino prius, Aceto, Oleo, Axungia infunduntur, decoquuntur, friguntur; ut colatus, expreſſus, liquor dein, cum aliis, in formam Emplaſtri cogatur.

ξ. Argentum vivum ſi recipitur, Terebinthina id vel Axungia figendum prius, aut menſtruo apto ſolvendum.

ο. Proſtat autem ſatis plerumque ingens Emplaſtrorum officinalium numerus, magiſtrali ut compoſitio-

ne,

ne, ſaltem diffuſiore, vix opus ſit. Unde uſitatiſſimè officinale modo praeſcribitur ſolum, aut plura ſimul, idonei ope Olei, Spiritus, Tincturae, Elixiris, &c. emollienda, ſubigenda. Alias & loco baſis inſerviunt, cui reliqua ſcopo accommodata, Pulveres, Gummi, Reſinae, Succi, &c. interventu idonei excipientis (416. α. 1. 2. 3.), admiſceantur. Sic praeparationis opera & tempus compendifieri, error vitari facile poteſt.

π. Numerus ingredientium parcior hic, ut ubique, laudabilis. Compendio (ο.) qui utitur, pauca ſcribendi complecti poterit plurima; cum Emplaſtrorum officinalium pleraque multitudine etiam materierum laborent.

418. Ordo licet ſaepius a quantitate deſumatur (106. γ.), Excipientium illis, quae q. ſ. praeſcribuntur, ultimò locatis (ibid. ε.); is tamen optimus videtur, qui praeparationis ordini maximè reſpondeat (ibid. ζ.). Excipientia hinc & Excipienda, quae coctione concorporari debent, aliis praeëant, ſequantur, quae ſola egent colliquatione; tum quae maſſae ab igne remotae demum admiſcenda, Pulverulenta, Volatilia, &c. At nec ſcrupuloſa accuratione opus eſt, ubi de pharmacopoei dexteritate conſtat.

419. Dosis & Quantitas Generalis hic plerumque aequales ſunt; quia raro plures Doſes ſimul praeſcribuntur. Partis tegendae, aut vehiculi oblinendi, magnitudo conſideranda. Quum vero aetas

aetas varia, habitus corporis obeſior, tenuior, &c. plurimum differentiae faciunt, generalis limes figi hic nequit. Unde, ſi compoſitione utimur officinali, aut magiſtrali ſimpliciore (417. γ. ε. ο.), ſaltem q. ſ. praeſtituere expedit, determinata interim parte, quae Emplaſtro tegi, aut magnitudine vehiculi, quo ſuper extendi id debet. Compoſitio magiſtralis prolixior & operoſior quantitate parcâ haud praeſcribatur. (67. η.). Si plurium Doſium quantitas exigitur, uſûs frequentiae & diuturnitatis ſimul habenda ratio.

420. Proportio mutua ingredientium ſimilibus, ac Delectus (417. α.), limitatur conditionibus, tum vario conſiſtentiae Emplaſtri gradu. Nota enim,

α. Pro diverſo Emplaſtri uſu triplicem obtinere ſpiſſitatis gradum; molliorem nempe ad Cerata accedentem; medium; duriorem. Emollientibus, altùm penetraturis, ad mobiles partium flexuras applicandis, Sparadrapis (415.), prior magis convenit: exſiccantibus, adſtringentibus, firmantibus, diu ac tenaciter adhaeſuris, &c. bini poſteriores.

β. Proportio hinc pro variâ ſpiſſitate (α.) ita fere determinatur, ut ſint pro

Molli	*Olei* unc. j.	*Cerae* unc. j.	*Pulver.* unc. ß.
Mediâ		unc. iß.	dr. vj.
Duriore		unc. ij.	unc. j.

γ. Oleo autem analoga habetur Materies pinguis, ſpiſſâ, (416. α. 2. 3.): Cerae adfinia reliqua (ibid. 4.)

4.) recenſita. Pulverum quoque defectus plure Cerâ aut huic analogis ſuppleri poteſt.

δ. Pulverum tamen pondus ſpecificum & ſingularis indoles ratione oleoſorum ſimul attendenda. Volumen auctius materiae levioris eodem pondere plerumque plus ſpiſſat, quam compactior maſſa gravioris. Calces tamen Metallicae, praecipue Saturninae, plurimum Olei aut Pinguedinis imbibunt.

ε. Liquorum Aquoſorum (416. β. 1.) Proportionem ſuo ex ſcopo figit Medicus: quum enim coctio hic neceſſaria plurimum difflet; reliquorum inter ſe Proportio fere manet eadem. Aceti tamen pars ſeptima aut octava maſſis emplaſticis ſola ſubactione intertrita mollitudinem non admodum auget, nec diſflatione per cocturam eget, ſed pro ea portione, quae non intimius admittitur, frigore ſponte ſecedere ſolet.

ζ. Succi ſpiſſi, &c. (416. β. 2.), ut vel Cerae vel Axungiae denſitati propiores ſunt, huic illive annumerantur (γ.): quamvis reſtricta ſaltem quantitate plerumque addantur.

η. Ceram albam ſi adhibes, cum flavâ fragilior ſit, Proportio ejus paullùm imminuenda. At flavae uſus hic ferè frequentior.

ϑ. Memento & frigore denſari corpora magis; ut hyeme Mollium (416. α. 1. 2. 3.), aeſtate Duriorum (ibid. 4.) augeas quantitatem.

ι. Quae emollitioni tantum inſerviunt (417. ε. ϛ.).

aut

aut ſolutioni (ibid. λ, μ.), q. ſ. praeſcribuntur.

κ. Eſt & uſitatiſſimum, Olei & Cerae, vel his affinium (γ.), utriusque aut alterutrius quantitatem pharmacopoei peritiae relinquere determinandam: quâ viâ commodè evitatur error.

λ. Sic quoque Emplaſtro officinali ſi jungere voles alia ſcopo magis apta (417. ο.), horum conſiſtentiae gnarus facile videris, liquido, molli, tenace, an duro inſuper opus ſit acceſſorio, cujus q. ſ. addendum.

421. Subscriptio praecipit.

α. *Maſſae Emplaſticae Praeparationem.* Haec fit vel (1.) Emollitione, lenis caloris aut menſtrui adminiculo obtinenda (417. ε. ο.); quod *Malaxare* vocant. Vel (2.) Colliquatione; ſicubi materies igne fundi, & fuſa ritè inter ſe coire poteſt, nec niſi pulveribus intertritis, aliisve facile ſolubilibus, miſceri debet. Vel (3.) Coctione etiam accedente; quae requiritur, cum vel humor aqueus eſt difflandus (416. β. 1.), vel vis medicata fixior e vegetantibus praeprimis extrahenda, rejectis partibus ſolidis, vel Calces Metallicae, praeſertim Saturninae, intimius diſſolvendae. Ordinem & encheireſes, quae ad legitimam praeparationem pertinent, hic praetereo, tum ob (7. γ. & 8.), tum quia induſtriae pharmacopoei committuntur. Confer & (418.).

β. *Extenſionem ſuper vehiculo*, quod pannus eſt lineus, ſericus, holoſericus, goſſypinus, aluta, &c.

prout

prout ſuperficies contegenda variè mobilis, tenera, magis minusve conſpectui patens, Emplaſtrum diutius, brevius, retinendum, &c.

Magnitudo ejus & Figura, itidem pro variis partibus uſibusque varia, vel exemplo chartaceo ſimul transmiſſo, vel pollicibus, aliave menſura, determinatur, vel parte ſaltem, cui applicandum, memoratâ, pharmacopoei relinquitur peritiae; quippe cui notum ponitur, ſcuti figuram Stomacho, lunatam Hepati, ovatam Lieni, orbiculatam Utero & Umbilico, oblongo-quadratam Reni, & ſic porro, aſſignari.

Extenſio ipſa, pro vulgaribus Emplaſtris ſat nota, pro Sparadrapis (415.) fit telam vetuſtate detritam, non laceram tamen, aut chartam, maſſae emplaſticae liquatae immergendo, undequaque infectam extendendo, refrigeratam laevigando. Juvat autem monuiſſe, tenuiorem materiae extenſionem in univerſum maxime convenire; quum craſſior cruſta vehiculo allita, calore corporis diffluens, ultraque marginem effuſa, vicina veſtimenta non ſine taedio conſpurcet, neque etiam adhaeſionem ſatis tenacem aut aequabilem admittat.

Extenſum Emplaſtrum quandoque oleo illinitur, aliàs conſpergitur pulviſculo quodam; ne vel tenacius adhaereſcat, vel inquinet. Alii eodem fine ſindone rubrâ, albâ, decuſſatim *interpaſſata*, ut vocant, aut peripheriae adſutâ, totum Emplaſtrum aut marginem ejus, qua corporis ſuperficiem contin-

tinget, obtegunt. Quibus equidem cautelis id quandoque obtineri poteſt, ut qui ob immunditiem Emplaſtra recuſant, aut ob delicatam cutis texturam ab eorum uſu pruriginem & eryſipelas contrahunt, facilius eadem admittant atque ferant.

422. SIGNATURA ex (113. 415.) abunde intelligitur.

423. USUS Emplaſtri multiplex, emolliendo, diſcutiendo, maturando, detergendo, ſiccando, roborando, attrahendo, glutinando, ſtimulando, ſopiendo, calfaciendo, repellendo, &c. vulneribus, ulceribus, tumoribus, ab aëre defendendis, turundis, plumaceolis, adſperginibus (318.), vulnerum labiis, oſſibus fractis, &c. continendis, aptus. Pſilothra, Rubefacientia, Veſicatoria, hac quoque forma adhibentur. Nec virtus tantum in ſuperficie conſiſtit, ſed altius quoque penetrat: ut Aromatica, Mercurialia, Opiata, docent. Obſtruendo tamen cutis ſpiracula quibusdam nocens, pruritum, puſtulas, eryſipelas, creat.

424. SPECIMINA ſunto.

*

Emplaſtrum Anodynum, motum ſedans, ad Scirrhum nec reſolutione, nec exſtirpatione medicabilem. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 118.

℞. *Succi recent. expreſſi & puri*
Fol. Hyoſcyami.
Papaver. hortens.
Phellandrii. ana unc. iv.

Leni

Leni igne coque, inſpiſſa, ſub finem admiſce

Cerae albae. unc. viij.

Ol. infus. Roſar. unc. j.

F. ſ. a. Emplaſtrum.

S. *Hujus q. ſ. ſuper aluta debitae magnitudinis & figurae extenſum parti ſcirrhoſae, prius Nutrito ibid. deſcripto oblitae, applicetur.*

*

Emplaſtrum Diſſipans, ad Bubonem Venereum Ibid. p. 268.

℞. *Flor. Sulphuris.* unc. ß.

Sacchar. Saturn. drach. j.

Picis Sutoriae. unc. ij.

M. F. ſ. a. Emplaſtrum ſuper aluta extendendum.

S. *Applicetur loco affecto. Recentetur quovis biduo.*

*

Emplaſtrum Hyſtericum Sydenhami.

℞. *Galban. in Tinct. Caſtor. ſolut. & colat.* drach. iij.

Tacamahac. drach. ij.

M. F. Emplaſtrum: extendatur ſuper aluta orbiculatâ pro umbilicali regione.

S. Ut in fronte. *Admoveatur calidum Umbilico.*

*

Emplaſtra Anodyna, pro Temporibus.

℞. *Maſtich. pur.* dr. ij.

Extende ſuper duobus orbiculis holoſeri-

cis, nigris, ac in medio cujusvis adglutina

Opii gr. j.

D.

S. *Applicentur utrinque Temporibus.*

*

Emplaſtrum Defenſivum rubrum. Vide H. Boerh. Mat. Med. p. 71.

℞. *Ol. Roſae.*
Cerae alb. ana unc. vj.
Boli Armen.
Sang. Dracon. ana unc. i ß.
Roſar. rubr. pulveris. unc. ß.

Cerae cum Oleo calore leni liquatae, tum ab igne remotae, paullatim intere reliqua ſubtiliſſime pulveriſata, jugiter agitando, donec ſimul refrixerint.

S. *Hujus q. ſ. ſuper linteamine extenſum applicetur Vulneri ad aërem arcendum & continenda reliqua.*

*

Emplaſtrum Roborans, Caleſaciens, Carminans, Stomachicum.

℞. *Emplaſtr. de baccis Lauri.*
Cumino. ana q. ſ.

Malaxata cum *Balſam. Peruv.* tantillo extende ſuper tela goſſypina, ſcutiformi, tege ſindone rubra decuſſatim interſuta.

D.

S. *Scu-*

S. *Scutum Stomachicum, quod calidum regioni Ventriculi apponatur, & ſubinde Balſami Peruviani, aut Olei vel Spiritus Menthae, tantillo irroretur.*

*

Aliud Stomachicum Pharmacop. Londinenſ.

℞. *Labdan. mollis* dr. vj.
Thuris. dr. ij.
Cinnamom. pulver.
Ol. expr. Macis ana dr. j.
ſtillat. Menth. gutt. xv.

Thuri liquefacto adde primum Labdanum calore emollitum, deinde Oleum Macis, tum Cinnamomi pulveri cum Oleo Menthae prius in mortario tepido ſubacto admiſceantur, omniaque ſimul contundantur in maſſam aequabilem, quae, ſuper aluta extenſa, fit pro Scuto Stomachico.

S. Ut prius.

*

Sparadrapum ad Fonticulos.

℞. *Emplaſtr. Diapalm.*
Grat. Dei. ana pt. ij.
Ol. Amygd. dulc. rec. preſſ. pt. j.

Calore leni, ſub continua agitatione, colliquatis, tum ab igne remotis, intinge longa chartae albae, ſatis firmae, ſegmina, tres circiter digitos lata: ritè infecta exime, extende, cultro aut ſpatula aequa, ſuſpende, ut ſponte ſiccescant,

tum in ſegmenta quadrata diſcinde & exhibe.

S. *Chartae inceratae pro deligando Fonticulo.*

*

Sparadrapum Pectorale, Emolliens, Reſolvens, ad Tuſſim a frigore ſuſcepto.

℞. *Unguent. Althaeae compoſ.* unc. j.
Adipis Gallin. drach. iij.
Olei preſſ. ſem. Papav. unc. ß.
Cerae citrin. unc. iß.

Simul leni igne liquefactis immiſce
Rad. Irid. Florent. ſubtiliſſ. pulveris. dr. j.
Olei expreſſ. Nuc. Myriſt. ſcrup. j.

Detentis in fluore immerge telam lineam veterem magnitudinis & figurae in charta transmiſſa deſcriptae; probè imbutam extende, laeviga, & laxè convolutam exhibe.

S. *Tela Emplaſtica, quae Pectori apponatur; tegatur panno laneo, rubro, villoſo, aut pelle Cati.*

*

Emplaſtrum Reſolvens, ad Contuſa. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 87.

℞. *Rad. Bryon. in farin. redact.* unc. ij.
Flor. Sulphur. unc. j.
Mercur. nigri. drach. iij.
Galbani puri & ſ. a. ſoluti. unc. iv.
Emplaſtr. de Meliloto. unc. ix.
Ol. Chamaemel. q. ſ.

Ut

Ut F. Emplaſtrum.

S. *Hujus q. ſ. linteo inductum applicetur parti contuſae.*

*

Emplaſtrum Diſcutiens, Calefaciens, ad inveteratos dolores & affectiones ex cauſa frigida & lentore oriundas. Fuller Pharmacop. Extemp. p. 96.

℞. *Rad. Zingiber. pulv.* unc. ij.

Coq. in *Cereviſ. fortior.* aut *Alae* dictae *Anglorum* q. ſ. ad Emplaſtri conſiſtentiam, dein inducatur alutae juſtae magnitudinis.

D.

S. *Superdetur loco affecto, ac tertio quovis die renovetur.*

*

Emplaſtrum Mercuriale, ad Affectiones Venereas. Ibid. p. 92.

℞. *Argent. viv.* unc. j.

Terebinth. pur. unc. ß.

Accurate ſubactis adde

Gum. Ammoniac. colat. unc. iv.

Ut F. ſ. a. Emplaſtrum.

S. Ut ſupra.

Nota. *Sunt &* Sparadrapi *ſpecies, quae ex Talco, Camphora, Borace, Cerâ & Oleo, parantur,* Telae Cosmeticae *dictae, de quibus vide* P. Morell. Meth. Praeſcr. Form. p. 246. *Rarò has magiſtraliter componendas praeſcribit Medicus: unde vix adeò hujus ſunt loci.*

De

Cerato.

425. CERATUM, *Cerotum*, *Cerelaeum*, eſt Emplaſtrum (415.) mollius, mediae ferè inter Emplaſtrum & Unguentum ſpiſſitatis. Neque enim hodie, ut olim, quaecunque ex Cerâ compoſita, ſive Unguenta, ſive Emplaſtra, Cerata vocamus: unde nec eorumdem in Liquidiora & Solidiora diviſio locum amplius habet. Quin expediret, univerſa Ceratorum familia ex officinis eliminata, quaecunque ſub hoc titulo proſtant, ad mollia potius Emplaſtra (420. *α.*) referri; quando & conſiſtentia & compoſitione ſatis conveniunt, nec Cera ingrediens conſtantem inter utrumque genus diſcrepantiam ponit.

426. MATERIES, DELECTUS, ORDO, DOSIS, QUANTITAS GENERALIS, ſimilia hic, ac in Emplaſtro (416. ad 419.). A Cera & Oleo quidem nominis (425.) origo eſt: at neque iſthaec adeo conſtanter hodie ingrediuntur, quin ſaepe, illis etiam omiſſis, Materiem praebeant reliqua (416. 417.) enumerata. Unde multiplici modo Cerata praeſcribi ſolent.

1. Simpliciſſimum paratur ex Oleo & Cera juſta proportione colliquefactis, jugique ſub agitatione paullatim frigeſcendo condenſatis: quae compoſitio tam levis artificii eſt, ut etiam ſaepius domi aegrorum, absque pharmacopoei ope, curetur.

2. Alias

2. Alias Emplaſtrum aliquod officinale jubetur Olei idonei aut Balſami liquidi interventu ad conſiſtentiam Cerati molliendum (417. o.). Tum vero nec incongruum eſt, augendae virtutis ergo admiſcere alia, v. g. Pulveres, Reſinas, Sapon. &c. Modo pro diverſa horum ſpiſſitate juſta liquoris oleoſi copia ad obtinendam mollitiem adhibeatur.

3. Quin & Unguentum officinale, Cera, Reſina, Gummi, Gummi-Reſina, Succis Extractisve denſis, Sapone, Emplaſtris officinalibus, aut Pulveribus ſiccis, admiſtis, in Cerati conſiſtentiam cogi poteſt.

4. Tandem & magiſtralis Cerati compoſitio quandoque ab integro praeſtituitur ex materie pro Emplaſtris uſitata (416. α. β.), additis omiſſisve Cera & Oleo, obſervato duntaxat ingredientium delectu ac proportione, ut requiſita maſſae ductilitas & mollitudo impetretur.

Quodſi tamen Ceratum proſtat officinale, praeſenti ſcopo aptum, iſto potius, quam nova compoſitione, utendum ſuadet regula (41.).

427. PROPORTIO mutua ingredientium ſola diſcrepat; quippe quae talis eſt, ut Olei unc. j. recipiat Cerae unc. ß. Pulver. drach. j. ij. pro ponderis ſpecifici varietate: aut &, omiſſo Pulvere, Cerae drach. v. vj. imo unc. j. Adde tamen

α. Dari & hic aliquam latitudinem, ut conſiſtentia aliàs paullo mollior, aliàs denſior fiat, nec proportio dicta conſtantiſſimè ſemper teneatur: unde

 pro-

profectum, ut officinalium quaedam, ab aliis Ceratorum ordini adſcripta, aliis Unguenta vel Emplaſtra audiant.

β. Porro, quae (420. γ. ad λ.) dixi, huc etiam applicari poſſunt: ita, quemcunque quis elegerit conficiundi Cerati modum (426. 1. 2. 3. 4.), facile ſeſe expediet.

428. Subscriptio & Signatura, mutato ſaltem nomine (425.), eadem eſt, qualis (421. 422.). Sparadrapa (421. β.) etiam crebrò inde parantur; quum maſſae his conveniant molliores (420. α.). Dantur & Cerata quandoque in fictili aut veſica, ſi uſui dicantur longiori; ne vehiculo inducta per moram areſcant nimis aut deliqueſcant. Eſt quoque ob mollitiem facilis eorum extenſio, hinc aegris aut adſtantibus committi poteſt.

429. Usus idem, qui Emplaſtri (423.), & vel hoc etiam frequentior: multoties enim Cerati modò ſpiſſitate gaudent, quae nomine Emplaſtri praeſcribuntur. Durities ejus & tenacitas, quam Emplastri, minor magis id commendat, ubi virtus altius inſinuanda (420. α.), partes molles, ſenſiles, harumve flexurae, contegendae, aut noxae a denſioribus timendae ſunt (423.).

430. Specimina ſunto.

*

Ceratum Exſiccans, Obtundens, Antiphlogiſticum, ad Ulcera Tibiarum inveterata.

℞. *Ce-*

℞. *Cerat. Defenſiv. caerul. Pharm. Leid.* unc. iij. vel q. v.

D. ad fictile.

S. *Hujus q. ſ. extenſum ſuper linteo applicetur Ulceri, prius puro, ſiccis, aut idoneo Balſamo imbutis, carptis tecto. Renovetur quovis die ſemel.*

*

Ceratum Molliens, Diſcutiens, ad Pleuritidem.

℞. *Ung. Popul.* unc. j.

Empl. Sticht. Parac.

de Sapon. ana dr. v.

Leni calore liquefactis, jugiter dein ad refrigerium usque agitatis, immiſce *Camphor. cum tantillo Ol. roſac. ſolut.* dr. ij.

Ut F. ſ. a. Ceratum, quod alutae juſtae magnitudinis inductum exhibe.

S. *Emplaſtrum Pleuriticum, quod lateri dolenti ſuperdetur.*

*

Ceratum Attrahens, Emmenagogum. Vide H. Boerh. Mat. Med. p. 229.

℞. *Emplaſt. Oxycroc.*

de Melilot. ana q. ſ.

Cum *Ol. Rutae.* q. ſ. malaxando in conſiſtentiam Cerati redacta extendantur ſuper aluta lunata juxta exemplum tranſmiſſum. D.

S. *Pubi & Inguinibus applicetur.*

*

Ceratum Reſolvens, ad Scirrhum Lienis.

℞ *Gumm. Ammoniac.*
Galban. ana unc. ß.
Diſſolvantur *Acet. Squillit.* q. ſ. & cum
Cerae citrin. unc. ß.
Ol. infuſ. Abſinth. q. ſ.
Leni igne colliquata redigantur in Ceratum, quod ſuper aluta ovata, inſtar linguae bubulae, extenſum D.

S. *Ceratum Spleneticum, hypochondrio ſiniſtro, in regione ſplenis applicandum.*

*

Emplaſtrum molle, Saponaceum, ad Tumores inveteratos. Fuller. Pharmac. Extemp. p. 94.

℞. *Sapon. commun.*
Mell. ana unc. iß.
Cereviſ. fort. annoſ. lib. ß.
Coq. leni calore ad conſiſtentiam Emplaſtri mollioris. D. ad fictile.

S. *Super linteo extenſum imponatur parti affectae, ac quotidie recentetur.*

*

Ceratum Pectorale ad Tuſſim.

℞. *Ol. Amygd. d.*
Cerae Citrin. ana unc. j.
Leni igne liquatis immitte
Spermat. Cet. dr. ij.

Li-

Liquefactis, ab igne remotis, ſub continua agitatione intere

Ol. Nuciſtae expreſſ. dr. j.
ſtill. Aniſi. gutt. IV.

Ut F. ſ. a. Ceratum ſuper charta caerulea extendendum. D.

S. Imponatur pectori.

De

Unguento.

431. UNGUENTUM eſt medicamentum externum, Cerato (425.) mollius, Mellis ferè aut Electarii (148.) conſiſtentia, calore liqueſcens, ex pinguibus maximè conſtans, quod externae corporis ſuperficiei vel illitum, vel vehiculi interventu applicatum, vires medicatas exſerit.

432. MATERIES in genere eadem hic eſt, qualis Emplaſtri vel Cerati (416. 426.)

433. DELECTUM quoque ſimiles (417.) limitant conditiones. Scilicet

α. In Unguento exigitur (1.) Conſiſtentia haud quidem diffluens, at ſequax tamen, etiam in frigore, mollis axungiae velut aemula. (2) Mollities lubrica, aſperitatis & tenacitatis expers. (3.) Homogenea ingredientium mixtio. Unde patet, quaenam huc apta materies, quae praeparatio. Conf. 417. α. β.).

β. Oleum (416. α. 1.), Pingue (ibid. 2.), Terebinthina (ibid. 3.), Cera (ibid. 4.), horumvè ana-

analoga (420. λ.), aptà quantitate colliquata, ſine accedente alio, in Unguentum abeunt: ut ideo nec hic Excipiendo (417. γ.) opus ſit, niſi id poſtulet indicatio.

γ. Cera, Pix, Reſina, Gummi-reſina, Emplaſtrum vel Ceratum officinale, & ſimilia (416. α. 4.), ſeorſim ſingula, aut plura ſimul, Oleo emollita, pariter Unguentum praebent, abſente licet materie (ibid. α. 2. 3. β.).

δ. Quin Axungia, Medulla, Butyrum, &c. (416. α. 2.), ſola etiam, absque vel liquidae vel durioris materiae (ibid. 1. 4.) acceſſu. Unguenti ferè dotes habent; aut, ſi paullo mollius id expetitur, quod in magiſtrali frequens, tantillo ſaltem egent Olei; ſi ſpiſſius, Cerae vel Pulveris pauxillo. Terebinthinae tamen tenacitas (ibid. 3.) diviſorem exigit Axungiam, Oleum, vel Vitellum Ovi, ut Unguentum legitimum fiat.

ε. Hinc nec Terebinthinae, nec Cerae, hic adeo creber uſus eſt, ac in Emplaſtro (417. δ.). Abſunt ſaepiſſime a magiſtrali. Minus etiam convenit Cera altùm penetraturo.

ζ. Si Liquida aquoſa (416. β. 1.) recipere ſuadet ſcopus, haec cum Oleo vel Pingui (416. α. 1. 2.) coquenda, ut aqueus diffletur humor: unde, quod (417. η.) dictum, & hic valet.

η. Longiore tamen tritu Aquoſa, praecipue Salina, cum Pinguibus quandoque in Unguentum rediguntur, abs-

absque coctura. Docet Roſaceum; docet Nutritum: ut conſtet, bina etiam Liquida, ſine evaporatione, ſic poſſe ſpiſſeſcere: ut minus id univerſale.

ϑ. Praeter Excipienda (416. β. 2.), aliquando & Pulpae & Electaria huc adhibentur cum Pingui glutinante permiſcenda. Quin tota alias Unguenti maſſa, Electario ſimilis, Oleo & Pinguibus caret: ut videre eſt in Aegyptiaco. Quare & Electaria officinalia, interno proprie deſtinata uſui, quando Unguenti inſtar extrinſecus adhibentur, aliquo jure ad hunc titulum pertinent; tametſi nec immerito ante inter Cataplasmata cruda retulerim (368. ε.).

ι. Pulveribus excipiendis (416. β. 3.) Oleum quandoque ſolum, aut Aceto junctum, ſufficit: quod maximè in Saturninis obtinet. Alias vero glutinans inſuper ſpiſſius (416. α. 2. 3. 4.) requiritur. In univerſum mollities lubrica Unguenti (α. 2.) exigit, ut pulveres tantum ſubtiliſſimi deligantur, aut menſtrua iisdem ſolvendis ac imbibendis apta una accedant (417. λ.).

κ. Draſtica, inflammantia, rodentia, cautus adhibueris, nec niſi probè fracta lenioribus; ne vel cutem, vel introvecta corpus univerſum, moleſtè afficiant.

λ, Quae mutandis interioribus dicantur, materie conſtent penetrare apta, nec nimis tenace (ε.).

μ. Hic & conſultius eſt, compoſitis uti officinalibus,

bus, uno, vel pluribus inter ſe junctis, ſolis, aut extemporaneâ aliorum mixtione ſcopo facilè aptandis; quum ſat numeroſa proſtent, quae tantum non omni indicationi ſatisfacere queant. Confer (417. o.).

ν. Caeterum quoque dicta (417. ϑ. ad o.) hic locum habent. Salium tamen ut frequentior, ita Calcium Foſſilium parcior, maximè in magiſtralibus, uſus eſt.

434. Ordo idem, qui in Emplaſtro (418.).

435. Dosis ex magnitudine partis inungendae ſcitur, alia non egens limitatione.

436. Quantitas Generalis eidem conditioni (435.), tum uſûs frequentiae & longitudini aptatur: unde ut unciâ quandoque minor, ſic alias librâ etiam major requiritur.

437. Proportio ingredientium mutua intelligitur ex (420. 427.), collatis ad (431. 433.). Nota autem.

α. Conſiſtentiam hic non adeo fixam eſſe, quin, pro vario ſcopo, ſpiſſior paullo aut mollior obtineat: prout & officinalia luſtranti patet. Mollia magis apta partibus teneris, tum & praeſtandae emollitioni, reſolutioni, penetrationi, frictioni, &c. Denſiora firmius inhaereſcunt, tardius abſorbentur, magis obſtipant, exſiccant, adſtringunt.

β. Triplicis eſſe conſiſtentiae materiem huc aptam (432.): Liquidam, Siccam, Mediam. Unde ut ingredientia magis minusve a ſpiſſitate Unguenti

(431.

(431. 433. α. 437. α.) diſtant, varianda eorum inter ſe proportio.

γ. Mollia (416. α. 2. 3.), quacunque fere proportione inter ſe miſta, in Unguentum coëunt. Si tamen nimiam metuis denſitatem, Olei q. ſ. adjunge. Terebinthina quid ob tenacitatem ſuam repoſcat ſingulare, vide (433. δ.).

δ. Olei unc. j. cum Cerae aut hujus analogorum (420. γ.) drach. ij. iij. idoneum Unguen conſtituit. His ſi Pulverem (416. β. 3.) addis, Ceram pro rata minue; ut hujus ſint drach. ij. illius drach. j. iß. aut quantitate Pulveris definitâ, Cerae q. ſ. adde, niſi ſcias, Pulverem cum Oleo ex ſe cogi in Unguentum poſſe (433. ι.): tum enim, Cerâ omiſſâ, augere Pulveris quantitatem ad drach. iij, quandoque iv, licet; maxime ſi e genere metallico petitus gravitate ſpecifica eminet: uti eſt Ceruſſa, Minium, Lithargyr. &c.

ε. Patet hinc, quid agendum, ubi dictis (δ.) Mollia (γ.) accedunt: manet quippe proportio illorum fere eadem, tanquam ſi haec abfuiſſent.

ζ. Si Nutritum paras ex Oleo & Aceto Plumbi (433. η.) aequalem fere utriusque quantitatem aut alterutrius q. ſ. cape: ſi ex Oleo, Aceto ſimplice, & Sale vel Calce Plumbi, priorum ana p. j, poſterioris p. ß, ſufficit.

η. Unguentum officinale ſi pro baſi eſt, ex addendorum conſiſtentia (β.) facile noveris, an & quali

quali opus conſtituente, cujus plerumque q. ſ. adſcribitur. Oleum denſitatem, Cera nimiam corrigit mollitiem.

ϑ. Denique huc etiam transfer, quae dicta (420. γ. ad λ.); quum & hic valeant. Analogia ſaltem Olei & Pinguium (416. α. 1. 2.) in Unguento minus videtur, quam in Emplaſtro, obtinere; quum ſpiſſior Pinguitudo ex ſe Unguenti conſiſtentiam habeat. (433. δ.).

438. Subscriptio, pro vario praeparationis modo varia vel ſimplicem praecipit mixtionem, ubi haud opus igne: vel paullatim confuſorum tritum diu protractum, ſi Pinguibus Aquoſa permiſceri debent (433. η. 437. ζ.); quae Nutritio vocatur, ipſumque Unguentum *Nutritum*: vel colliquationem; vel & coctionem: quarum quidem ſimilis ratio, ac in Emplaſtris (421. α.). Formulam claudit: *F. ſ. a. Unguentum* vel *Nutritum*, *D. ad Fictile.* Rarius ſuper linteo id aut alutâ, Emplaſtri inſtar (421. β.), extenditur: quod dum fit; marginem vehiculi, ad digiti latitudinem in ambitu, Emplaſtro tenaciore munire aliquando expedit; ut Unguentum & calore diffluxurum coërceatur, & in ſua ſede detineatur, niſi accedens ligatura id ſatis caveat.

439. Signatura, praeter utendi modum, nil habet ſingulare. Vel enim linteo aut corio inductum, carptisve, plumaceolis, turundis, putamine nucis juglandis, &c. exceptum Unguen parti applicatur aut immittitur, vel, quod frequentius, ca-

lidum,

lidum, frigidum, Balneo, Lotione, Frictione, quandoque praemiſſis, illinitur. Cetera, quae partium delectum, uſûs frequentiam, longitudinem, regimen, &c. ſpectant, indicatio in caſibus ſingularibus docet. Conf. (338. β. ε. ζ.). In Draſticis, Mercurialibus, Catharticis, &c. adhibendis cautos velim; ne applicatione crebriore aut longiore Ptyaliſmos, Hypercatharſes, aliave mala creënt.

440. Usus Unguenti Medicis, Chirurgis, frequentiſſimus, emolliendi, diſcutiendi, maturandi, detergendi, calefaciendi, roborandi, ſopiendi, demulcendi, acre corrigendi, &c. virtute pollens, non externas modo, ſed penetrabilitate, quam Emplaſtri aut Cerati, majore internas etiam partes afficit mutatque potentius: ut Mercurialia, Purgantia, Opiata, foris applicata, ſalivam, alvum movendo, compeſcendo, monſtrant. Intempeſtivus tamen, & materie minus apte ſelectâ, quandoque etiam nocet fibras laxando nimis, aut oſcula cutanea obſtruendo (423.), aut ſtimulando, aut validius afficiendo interiora (439.).

441. Specimina ſunto.

*

Unguentum ſimplex, Emolliens.

℞. *Ol. Amygdal.* unc. ij.
Cerae alb. unc. j.

Leni igne liquentur, ut F. Unguentum.

Poteſt id Unguentum pro baſi eſſe, cui admiſceantur alia, ut variis Medici indicationibus accommodetur.

*

Unguentum Pectorale, ad Tuſſim ex perfrigeratione ortam, pro Infante.

℞. *Emplaſtr. de Spermat. Cet.* unc. ß.
Cerat. e Cumino. dr. iij.
Ol. Nuc. Myriſtic. expreſſ. dr. ij.
Amygd. dulc. rec. unc. ij ß.
Leni calore colliquefactis F. ſ. a. Unguentum. D. ad fictile.

S. *Mane & veſpere pectus tantillo hujus Unguenti calidi inungatur ac leniter fricetur, tum charta caerulea contegatur.*

*

Unguentum Digeſtivum ad Contuſa, Attenuans, Antiſepticum. Vide H. Boerh. Mat. Med. p. 80.

℞. *Terebinth.* unc. ij.
Vitell. Ovor. n°. 1.
Exacte miſtis admiſce
Unguent. Baſilici. unc. ij.
Aloës purae. drach. iv.
F. ſ. a. Unguentum.

S. *Hujus tantillum plumaceolis exceptum imponetur loco contuſo, tegatur Emplaſtro de Galbano & Fomento, ibid. deſcriptis.*

*

Unguentum Anodynum, motum ſedans, Scirrho dolenti aptum. Ibid. p. 118.

℞. *Aceti Lithargyrii* unc. j.

Ol.

Ol. expreſſ. ſem. Hyoſcyami.
Papav. alb.
Roſar. infuſ. ana drach. ij.
F. ſ. a. Nutritum, cui ſub finem admiſce
Opii puri. gr. vj.

S. *Nutritum Pacans, quo leniter inungatur locus affectus, ac dein tegatur Emplaſtro ibid. deſcripto.*

*

Unguentum Purgans, Anthelminticum, pro Infante. Ibid. p. 249.

℞. *Fellis Taurini inſpiſſ.*
Aloës pur. ana drach. j.
Unguent. Althaeae. unc. j.
M.

S. *Hujus pauxillo inungatur ſubinde locus Umbilici: aut pars dimidia, juglandis nucis putamine excepta, eidem loco apponatur.* Cautelam hic neceſſariam vide ibidem.

*

Unguentum Laxans, Mitigans, Sopiens, ad Pleuritidem. Ibid. p. 169.

℞. *Unguent. Popul.*
Althaeae.
Nutrit. ana unc. j.
Camphor. dr. ij.
M. F. Unguentum

S. *Hoc calido latus dolens, ter de die, inungatur, ſuperponendo dein Fomentum, ante in Hiſtor. Epithematis liquidi p. 258. deſcriptum.*

*

Unguentum Mercuriale, ad ciendum Ptyaliſmum.

℞. *Argent. viv. pur.* unc. j.
Balſ. Sulphur. ſimplic. ſcrup. j.
Accurate ſubactis, dum Argentum vivum diſpareat, admiſce
Unguent. Roſac. unc. ij.
Ut F. ſ. a. Unguentum. D.

S. *Corpore rite praeparato, pedes ad ſuras usque cum drachmis* ij. *hujus Unguenti ante focum perfricentur primo die; altero inde a ſuris ad media crura fiat frictio; tertio a mediis cruribus ad inguina usque & ultra nates.* De neceſſario regimine conſulatur J. ASTRUC *de Morbis Venereis* libr. IV. cap. VII.

*

Unguentum Ophthalmicum, a Celeberrimo Medico H. SLOANE nuper publicatum.

℞. *Tutiae praepar.* unc. j.
Lap. Haematit. praepar. ſcrup. ij.
Aloës lucid. praepar. gr. XII.
Margarit. praepar. gr. IV.
Pingued. Viperin. genuin. q. ſ.
Terantur curioſe ſuper porphyrite, ac ſubigantur ad impalpabilem usque pulverum ſubtilitatem, ut F. Unguentum molle. D.

S. *Tantillum hujus Unguenti cum penicillo pictorum oculo affecto adfricetur, clauſisque mox palpebris aliquamdiu retineatur mane & veſpere.*

Un-

*

Unguentum Emplaſtrodes, Roborans, Calefaciens, Stomachicum, ad Nauſeam vel Vomitum, a turbis Nervei ſyſtematis ortum.

℞. *Cerat. Stomach. Galen.*
Theriac. Andromach. ana drach. vj.
Ol. Nuc. Myriſt. expreſſ. drach. j.
Balſ. Peruvian. drach. ß.

M. F. ſ. a. Unguentum: illinatur alutae ſcutiformi, cujus margo ad digiti latitudinem obducta ſit *Emplaſtro Mucagin.* aut *Meliloti.*

S. *Scutum Stomachicum, quod regioni ventriculi applicetur.*

Nota. I. *Ex hac* Unguentorum *hiſtoria intelligitur quoque* Unguenti Potabilis *ſeu* Balsami Vulnerarii interni *confectio; maxime ſi conferantur hiſtoriae* Boli (137.), Electarii (148.), & Pilulae (170.). *Utendi certe modus idem eſt, ac iſtarum formularum: quamquam haec* Balſama *etiam, inſtar Unguentorum, externo uſui adhibentur. In eorumdem compoſitione abſtinendum a materie horridiore, quam aegre deglutire liceat. Ceterum rariſſime magiſtraliter parantur; conſulenda ergo Diſpenſatoria.*

Nota II. Balsama Vulneraria Externa *itidem nihil admodum ab* Unguentis *diſcrepant, neque hinc ſingularem titulum merentur. Multa quidem Unguentis liquidiora ſunt: quod tamen haud ita perpetuum eſt, quin dentur & ſpiſſiora, quae vel Ceratis accedant. Pro exemplo eſſe poteſt* Balſamum Arcaei, *ubique in*

 phar-

pharmacopoliis proſtans, aut, quod ſequitur, ex illo compoſitum.

Balſamum Vulnerarium externum, contuſis, vulneratis, excoriatis, diſtortis, enervatis partibus utile.

℞. *Balſam. Arcaei.* unc. ij.
Peruv.
Liquor. Myrrh. ana unc. ß.
Pulv. Santal. rubr. dr. ij.
M. F. Balſamum.

S. *Balſamum Polychreſtum, quod partibus affectis infricetur, aut linteo vel filis carptis inductum ſuperdetur.*

De

Balſamo Odorato.

442. Balsamum Odoratum eſt Unguenti (431.) ſpecies, ex olidioribus ſpiſſiore pingui exceptis conſtans, inunctioni ſerviens, tenuiſſimo odoris principio praeprimis actuoſa. Parum hinc ab Unguento differt. Balſami titulo tam multa, tamque diverſa in diſpenſatoriis hodie veniunt, ut vix alia detur vox in arte pharmaceutica, cujus ſignificatio magis aequivoca ſit. Certe difficillimum eſt, in omnibus & ſingulis, quae vocant, Balſamis communes aliquas dotes invenire, quibus inter ſeſe univerſe conveniant, & a quibusvis aliis diſparis nominis remediis diſtinguantur. Ne quid de Balſamis nativis dicam, quae hujus non ſunt loci, ſi arte-

artefactorum materiem, conſiſtentiam, parandi modos, &c. ſpectes, quantopere differunt inter ſe plurima! Triplex eorum genus numeratur: primum Stillatitiorum; alterum Unguentariorum; tertium Odoratorum. Stillatitiorum vero tanta eſt diverſitas; ut vix ad unum genus referri poſſint: alias enim ſunt meraca Olea, violento igne extorta, ambuſta, hinc ſpiſſiora, & ob eam modo cauſam Balſama dicta: alias ſunt Olea aromatica, quae Eſſentialia vocant, ope digeſtionis vel deſtillationis inter ſe juncta, aut Spiritibus ardentibus, puris, ſoluta & concorporata; quae poſteriora potiore jure ad Quintas Eſſentias liquidas pertinent: alias iidem ſpiritus vi aromatum medicata, interventu deſtillationis imbuti, Balſama audiunt, verius Spirituum aromaticorum nomine donandi. Unguentaria, de quibus articulo praecedente dictum, & Odorata non admodum inter ſe diſcrepant: ſed ab Unguentis etiam vix diſtinguuntur. Neque his exhauſta eſt Balſamorum claſſis. Supereſt quartum genus, a prioribus diverſum, quod ex Oleis conſtat ſoluto Sulphure, Succino, Sale Saturni, & ſimilibus, impraegnatis ac plus minusve denſatis. Itaque liquere exiſtimo, quam ob rem univerſam Balſamorum hiſtoriam generali titulo non exponam. Accedit, quod eorum plurima in officinis parata ad uſum proſtent, raroque aut nunquam magiſtraliter praeſtituantur. Et vel Odorata quoque Balſama, ob magnam cum Unguentis affinitatem, ſingularem articulum non meruiſſent, niſi peculiaria quaedam ſibi vendicarent, quae ex Unguentorum hiſtoria non plene intelligi queant.

443. Materies eadem ferè, quae (432.), at limitatior, *Excipit* vel *Excipitur.*

α. Excipiens vel (1.) *Primaria* eſt pinguis, ſpiſſa: ut Oleum Nucis Myriſt. expreſſum, Pinguedo inodora, alba, v. g. Porci, &c. Medulla crurum Vituli, Butyrum, Cera, Unguentum officinale, Pomatum, Roſatum, Nervinum, &c. Balſamum Odoratum officinale, Manna; aliquando & Gummi reſinae. Vel (2.) *Secundaria* oleoſa, liquida: ut Oleum vilius preſſum, infuſum, coctum, aut & Balſamum nativum, liquidum, Peruvian. v. g. Copaib. &c.

β. Excipienda itidem vel eſt (1.) *Primaria*, quae virtutem reſpicit. Quo referuntur liquida: ut Olea aromatica, ſtillatitia, preſſa, Balſama liquida, nativa, artefacta, Eſſentiae, Spiritus, Sal volatile oleoſum, &c. Aut ſpiſſa tenacia: ut Extracta & Electaria generoſiora; Opii, Croci, Theriaca, Gummi-reſinae, Opium ipſum, Moſchus, Zibethum, & ſimilia. Aut ſicca: Aromata v. g. Crocus, Cinnamom. Caryophyll. Benzoë, Caſtoreum, Ambarum, Succinum, hujus Sal, &c. Vel (2.) *Secundaria*, quae colorem conciliat. Quo adhibentur Pulveres tenuiſſimi, Magiſteria alumine excuſſa, Pigmenta varia, Smaltum, Coccionella, Curcuma, Ambra, Aſphaltum, Cinnabaris, Succus Rhamni cathartici, Santalum rubrum, Grana Chermes, Ochra, Bolus Armen. &c.

444. Delectum docet, praeter dotes (433. *α.*) hic etiam expetitas, ſcopus: qui cum in eo ſitus ſit, ut halitu penetrante mutatio requiſita fiat (442.), odo-

odoris hic potiſſimum ratio habenda; ne is vel noceat, vel alienis corrumpatur, enervetur. Coloris cura, minus quidem neceſſaria, at uſitata tamen, hinc nec prorſus negligenda. Unde

α. Excipiens Primarium (443. α. 1.) eligitur inodorum, albiſſimum; ne excipiendorum odores vel colores mutet. Nuciſtae Oleum preſſum, ope Spiritus Vini colore & odore privatum, frequentiſſimi hic uſus eſt; ut ideo & *Corpus pro Balſamo* vocari ſoleat. Cetera pinguia (ibid.), ne rancida ſint, cavendum: unde & recentiſſimis, & quandoque aquâ idonea prius lotis, opus. Nec ferè, niſi Cera virginea, alba, hic adhibetur.

β. Eſt tamen, ubi & olidum praefertur excipiens, ſi tale id eſt, quod excipiendae materiae vim augere queat: ut ſunt Unguenta & Balſama officinalia, Oleum Nuciſtae crudum, Gummi-reſinae, &c. Horum tunc ea ſeligenda, quae ſcopo reſpondeant. Coloris correctio facilis per (443. β. 2.)

γ. Cera ſola rarius excipit; quum vix niſi plure oleo ſatis molleſcat. Crebrius cogendis tantum pinguibus mollioribus (ibid. α. 1.) reſtricta quantitate inſervit.

δ. Excipiente ſecundario (ibid. α. 2.) haud ubique opus: maſſae juſtò major ſpiſſitas id modo exigit. Eligitur autem vel odoris expers, vel reliquis virtute congruens.

ε. Excipienda primaria (ibid. β. 1.) requiruntur ſcopo apta (442. 444.), inter ſe convenientia, par-

vâ mole efficacia, tum excipienti aequabiliter miſcibilia. Quare eorum maximè, quae Spiritu Rectore gaudent agiliore, & vel oleoſae ſunt naturae vel oleo facile nubunt, frequens hic uſus. Olea infuſa, cocta, vix niſi fine dicto (δ.), huc accedunt. Sicca, ſi quae adhibentur, minus ſolubilia, tenuiſſimum in pulverem redigere expedit.

ζ. Nec tamen ſola locum hic habent ſuaveolentia: habent & foetida quandoque, ut ex recenſitis (443. β.) patet. Unde Moſcho, Zibetho, Ambaro, haud ubique opus: imò ſatius ſaepe iſthaec omittuntur, injucunda quippe plurimis, aliis & nociva. Confer (85. 100.).

η. Pigmenta (443. β. 2.) ferè accommodantur colori baſis, a qua nomen Balſami, vel ideae virtutis, quam id exſeret, aut morbi, cui opponitur. Hinc Balſamo Rutae v. g. viridis, Succini flavus, Roſarum ruber, Cardiaco laetus, Ant-apoplectico, Ant-epileptico triſtis, aquilus, niger, conciliatur color. At neque hoc fuco ſemper opus.

θ. Cave autem, ne Pigmentis utaris acribus, litu nocituris. Pulvis aut Magiſterium ejusdem corporis, e quo petita eſt baſis, plerumque commodum praebent. Tale cum deeſt, aliorum (443. β. 2.) copia ſuppetit.

ι. Hic quoque Balſama officinalia, ſi quae proſtant ſcopo idonea, vel ſola, vel acceſſu aliorum magis aptata adhibendo, operoſa compoſitione ſuperſedere licet, ut (417. ι.).

κ. Nu-

κ. Numerus ingredientium, uti (417. π.), laudatur.

445. Ordo, qualis in Emplaſtro (418.).

446. Dosis hic parcior, nunquam certò limitata, numerum & magnitudinem partium ungendarum ſequitur.

447. Quantitas Generalis, ob doſis (446.) parvitatem, rariſſimè unciâ iß. major, ſaepius drachmas aliquot ſaltem aequat, pro varietate conditionum (436. 446.): imò vel minor etiam praeſcribi poteſt, ſi officinale compoſitum adhibetur (444. ι.).

448. Proportio mutua ingredientium ex (437.) facile intelligitur; modò & excipientium & excipiendorum, tum Balſami conficiendi, nota ſit conſiſtentia. Scito hinc

α. Unguento (431. 433. α.) plerumque paullò ſpiſſius eſſe Balſamum; quandoque tamen & illi ſimile; imò vel liquidius etiam; ut Linimento propius videatur. Diutius aſſervanda, in perâ circumgeſtanda, deliciis inſervitura &c. fere duriora fiunt: in iis, quorum affrictu promptiſſima requiritur actio, tenuitas major amatur.

β. Excipientis ideo & excipiendae materiae Proportionem haud conſtantem obtinere; uſitatius tamen ita figi, ut ſint v. g.

Corporis pro Balſamo (444. α.) unc. j,

Excipiendi *primarii* (ibid. β. 1.) { Liquidi. dr. j-iij. / Spiſſi & Sicci. dr. ß-ij.

ſecundar. (ibid. 2.) quantum ſufficit.

γ. Pa-

γ. Patet hinc, ſi excipiens Oleo Nuciſtae fuerit mollius, minuendam eſſe pro rata liquidi, augendam ſpiſſi vel ſicci excipiendi quantitatem; niſi forte liquidius volueris Balſamum (*α*.).

δ. Solet etiam Cerae drachma mollioris excipientis v. g. Axungiae aut Unguenti unciae addi (444. *γ*.), ut obtineatur conſiſtentia Corporis pro Balſamo (*β*.) aemula, manente tunc eadem excipiendorum Proportione (ibid.).

ε. Cera ſola ſi excipit (444. *γ*.), duplo liquidi oleoſi opus eſt, ut rite emolliatur. Si vero & ſicca materies inſuper accedit, haec pro Cerâ habenda. Unde tum excipiens ſecundarium (443. *α*. 444. *δ*.) praecipuè ex uſu eſt; ne pretioſiorum aut acriorum copia major requiratur. Ejus ergo q. ſ. addi poteſt.

ζ. Ex Balſamis officinalibus ſolis (444. *ι*.) ſi componis, reſpectu conſiſtentiae Proportio qualiscunque valet. Scopus ergo ſolus limites tunc ponit. Si vèro his alia etiam miſces, ex hactenus (*α*. ad *ζ*.) dictis facile videris, qua Proportione utendum, aut quod conſtituens adhibendum, ubi majoris minorisve ſpiſſitatis metus eſt. Confer (437. *η*.)

η. Saepiſſime autem ſolâ excipiendae materiae quantitate determinatâ, excipientis modò q. ſ. adſcribitur, aut duorum excipientium alterutrum ſaltem certo pondere praeſtituitur. Imò quandoque, excipientis pondere definito, excipiendi quantitas arbitrio relinquitur pharmacopoei.

θ. Ce-

9. Ceterum conferantur dicta (420. 437.).

449. Subscriptio eſt: *F. ſ. a. Balſamum. D. in pyxide ſtannea, plumbea, eburneâ, ligneâ,* vel *fictili.* Aliquando cavo valvae putaminis nucis júglandis indendum iubetur, ut Umbilico imponi queat. Conficiendi modus plerumque pharmacopoei creditur dexteritati.

450. Signatura, praeter nomen a baſi aut virtute petitum (444. r.), utendi modum quoque memorat, qui, ſimilis ferè Unguentorum (439.), illitu plerumque aut infrictione conſtat. Rarius Balſamum, vehiculo exceptum, parti tantum imponitur (439.). Loca ſenſiliora, aut nudioribus majoribusque perreptata vaſis, Nares v. g. Tempora, Vertex, Carpi, Praecordia, &c. utplurimum apta cenſentur, quibus hoc medicamen admoveatur.

451. Usus rarior, ſaepe ad delicias ſaltem deſtinatus, quandoque tamen & Nervorum affectibus, Epilepſiae, Apoplexiae, Vertigini, Leipothymiae, Spasmis Hyſtericis, Hypochondriacis, Doloribus, Flatibus, &c. ſtimulando, ſopiendo, motum mutando, aliâve virtute ſingulari agendo, opem fert. Suadet autem & hic prudentiam mira principii odoriferi agilitas, & minus aliquando a priori cognoſcenda actio in corporis noſtri ſubtiliſſima. Confer. (66. r.).

452. Specimina ſunto.

Bal-

*

Balſamum fragans, Cardiacum.

℞. *Corp. pro Balſ.* unc. ß.
Ol. ſtillat. Cinnam. ver. ſcrup. j.
Balſ. Peruvian. ſcrup. ß.
Ambar. griſ. gr. ij.
Moſch. Orient. gr. j.
Bol. Armen. q. ſ.
M. F. ſ. a. Balſamum.

S. *Balſamum Cinnamomi, naribus, carpis, &c. infricandum.* Ambaro & Moſcho *excluſis idem fieri poteſt univerſalius.*

*

Balſamum mollius, Excitans, Antapoplecticum
Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 190.

℞. *Ol. ſtillat. Roriſmar.*
Tanacet.
Lavand.
Rutae.
Abſinth. ana gutt. iv.
infuſ. Caſtor. drach. j.
Unguent. Nervin. unc. j.
Sal. volat. oleoſ. drach. j.
M. F. ſ. a. Balſamus.

S. *Pro ſuffitu ſub naribus & circa tempora affricetur.*

*

Balſamum Succini, Anticatarrhale.

℞. *Olei Nuciſt. expreſſ.* drach. ij.
ſtillat. Succin. alb. drach. j.

Sal.

Sal. Succin. volat. ſcrup. j.
Cerae flavae q. ſ.
Colliquatis, cum *Rad. Curcum. pulv.* q. ſ. tinctis, F. ſ. a. Balſamum.

S. *Balſamum Cephalicum, vertici, temporibus, pone aures affricandum.*

*

Aliud Antiſpaſmodicum ad Convulſiones infantum.

℞. *Ol. nuc. Myriſt. expr.* dr. ij.
Still. Rutae dr. ß.
Lavand.
Succin. alb. ana ſcr. j.
M. F. ſ. a. Balſamum.

S. *Parum allinatur naribus, temporibus, carpis, idemque quavis hora repetatur, donec convulſivi motus deſinant.*

*

Balſamum Hyſtericum.

℞. *Sev. Hircin.* unc. ß.
Galban. pur. drach. j.
Aſ. foetidae.
Caſtorei. ana ſcrup. j.
Ol. ſtillat. Succin.
Corn. Cerv. rectif. ana gutt. xxv.
Sal. volat. Corn. Cerv. ſcrup. ß.
Ol. infuſ. Rutae. q. ſ.
Ut F. ſ. a. Balſamus.

S. *In languore aut paroxysmo illinatur naribus, temporibus,* &c.

Bal-

*

Balſamum Carminans, Stomachicum, Calefaciens.

℞. *Balſam. Caryophyll. arom.*
Theriac. Andromach. ana drach. iij.
Ol. ſtillat. Macis. ſcrup. j.
Cerae alb. q. ſ.
Ut F. ſ. a. Balſamum.

S. Ut in fronte. *Illinatur regioni epigaſtricae & umbilico: tum operculum figulinum probè calidum, aut Scutum Stomachicum, admoveatur.*

*

Balſamum Suaveolens, ad delicias.

℞. *Unguent. Pomat.* unc. j.
Cerae albiſſ. drach. j.
Ol. ſtillat. cort. Citri. drach. ß.
Aurant.
Meliſſae. ana gutt. xij.
Cinnam. gutt. vj.
Ochrae vel *Rad. Curcum. pulver.* q. ſ.
Ut F. ſ. a. Balſamum.

S. *Balſamum Citri. Sit pro Odoramento. Eo & capilli inungi poſſunt, aut his pectendis adhiberi pecten eo imbutus.*

De Linimento.

453. LINIMENTUM *Litus*, eſt Unguentum (431,) mollius, mediae ferè inter Oleum & Unguentum ſpiſſitatis, illitu efficax. Unde vix, niſi conſiſtentiâ, ab Unguento diſcrepat; & ne hac quidem ſemper: uti mox patebit.

454.

454. Materie id in genere eâdem gaudet, qua Emplaſtrum, Ceratum, Unguentum, Balſamum (416. 426. 432. 443.).

455. Delectus tamen ex parte alius eſt, ob conſiſtentiae diverſitatem (453.). Nam

α. Mollities quidem lubrica, & mixtio aequabilis, ſimiliter hic, ut in Unguento (433. α. 2. 3.), exiguntur: at ſpiſſitatis adeo vagi ſunt limites; ut non modo medii omnes inter Oleum & Unguentum gradus, ſed vel ipſa etiam Olei tenuitas, denſitasve Unguenti, quandoque in Litu admittantur. Nec enim hodieque obtinet conſtituta olim inter Linimentum & Inunctionem diſcrepantia, qua liquor ex meris Oleis compoſitus dicebatur Inunctio; Linimentum vero, ſi Cera, Pinguedine, aut Pulverulentis admixtis, idem redderetur ſpiſſior.

β. Hinc ſola nonnunquam Olea preſſa, infuſa, cocta, ſtillatitia, materiem praebent, ſpiſſiore nullo accedente.

γ. Alias & Oleis tantum permiſcentur Liquida Aquoſa, Salina, Spirituoſa (416. β. 1.), diuturno tritu, aut coctione aquam diſſipante, conjungenda.

δ. Quin ex ſola etiam materie ſpiſſâ, unguentiformi (416. α. 2.), v. g. Pinguedinibus, Unguentis officinalibus, &c. inter ſe miſtis, absque acceſſu liquidi, quandoque paratur Litus, vero Unguento ſimilis.

ε. Frequentius tamen ex materie (δ.) & Oleis majorem dantibus mollitiem.

ζ. Sed & Olea cum materie ſolidiore (416. α. 4. β. 2.) in Litum abeunt.

η. Pulvis etiam (416. β. 3.) Oleo ſoli, aut cum aliis liquidis remixto (γ.), tritu vel coctione junctus, nonnunquam loco Linimenti eſt.

ϑ. Unde patet formulae molem amanti, ex liquidis (416. α. 1. β. 1.), ſpiſſis (ibid. α. 2. 3. β. 2.), ſiccis (ibid. α. 4. β. 3.), juſta inter ſe proportione junctis, enaſci Litum poſſe: quanquam concinna brevitas & hic laudatur (31.).

ι. Intermedio ſapone aliquando opus eſt, ubi Oleis Aquea tritu miſceri debent; ne mora divortium creët: quod tanto certius metuendum, quo Litus fuerit fluidior. Vitellus Ovi, Mel, Sapo, Alcali, Fel, &c. eo conferunt.

κ. Tandem & dicta (433. ε. ad ν.) huc transferri velim.

456. Ordo ſimilis, ac in Emplaſtro (418.), hic laudatur.

457. Dosis & Quantitas Generalis eaedem ſunt, quae Unguenti (435. 436.). Quum tamen facilis ſaepe ſit Linimenti ſolam per mixtionem praeparatio, majorque tenuitas vel ſeceſſum ingredientium, vel virtutis diſſipationem, faciat promptiorem, parcior plerumque ſimul praeſtituitur quantitas, vix unc. iij. vel iv. excedens.

458. Proportio mutua ingredientium, ob conſiſtentiae varietatem (455. α.), admodum vaga eſt; ut ideo ſola ſaepe materiae virtus limites hic ponat. Nota hinc, α. Vix

α. Vix peccari poſſe exceſſu tenuitatis; at omnino ſpiſſitatis; quippe quâ nimiâ & illitus & penetratio redditur difficilior.

β. Si Olea ſola materiem praebent (455. β.); conſiſtentia qualemcunque admittit Proportionem. Vide tamen, ne acria, inflammantia, nimis dominentur: unde haec fere triplo aut quadruplo blandiorum mitigare expedit.

γ. Si Oleis alia jungis Liquida tritu permiſcenda (455. γ.), juxta regulam (437. ζ.) procedere licet; niſi cum ſpirituoſa fuerint, aut acriora, ſalina, &c. His parcius quandoque utendum; ne laedant minus diluta. Unde triplo aut quadruplo mitioris Olei fere temperantur.

δ. Si Oleis Aquea miſces coctione diſſlanda, idem obtinet, quod (420. ε.) dictum.

ε. Si materie mediae conſiſtentiae, ſolâ (455. δ.), uteris, perinde eſt, ac (β.). At ſcito alia aliis denſiora eſſe; ut caveas nimiam ſpiſſitatem (α).

ζ. Si, juxta (455. ε.), materiae mediae drach. ij. iij. iv. ut varie denſa eſt, admiſces Olei unc. j, Litum mediocris conſiſtentiae (453.) habebis.

η. Similis acquiritur ex Olei unc. j. & materiae ſolidioris drach. j. (455. ζ.): quod ipſum & circa ſpeciem (ibid. η.) obtinet.

θ. Olei demum unc. j. materiae mediae drach. ij. ſiccae drach. ß. dabunt exemplum compoſitionis (455. θ.).

ι. Ceterum repete dicta (420. 437. 448.), quorum plurima & hic valent. Adde (445. α.).

459. SUBSCRIPTIO, nomine mutato (453.), ratione modi praeparandi eadem eſt, quae Unguenti (438.). Quandoque, loco fictilis, in vitro datur Litus, ubi tenuior is eſt, aut virtute volatili gaudet. Extenſio ſuper vehiculo hic vix obtinet; pharmacopoeo ſaltem haud committitur.

460. SIGNATURA itidem ex (439.) patet. Applicatio ferè ſemper illitu perficitur, accedente quandoque frictione. Si veſica Linimento humectata parti apponitur, Epithema id potius dixero (330.).

461. USUS ſimilis Unguenti (440.); quin promptior etiam penetratio.

462. SPECIMINA ſunto.

*

Litus Balſamicus, Anodynus, ad Papillarum dolores a fiſſuris &c. Vid. H. Boerh. Mat. Med p. 238.

℞. *Ol. Amygdal. dulc.*
infuſ. Hyperici.
Violar.
Roſar. ana unc. ß.
Balſ. Peruv. dr. ß.
M. F. Linimentum. D. in vitro.
S. *Hujus tantillo ſubinde oblinatur pars affecta.*

*

Linimentum Stomachicum, Carminans, Calefaciens. ℞. *Ol.*

℞. *Ol. infuſ. Abſinth.*
Crocin. ana unc. ß.
ſtillat. Menth. drach. j.
Caryophyll. gutt. x.
Balſ. Peruvian. ſcrup. j.
M. F. Linimentum. D. in vitro.
S. *Serviat pro inunctione regionis Ventriculi & Umbilici, aut univerſi Ventris.*

*

Litus Leniens, Emolliens, in Dentitione difficili.
℞. *Mucilagin. ſem. Cydonior. cum Aq. Roſar. extract.*
Ol. Amygd. dulc. rec. preſſ.
Vitell. Ovor. ana unc. ß.
Exactè miſtis F. Linimentum D. ad fictile.
S. *Gingivae dolentes eo ſubinde demulceantur.*

*

Linimentum Purgans, Antihelminticum, pro Infante. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 248.
℞. *Unguent. Agripp.*
Arthanit. ana unc. j.
M. F. Linimentum.
S. *Hujus pauxillo inungatur ſubinde locus Umbilici.*

*

Linimentum Emmenagogum. Ad exemplum. Ibid. p. 231.
℞. *Sagapen.* unc. ß.
Axung. Caſtor. drach. ij.

Cum *Ol. infuſ. Rut.* q. ſ. diſſolutis admiſce
Ol. ſtillat. Sabin. drach. ij.
bacc. Juniper. drach. j.
M. F. Linimentum.
S. *Umbilico, Pubi, Inguinibus illinatur mane & veſperi.*

*

Linimentum Antiparalyticum. Ibid. p. 192.
℞. *Sapon. Venet.* unc. j.
Camphor. drach. ij.
Spirit. Vin. rectif. q. ſ.
Diſſolutis admiſce
Ol. Irini unc. ß.
ſtillat. Succin. drach. iß.
Spir. Sal. Ammon. unc. ß.
Ung. Nervin. q. ſ.
Ut F. Linimentum mediae conſiſtentiae.
S. *Partes affectae, prius pannis aſperis, ſiccis, calidis, frictae, aut balneo appropriato, vel vapore, rubefactae, dein hoc Litu perfricentur bis de die.*

*

Litus Antipleuriticus, Mitificans, Reſolvens. Ibid. p. 169.
℞. *Sacch. Saturn.* unc. ß.
Aceti drach. vj.
Ol. Roſac. infuſ. unc. j.
M. F. Nutritum.
S. *Hoc calido inungatur latus affectum ter de die. Si Camphorae* dr. j. additur, tanto efficacior erit.

Alius

*

Alius Emolliens Sydenhami.

℞. *Ol. Almygd. dulc.*
Lilior. infuſ.
Ung. Dialthaeae ana unc. j.
M. F. Linimentum.

S. Ut praeced. *Illito loco ſuperponatur folium Braſſicae.*

*

Linimentum Balſamicum, Demulcens, ad Intertriginem.

℞. *Ol. infuſ. Roſar.*
expreſſ. Amygd. d. ana unc. ß.
Ung. Nutrit. ſ. corp. drach. iij.
Rad. Irid. Flor. pulv. ſcrup. ij.
Cerae alb. drach. ß.
M. F. Linimentum.

S. *Eo oblinantur partes affectae, prius deterſae.*

*

Litus Nervinus, Attrahens, Diſſipans, Calfaciens.

℞. *Ol. Amygd. d.* unc. j.
Spirit. Sal. Ammoniac. dr. ij.
Agitentur ſimul in phiala patuli oris, dum aequabiliter coëant. D.

S. *Linimentum Volatile, quod partibus affectis infricetur.*

*

Litus ad Tineam. Fuller Pharmac. Extempor. p. 342.

℞. *Axung. Porc.*
Picis liquid.
Cereviſ. fort. annoſ. ana unc. ij.

Agitentur ſimul ad perfectam usque mixtionem. D.

S. *Oblinatur ac purgetur eo pars laborans, bis de die.*

*

Litus Refrigerans, Repellens, Demulcens ad Ambuſta & Eryſipelas. Ibid. p. 332.

℞. *Aq. Calc. viv.* unc. j.
Ol. Roſar. unc. i ß.
Sacch. Saturn. dr. i ß.

Terendo accurate miſta exhibe.

S. *Eo non calefacto pars aegra quovis trihorio oblinatur.*

De Epiſpaſticis.

463. EPISPASTICA, *Attrahentia*, ſi Pice, ut baſi, conſtant, *Dropaces*; ſi Sinapi recipiunt, Veteribus *Sinapismi;* ſi ruborem modo inducunt, *Phoenigmi*, *Rubefacientia;* ſi & veſicas excitant, *Veſicatoria* dicta, cum uſus ſint frequentiſſimi, & ad remedia externa communia (304.) pertineant, paucis hoc loco commemoranda veniunt; ut ſaltem conſtet, materie magis, quam forma, ab aliis diſcrepare, & quibusnam maxime formis gaudeant. Sunt igi-

igitur vel Cataplasmata Cruda (366. 375.), vel Emplaſtra (415. 423.), vel Cerata (425.), vel Unguenta (431.).

464. Quamobrem eorum praeſcriptio ex hiſtoriis (loc. cit.) intelligitur. Materiem dictat titulus Stimulantium in Materie Medica. Uſum exponit indicationum doctrina: ut ideo pluribus hic non opus ſit (7. α. β. 8.).

465. Specimina ideam dabunt pleniorem.

*

Dropax ad Membrum Paralyticum. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 192.

℞. *Picis* unc. ij.
Galban. pur. unc. j.
Piperis tenuiter contuſ. drach. iij.
Caſtorei. drach. j.
Ol. Irini. q. ſ.

Ut F. ſ. a. Emplaſtrum ad alutam.

S. *Parti affectae, prius frictae, apponatur calidum; priusquam refrixit, iterum ſubito avellatur: quod repetendum, donec pars rubeat, tumeat, caleat.*

*

Paſta Rubefaciens, Antifebrilis. Ibid. p. 150.

℞. *Summit. Rutae virid.* unc. ij.
Semin. Sinapis. drach. ij.

Contuſa exhibe ad Epicarpia.

S. *Applicentur Carpis ad Pulſuum loca, aliquot horis ante ingruentem paroxyſmum.*

*

Sinapismus Cataplasmodes. Ibid. p. 260.

℞. *Fermenti acidi Panis.* unc. vj.
Rutae. m. j.
Semin. Sinapis contuſ. drach. vj.
Salis.
Aceti. ana unc. ß.
M.

S. *Applica ad cava Pedum & Poplitum noctes atque dies.*

*

Phoenigmus Emplaſtrodes. Ibid. p. 260.

℞. *Emplaſtr. de Melilot.*
Galbani.
Sagapeni. ana unc. j.
M. Extende ſuper duabus alutis ovatis.

S. *Applicentur cavis Pedum.*

*

Sinapismus fortior Veterum, Veſicatorius.

℞. *Ficuum ſiccar. in aqua tepida macerat. contuſar.* part. j.
Semin. Sinapi ſeorſim tenuiſſime contuſ. part. ij. vel. iij.
Accuratè miſtis F. Paſta.

S. *Applicetur loco indicato, donec veſica enata ſit.*

*

Veſicatorium Cataplasmodes. Vid. Ibid. p. 46.

℞. *Cantharid. contritar. in pulv. tenuem.* drach. ij.

Accu-

Accuratè miſceantur cum
Fermenti Panis, pauxillo cum Aceto ſubacti. drach. vj.
D.

S. *Applica ſpatio* xij. *horarum, vel donec Epidermis maniſeſtò in veſicam elata ſit.*

*

Emplaſtrum Veſicatorium.

℞. *Empl. de Mucilagin.* unc. j.
Cantharid. tenuiter pulveris. drach. ij.
Terebinth. Ven. q. ſ.

Accuratè miſta extende ſuper alutis orbiculatis. D.

S. *Applicentur ſub utroque Poplite, aut alibi, ut indicatio fert.*

*

Aliud Fortius.

℞. *Emplaſtr. de Mucilag.* unc. j.
Cantharid. unc. ß.
Acet. Vin. dr. ij.

Emplaſtro liquato, paulo antequam frigore rurſus dureſcat, immiſce Cantharides in pulverem ſubtiliſſimum redactas; deinde Acetum adde, & bene ſubacta ſuo ſuper vehiculo extende.

S. Ut prius.

*

Unguentum Veſicatorium.

℞. *Axung. Porc. pur.*

Empl.

Empl. Veſicator. modo deſcript. ana q. ſ.
Leniſſimo igne ſimul liquefacta jugiter move, dum penitus frigeſcant. D.
S. *Poteſt ad alutam aut pannum lineum extendi ac parti ſuperdari, aut & infricari pro lubitu.*

De Fricio.

466. FRICIUM vel *Fricatorium* voco medicamentum, quod ſuperficiei corporis externae, molli, perfricandae dicatur.

467. Triplex id eſt ratione conſiſtentiae: *Siccum*; *Molle*; *Liquidum*. Prius, fumi ſpecie, adhibetur frictioni ſiccae: poſteriora humidae.

468. MATERIES & FORMA intelligitur ex (282. 293. 379. 403. 431. 442. 453.): Mixturae enim Mediae, Contractae, Lotiones, Suffitus, Unguenta, Balſama, Linimenta, huic ſcopo ſerviunt.

469. USUS ſummus, Veteribus laudatiſſimus, nec hodie contemnendus, haud latet eum, qui novit, quantum frictio introvehendis ac in actum deducendis conferat remediis.

470. SPECIMINA paſſim dedi locis ſupra (468.) citatis. Unum addo

*

Fricium, Mixturae mediae formâ, Antiparalyticum. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 192.
℞. *Sp. Lavandulae.* unc. iij.

Sal.

Sal. Ammon. drach. ij.
Tinctur. Caſtorei. drach. iv.
Aq. ſtillat. Lavand. unc. vj.
M.

S. *Perfricentur hac cum Miſturâ partes.*

De

Formulis Externis Propriis.

471. Superſediſſem de his ſcribere; quum re ipſa ab hactenus expoſitis non diverſae ſint, ſed eaedem, partibus modò ſingularibus adaptatae (304.), ac peculiari hinc nomine donatae. Ut tamen hoc ipſum conſtet, omnisque eximatur ſcrupulus tironi, compendio eas tradere conſtitui.

De

Formulis Capiti *dicatis.*

De

Cucufâ.

Vid. (341. 352.)

De

Frontali.

472. Frontale eſt medicamentum, quod Fronti & Temporibus, vario fine, applicatur.

473. Quae huic parando adhibentur, formulae ſunt Epithema Liquidum, Siccum, Cataplasma Coctum,

ctum, ſaepius tamen Crudum, Unguentum, Balſamum, Linimentum: ut ideo ex (330. 341. 355. 366. 431. 442. 453.) facilis ſit eorum, quae huc pertinent, intellectus.

474. Subscriptio & Signatura, praeter nomen & partem (472.), nihil ſingulare habent. Quandoque & materies nomen formulae mútat; ut, quod Oleum & Acetum, praecipue Roſacea, recipit, vocetur *Oxyrrhodinum;* quod ex Conſtipantibus cum liquido in pultem coactis conſtat, *Anacollema.* Ceterum &, vehiculi loco (338. γ.), hic nonnunquam ſervit Placenta e Roſis, a deſtillatione reſiduis, compactis, nata, quam pharmacopoei ad hunc uſum ſervare ſolent.

475. Usus, maximè refrigerandi, humectandi, demulcendi, ſopiendi, repellendi, rariùs diſcutiendi, attrahendi, calefaciendi, ſcopo dicatus, in morbis Capitis internis & externis, circumſpectionem requirit; ne, cauſa minus ſublatâ, inducatur ſtupor, aut, exterioribus conſtipatis, introrſum augeatur impetus. Inde materiae huc aptae delectus aeque ac modus adhibendi patet.

476. Specimina ſunto.

*

Oxyrrhodinum Demulcens, Refrigerans, Sopiens.

℞. *Olei infuſ. Roſar.* unc. iß.
Acet. Sambuc. drach. vj.
Tinct. Opii cum Spir. Acet. par. dr. ij.

Aq.

Aq. ſtillat. Roſar. unc. iij.
M. f. a. F. Oxyrrhodinum. D. cum Placent. Roſac.

S. *Placenta hoc liquore irrorata Fronti & Temporibus utrinque applicetur: exſiccata rurſum humectetur; donec ſomnus obrepat.*

*

Frontale Cataplasmodes, Hypnoticum.

℞. *Fol. recent. Hyoſcyam.*
Flor. Rhoead. ana drach. ij.
Capit. rec. Papav. hort. cum Semin. no. iij.
Cum *Acet. Roſac.* q. ſ. in paſtam trita exhibe.

S. *Incluſa linteo Fronti applicentur tepida.*

*

Frontale, Linimenti forma, Anodynum, Discutiens, Calefaciens.

℞. *Unguent. Nervin.* drach. vj.
Theriac. Andromach. drach. ij.
Croci pulveris. gr. viij.
Ol. infuſ. Chamaemel. q. ſ.
Ut F. Unguentum molle.

S. *Exceptum ſtupis cannabinis, duobus linteis incluſum, Fronti imponatur.*

*

Anacollema Conſtipans, ad narium haemorrhagiam.

℞. *Bol. Armen.*

Succ.

Succ. Acaciae. ana drach. ij.
Maſtiches.
Sang. Dracon.
Lap. Haemat. ana drach. j.
Cum *Album. Ov. conquaſſ.* q. ſ. redacta in pultem excipe ſtupis cannabinis. D.
S. *Fronti & Temporibus applicentur.*

*

Sacculus Frontalis, Calefaciens, Diſcutiens, ad Cephalalgiam aut Vertiginem, a cauſa frigida natam.

℞. *Herb. rec. Rutae.*
Fol. Roſmarin.
Flor. Chamaemel.
Sambuc.
Summit. Anethi. ana m. ß.
Caryophyll. arom. drach. iß.
Conſciſſa, tuſa groſſo modo, include binis ſacculis oblongis, interpaſſandis. D. cum *Spiritûs Lavandul.* unc. iij.
S. *Alternatim Fronti applicentur irrorati prius Spiritu ſimul exhibito.*

Nota. *Referri huc poſſunt* Emplaſtra Temporalia *ex dictis de* Emplaſtro (415.) *ſat intelligenda, quorum ſpecimen vide* pag. 335.

D

De Collyrio.

477. Collyrium dicitur medicamentum, quod Oculis extrinſecus, ſcopo vario, applicatur.

478. Variis & ipſum formis gaudet ante deſcriptis; ut Injectionis (305.), Adſperginis (318.), Epithematis Liquidi (330.), Sicci (341.), Cataplasmatis Cocti (355.), Crudi (366.), Lotionis (379.), Vaporationis Humidae (393.), Suffitûs (403), Unguenti (431.), Linimenti (453.). Quare ex locis citatis lux refulget hic neceſſaria. Quin & intelliguntur tria Collyriorum genera, a veteribus memorata: Ὑγροκολλύρια; Μυροκολλύρια; Ξηροκολλύρια.

479. Jubet tamen viſûs nobilitas, & ſumma organi teneritudo, facilisque a cauſa etiam levi corruptio, ſeriò monere, ut vel Acria, vel Repellentia, ſi quibus opus, adhibeantur circumſpectiſſimè; tum ut tenuiſſimè laevigata ſint, quibus nocitura ineſt ſcabrities, ſicubi vel Collyriis Siccis, *Sief* Arabibus dictis, inſervient, vel Liquidis ſaltem miſceri, nec planè ſolvi, poterunt. Unde & Acriorum miſtio aequabiliſſima, & Liquidorum quandoque colatio commendanda; ut particulae aſperae aut rodentes, affrictu vel adhaeſione nociturae, curioſe arceantur.

480. Applicatio pro forma & ſcopi varietate diſcrepat. Liquida vel linteis imbibita imponuntur, vel ſiphunculi aut calami ope inſtillantur. Spiſſa

vel vehiculo apto excepta admoventur, vel illinuntur. Sicca inſperguntur, vel ex calamo inſufflantur. Vapores ſuo modo ad Oculos diriguntur.

481. Usus multifarius, plurimis Oculorum vitiis ſat aptus, modò prudenter inſtitutus, (479.), emolliendo, roborando, maturando, reſolvendo, diſſipando, refrigerando, ſopiendo, detergendo, derodendo, ſe commendat.

482. Specimina ſunto.

*

Collyrium Liquidum, Antiphlogiſticum, Repellens, in initio Ophthalmiae externae.

℞. *Aq. ſtillat. Plantag.*
Roſar. ana unc. iij.
Troch. alb. Rhaſ. drach. ß.
Sacchar. Saturn. gr. vj.
M. D. ad Vitrum.

S. *Collyrium, quo concuſſo imbutum linteum quadruplicatum imponatur Oculo affecto: recenteıur omni triborio.*

*

Collyrium Cataplasmodes, Antiphlogiſticum, Emolliens, Demulcens.

℞. *Pom. dulc.* q. v.
Aſſentur ſub cineribus, aut cum *Lact. dulc* q. ſ. coquantur ad mollitiem. Pulpae per ſetaceum trajectae unc. j. admiſce.
Micae Panis alb. dr. vj.

Al-

Album. Ovi in liquorum conquaſſ. q. ſ.
Ut F. Cataplasma.

S. *Hujus q. ſ. linteo exceptum calide admoveatur Oculo, firmetur ſine compreſſione. Renovetur quartâ quavis hora.*

*

Collyrium Vaporoſum, Stimulans, Roborans, ad Paralyſin Palpebrarum.

℞. *Herb. Majoran.*
Thymi.
Mar. Syriac. ana m. ß.
Flor. Lavandul.
Chamaemel.
Bacc. Juniper. ana drach. iij.
Conſciſſa, tuſa, D. ad chartam.

S. *Species roborantes, quorum pars quarta cum Vini rubri pintae quarta parte infuſa per horam maceretur, tum ebulliat vaſe aperto, & vapor exhalans per infundibulum determinetur ad Oculum affectum, ſpatio quadrantis horae. Id fiat manè & veſperi.*

*

Collyrium Siccum, Detergens, leniter Erodens, ad delendas Cicatrices opacas Corneae diaphanae.

℞. *Sacchar. cand. albiſſ.* unc. j.
Alum. uſt. ſcrup. ij.
Vitriol. alb. gr. x.
M. F. Pulvis ſubtiliſſimus.

S. *Hujus tantillum bis de die loco erodendo imponatur.*

*

Collyrium, formâ Unguenti, ad Trachoma.

℞. *Ung. Roſac.* unc. j.
Tutiae praeparat. drach. ij.
Sacchar. Saturn. ſcrup. j.
Camphor. gr. vj.
Ol. infuſ. Roſar. q. ſ.
Ut F. Unguentum molle.

S. *Hujus tantillum illinat Palpebris omni veſperâ, cubibitum iturus.*

*

Aliud efficacius.

℞. *Mercur. Sublim. corroſ.* gr. j.
Axung. Porcin. lot. unc. j.
Accurate ſubactis F. Unguentum.

S. ut ſupra.

Unguentum Oculare H. Sloane aliis etiam oculorum vitiis utile vid. p. 256.

De Naſalibus.

483. Naſalia ſunt medicamenta, quae Naribus admoventur, tum ſanitatis, tum voluptatis ergo. Atque alia quidem toto ſuo corpore, aut vaporibus igne excuſſis, immittuntur Naribus; alia effluviis ſponte exhalantibus Olfactûs modò organum afficiunt. Illa *Errhina*, haec *Odoramenta* vocantur.

De Errhinis.

284. Errhinorum (483.) Forma multiplex in genere eſt *Liquida*, *Mollis*, vel *Solida*.

α. Li-

α. *Liquida* ſunt Infuſa (221.), Decocta (234.), Succi (245.), Emulſa (256.), Mixturae Mediae (282.), vel Contractae (283.).

β. *Mollia* dant Electaria (148.), Unguenta (431.), Balſama (442.), Linimenta (453.).

γ. *Solida* conſtant Pulvere (116. 318.), eoque tenuiſſimo vel medioeri (117. 319.), Suffitu (403.), Turundis pyramidalibus, *Naſalibus* propriè dictis, quae ex pulveribus & glutinante, Mucilagine v. g. Albumine Ovi, Terebinthinâ, Melle, Ladano, Cera, &c. ad modum Trochiſci (182.), componuntur, aut & ſaepe ſimpliciores ex Rad. Betae, Cyclaminis, Iridis, &c. aptè ſciſſis, vel Foliis Betonicae, Nicotianae, Cortice recenti Aurant. &c. contortis, formantur.

485. Materiem, hujus Delectum, &, quae huc pertinent, reliqua docet ſcopus, & forma varia (484. & loc. ibid. cit.).

486. Applicatio Liquidorum (484. α.) fit injiciendo (305.), attrahendo & eluendo (379.), vaporando (393.), aut, inſtar Fotûs Liquidi (330.), cum carptis, turundis, linteis, &c. immittendo. Mollia (484. β.) illinuntur, aut cum vehiculis mox memoratis induntur. Pulveres (484. γ.) inflantur, attrahuntur: Suffituum (ibid.) accenſorum fumus in Nares dirigitur: Turundae (ibid.) intruduntur. Has vero ſi profundius intra cavum narium inſinuare animus eſt, oportet primo ad dimidii fere pollicis longitudinem quaſi retrorſum verſus fauces protrudere, tum prudenti directione ſurſum, quousque tuto fieri poſſit, adigere.

487. Usus variâ ſe virtute, adſtringente, emolliente, demulcente, ſopiente, aperiente, ſtimulante, ptarmicâ, mucum eliciente, mundante, detergente, &c. commendat, aequè in morbis Narium propriis, quam aliarum partium, quibus evacuatio per Nares conducit. Sternutationis tamen motus univerſum corpus violentiſſimè concutiens, tum evacuationis hujus conſuetudo, uſu frequentiore inducta, aegrè rurſus tollenda, prudentiam hic inculcant.

488. Specimina ſunto.

*

Decoctum Mundans ad Ozaenam.

℞. *Rad. Ariſtoloch. rot.* unc. ß.
Herb. Veronic.
Scordii.
Menth. ana m. j.
Cum Aq. pur q. ſ. coque vaſe clauſo per ½ horae. Colat. unc. xvj. adde
Tinct. Myrrh.
Aloës. ana unc. ß.
Mell. Roſac. unc. i ß.
M.

S. *Injiciatur hujus tepidi q. ſ. aliquoties de die: tum goſſypium aut carpta in turundam convoluta, eo imbuta, applicentur.*

*

Liquor Stipticus ad Narium Haemorrhagiam. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 172.

℞. *Alumin. rup.* drach. j.
Aq. ſtillat. Plantag. unc. j.

M. Sol-

M. Solve. D.

S. *Turundis ingeſtis applicetur cavo Narium.*

*

Suffitus Roborans, nimiam per Nares deſtillationem minuens.

℞. *Maſtiches.*
Olibani.
Succin.
Gum. Anim. ana drach. j.
Herb. ſicc. Puleg.
Majoran. ana dr. ij.

M. F. Pulvis groſſus. D. ad ſcatulam.

S. *Pugillus hujus prunis inſpergatur, fumisque tecto capite excipiatur Naribus.*

*

Electarium Errhinum ad Gravedinem.

℞. *Pulv. rad. Galang.*
Irid. Flor. ana drach. j.
Zingiber. drach. ß.
Piper. alb. ſcrup. j.
Mellis comm. q. ſ.

Ut F. ſ. a. Electarium. D. ad fictile.

S. *Ter, quater de die, tantillum Naribus illinatur, aut cum turunda indatur.*

*

Succus Errhinus, Muci e Naribus excretionem promovens.

℞. *Fol. recent. Braſſicæ.*
Betonic.
Anagall. purp. ana q. ſ.

Aq. ſtillat. Majoran. unc. j.

Contuſis ſimul ſuccum exprime, cujus unc. IV. adde

Spir. Lilior. Convall. unc. ß.

M. D.

S. *Hujus quantum volâ manus capi poteſt, manè & veſperi, Naribus attrahatur.*

*

Naſalia ejusdem virtutis.

℞. *Herb. ſicc. Majoran.* drach. i ß.

Rad. Ellebor. alb.

Sem. Nigell.

Caryophyll. arom. ana ſcrup. j.

Maſtiches. drach. ß.

Mucilag. Gumm. Tragacanth. in Aq. Roſ. fact. q. ſ.

Ut F. ſ. a. Turundae pyramidales pro Naſalibus.

S. *Manè Naribus immittantur.*

*

Liquor Ptarmicus.

℞. *Succ. Euphorb.* gr. v.

Vin. alb. Gall. unc. j.

Spir. Cochlear. dr. ij.

Ol. ſtill. Majoran. gutt. ij.

Accurate miſta exhibe.

S. *Turundae pyramidales ex goſſypio formatae, hoc liquore imbutae, immittantur Naribus, ut excitetur ſternutatio.*

Pul-

*

Pulvis Ptarmicus.

℞. *Fol. ſiccat. Nicotian.* unc. ß.
Majoran.
Mari Syriac.
Flor. Lavendul.
Lilior. Convall. ana drach. ij.
Rad. Pyrethri pulver. drach. j.
Ol. ſtillat. Caryophyll. gutt. iv.
M. F. Pulvis ſubtiliſſimus.

S. *Attrahatur Naribus tantillum, tempore matutino, ut ſternutatio excitetur.*

*

Ptarmicum Mercuriale valentiſſimum. Fuller Pharmac. extempor. p. 135.

℞. *Turbith. miner.* ſcrup. ß.
Pulv. Glycyrrh. drach. ß.
Nuc. Moſchat. ſcrup. j.
Ol. ſtill. Rosmarin. gutt. ij.
M. F. Pulvis Errhinus.

S. *Hujus pauxillum, mane, in nares inſuffletur aut attrahatur: ex quo profuſiſſima muci ac lymphae excretio, ptyalismi aemula, conſequetur. Cum nimia haec eſt, aut ob permanentem irritationem metuitur narium eroſio, attracto Lacte dulci, aut Malvaceo, tepido, ſtimulus leniri poteſt.*

De

Odoramentis.

489. ODORAMENTIS (391. 483.) MATERIEM praebet, quidquid odorem ſponte exhalat medicatum, ſuavem, vel injuçundum.

490. FORMA, ut Errhinorum (484.), *Liquida* eſt, *Mollis*, vel *Solida*.

α. Liquidam conſtituunt Liquores odorati officinales ſoli, aut ex his aliisque paratae Mixturae Mediae (282.), vel Contractae (293.). Confer dicta (442.).

β. Mollem dant Balſama Odorata (442.).

γ. Solidam Pulvis (116. 318.), aut ex hoc & glutinante apto, Trochiſcorum inſtar (182.), coacta Poma, Pilae, Globuli, Smegmata, odorata: quamvis poſteriora, quippe deliciis ſaltem dicata, ex unguentariorum potius officinis hodie petantur.

491. UTENDI MODO in genere inter ſe conveniunt; quum omnia & ſingula ſic adhibeantur, ut in olfactus organum agere poſſint. Liquida quidem, Balſama, Pulvis, Poma, Pilae, ipſis proxime naribus admoventur. Globuli ex collo, aut in carpis, geſtantur. Smegma lotioni inſervit.

492. Ex his (489. ad 491.), cum ſcopo collatis, facile eſt, quod huc requiritur, praeſcriptionis artificium.

493. Usus cum voluptati, tum ſtimulando, excitando, aliorſum determinando virtutis nervoſae motui,

motui, atmoſphaeram corrigendo, maximè dicatus eſt. Repete autem dicta (85. 100. 406. 1. 451.).

494. Specimina Balſamorum dedi ante (452.): reliquorum haec ſunto.

*

Vapor ſtimulans Nares in Apoplexia imminente a cauſa frigida. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 189.

℞. *Tinct. Caſtor.*
Spir. Sal. Ammon. ana drach. ij.
M.

S. *Subolfaciat ſaepe.*

*

Liquor Fragrans, Cardiacus, Cephalicus, &c.

℞. *Balſam. Vitae* pag. 235. *deſcripti* unc. j.
Spir. Sal. Ammon. dr. ij.
M. D. in lagenula propria.

S. *Naribus, temporibus, carpis, &c. tantillum affricetur in languore, vertigine, &c. aut ſudariolo vel ſpongiolae inſtillentur aliquot guttulae, ac naribus admoveantur.*

*

Pulvis Odoratus, Cardiacus.

℞. *Ol. ſtillat. Cinnamom.* gutt. vj.
Meliſſ.
Roriſmar. ana gutt. iv.
Sal. Volat. ſicc. de Sale Ammon. par. ſcrup. ß.
Sacchar. albiſſim. unc. ß.

Cin-

Cinnab. nat. ſubtiliſſ. levigat. q. ſ. *ad coccineum ruborem.*

Accurate, cito, miſta immittantur vaſculo vitreo, obturaculo vitreo claudendo.

S. *Admoveatur naribus in languore.*

*

Pomum Odoratum.

℞. *Ladani* drach. iij.
Benzoin.
Styrac. calam. ana drach. ij.
Herb. Thymi.
Mari Syriac. ana drach. j.
Camphorae. gr. ij.
Ol. ſtill. Caryophyll. gutt. iv.
Balſ. Peruvian. ſcrup. j.

Cum *Mucilag. gum. Tragacanth. aq. Cort. Citri. ſolut.* q. ſ. F. Pomum.

S. Ut ſupra. *Ex iisdem quoque* Globuli *magnitudinis arbitrariae formari poſſunt.*

*

Sapo Fragrans.

℞. *Sapon. Venet.* unc. viij.
Pulv. ſubtiliſſ. rad. Irid. Flor.
flor. Lavand. ana dr. iij.
Ol. ſtillat. cort. Citr. gutt. xv.
Tinct. Benzoin. aquâ Lavand. praecipitat. q. ſ.

Concorporentur in paſtam, ex qua formentur Pilae hinc inde auri foliolis exornandae.

S. *Lavandis manibus, faciei, &c. inſervit.*

De

De

Stomaticis.

495. STOMATICA voco medicamenta, quae Oris partibus internis applicantur. Eorum vero tres ſunt ſpecies: *Dentifricium*, quod Dentium & Gingivarum vitiis medetur: *Apophlegmatismus*, quo Saliva & Mucus Oris elicitur: *Gargarisma*, quod cavo Oris & Faucium colluendo inſervit.

De

Dentifricio.

496. DENTIFRICIUM (495.) eſt *Liquidum*, *Molle*, vel *Siccum*.

α. *Liquidum* dat plerumque Mixtura Media (282.), vel Contracta (293.): quamvis & Liquores officinales ſoli, tum Decocta, Infuſa, Succi, eò adhiberi queant. *Collutorium* id, aut *Collutio*, quoque audit.

β. *Molle* eſt Electarii ſpecies (148.): alias & Eclegmatis (159.), aut Linimenti (453.) forma hic uſu venit.

γ. *Siccum* praebet Pulvis (116. 318.) tenuiſſimus aut mediocris (117. 319.); tum ex hoc & glutinante idoneo conflati Trochiſci (182.); aut Styli Dentifricii, qui tamen hodie minus uſitati ſunt.

497. MATERIES, DELECTUS, cetera, ex indole corrigendi vitii, & formâ expetitâ (496.), intelliguntur. Acida Foſſilia cautè adhibeantur; ne, dum dealbant dentes, ſimul ambedant.

498.

498. Usus dentibus, gingivis, detergendis, firmandis, labe Scorbutica liberandis, his quandoque, in Dentitione difficili, emolliendis, refrigerandis, conducit.

499. SPECIMINA ſunto.

*

Collutorium in Scorbuto a cauſâ calidâ. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 206.

℞. *Myriae Limonum.*
Mell. Roſac. ana unc. ij.
Sp. Sal. dulc. drach. ß.
Aq. ſtillat. Rutae. unc. ij.
M.

S. *Eo ſaepiuſculè laventur dentes & gingivae.*

*

Linimentum vide in Hiſtoria Linimenti pag. 373.

*

Collutio, Eclegmatis ferè formâ, Refrigerans, Emolliens, in Dentitione difficili. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 255.

℞. *Crem. Lact. rec.*
Vitell. Ovor. ana unc. j.
Syr. Violar. drach. vj.
Aq. ſtillat. Roſar. unc. iij.
M.

S. *His foveantur Gingivae dolentes.*

Oplata

*

Opiata dentes detergens, firmans.

℞. *Conſerv. Roſ. rubr.* unc. ß.
Oſſ. Sepiae opt. drach. ij.
Sang. Dracon.
Cort. Granator. ana drach. j.
Alumin. uſti. ſcrup. ij.
Mell. Roſac. q. ſ.
Ut F. Electarium. D. ad fictile.

S. *Manè & poſt prandium ac coenam eo fricentur dentes; tum abluantur cum Spirit. Vini Myrrhato.*

*

Pulvis Dentifricius.

℞. *Pumicis ppt.* drach. ij.
Flor. Balauſt.
Rad. Irid. Flor.
Myrrh. rubr. ana drach. j.
Lap. Haemat. ppt.
Sal. Ammoniac. ana drach. ß.
M. F. Pulvis tenuis.

S. Ut ſupra.

*

Trochiſci vel Styli Dentifricii.

℞. *Species praecedent.*
Mucilag. gumm. Tragacanth. cum aqua Salviae fact. q. ſ.
Ut F. Trochiſci vel Styli probè ſiccandi. D.

S. *Defricandis dentibus adhibeantur.*

De

De

Apophlegmatiſmo.

500. APOPHLEGMATISMI (495.) FORMA iterum triplex eſt, *Liquida*, *Mollis*, *Sicca*.

α. *Liquidam* ſaepiuſcule praebent Decocta (234.), Mixturae Mediae (282.), crebriùs Contractae (293.), quandoque & Infuſa (221.), Succi (245.), aut Liquores alii officinales, non permiſti.

β. *Mollem* dat Electarium (148.)

γ. *Sicca* varia vel eſt Suffitûs ſpecies (405. α.) Nicotianae ſimplicis, aut Medicatae, fumo ore hauſto conſtans; vel Rotula (299.) ſublingualis, facile diſſolvenda; vel Pulvis (116.) Salinus, liqueſcens, in ore detinendus; vel Manſile quid *Maſticatorium* vulgo dictum, ſolidum, tenax, acre: quò adhibentur Vegetantium acriorum partes ſolidae, aut ſucci concreti, minus facile liqueſcentes, tum ex his, & ſimilibus aliis, confecti Pulveres craſſiores (116. 117.), hique aut laxi, aut panno lineo, in ſpeciem Noduli, incluſi (229. α. 2.), aut cum glutinante in Trochiſcos, Paſtillosve coacti (182.).

501. Haud tamen perinde hic ſemper eſt, quacunque ex dictis (500.) forma utaris. Videndum, quaenam indicationi, morbi, aegrique, conditionibus aptior.

α. Occaſio praeceps captanda uſum Liquidorum (500. α.), maximè ſimplicium, aut ſola permiſtione parandorum, commendat. (46.).

β. Prae-

β. Praeferuntur eadem (500. α.) ubi profundiùs e faucibus trahendum phlegma, idque tenacius eſt.

γ. Electarii (500. β.) potior uſus eſt, cum vel manducatio, vel determinata liquidi ſiccive in ore volutatio & detentio, aegre fieri poteſt: ut in Paralyticis & Soporoſis affectibus. Id tum, palato adlitum, ſenſim liqueſcens, agit certius.

δ. Fumiſugium, plurimis minus aſſuetis incommodiſſimum, nimiâ in nervos actione, fumisque haud dexterè a cavo narium, pharyngis, laryngis, prohibitis, cephalalgias, vertigines, tuſſes, nauſeas, vomitus, creat.

ε. Pueros & delicatiores, vix longiori adſtrinxeris manducationi. Placent magis Liquida, aut Pulveres facile liqueſcentes, aut Rotulae acre ſaccharo tegentes (500. γ.). At his obtuſior quoque virtus.

ζ. Ubi lentè, diu, validè, proritandus humor, Manſilia (500. γ.) ceteris antehabentur; niſi priorum quaedam repugnent.

502. Materies petitur ex iis, quae ore excepta, retenta, mota, vi emolliente aut praeſertim ſtimulante, majorem ſalivae & muci copiam eo allicere queunt. Vid. H. Boerhaave Inſtit. Med. 1195. 1197. 1200. 1. 2. 3. Quae enim deglutita, ventriculo recepta, nauſeam creando, ſalivam movent, aut in ſanguinem delata, hunc diſſolvendo, Ptyaliſmum excitant, hujus non ſunt loci, ubi de Topicis Stomaticis (495.) agimus.

503. Delectum docet remedii vis requiſita; & forma adhibenda (501.).

α. Emollientia, Saponacea, Aromatica, Oleo vel Sale acri praedita, alia aliis validiora, infinitam hic Medico praebent ſylvam, ex qua aptum nodo cuneum quaerat. Inde cum vario menſtruo, aquoſo, vinoſo, Decocta, Infuſa, Succos, lenius, fortius, agentes, juxta datas ante regulas (221. 234. 245.), parare facile. Suavitas, acumen, melle vel ſaccharo obtinetur.

β. Mixturis (500. α.) idoneam dant materiem Aquae ſtillatitiae, Aceta, Spiritus, Tincturae, Eſſentiae, Olea, Salia, ex ſimilibus (503. α.) confecta; quorum & dilutiora ſeorſim ſumta hic bona.

γ. Nicotianae Medicatae Suffitus ut paretur, ante docui (405. α. 406. δ. & ſeq.).

δ. Aromata, Radices, Cortices, Folia, Semina, acriora, integra, Vino quandoque, Aceto, Spiritu Vini, prius macerata, tum Succi tenaces, ſimiles, odore tamen haud inſuaves, Maſtiche v. g. Myrrha, &c. ſeorſim ſingula, ſimplex, at efficax, praebent Manſile. Alii nec Nicotianae folia horrent. Indos Betele & Arecca, cum Calce, manſa delectant.

ε. Haec ipſa (δ.) contrita Pulveres exhibent (500. γ.): ex iisdem vero linteo incluſis Noduli (ibid.); cum ſaccharo ſubactis Rotulae (ibid.); cum cera, maſtiche, melle, aliove glutinante, concorporatis Trochiſci manſiles (ibid.); melle plure vel ſimplice,

vel

vel medicato, exceptis Electaria (ibid. β.) naſcuntur.

ζ. Pulveribus ſolubilibus (500. γ.) materiem praebent Salia, quorum acrimonia & injucunditas ſaccharo temperatur.

η. Abſtinendum ubique, maximè in mandendis, ab iis, quorum odor aut ſapor deteſtabilis; quum nimis evolvatur. Conſuetudo tamen vel moleſtiſſima etiam manſuefacit (δ.).

504. Ordo, Dosis, Quantitas Generalis, Proportio, Subscriptio, ſatis patent ex iis, quae de ſimilibus formulis internis ante dicta, collatis ad hactenus (500 ad 504.) expoſita, & mox ſubjungenda ſpecimina. Paſtillorum Moles, hic plerumque major (187.), ſcrup. j. drachm. ß. imo j. aequat.

505. Signatura pariter ex prius dictis intelligitur. Jejunum ferè ſtomachum amat haec evacuatio: unde aliquot plerumque ante paſtum horis movetur; niſi cum in morâ periculum. Promovetur prono capite, ſimulque acrium delapſus in fauces ſic cavetur. Ultra ſemihoram vix protrahitur. Os, poſt Apophlegmatiſmi actionem, aquâ tepidâ, lacte, aliove blando liquore, eluendum vix monere opus.

506. Usus, caute directus, nobilia praeſtat, aliis haud adeo viis ſemper obtinenda, in frigidis, catarrhoſis, ſoporoſis, paralyticis, epilepticis, affectibus, Leucophlegmatiâ, Anginâ aquoſâ, Odontal-

talgià, &c. Abuſus rei optimae peſſimus ſalivâ, humore utiliſſimo, privat chylopoieſin, ſubtiliſſimis orbat ſanguinem, conſuetudinem inducit aegrè rurſus exuendam.

507. Specimina ſunto.

*

Decoctum Apophlegmatizans, ingruente Apoplexia Frigidâ utiliſſimum. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 187.

℞. *Rad. Imperator.*
Pyrethri. ana unc. j.
Fol. recent. Rutae.
Majoran. ana m. j.
Flor. Lavand. m. ß.
Semin. Sinapis contus. unc. ß.

Conſciſſa, cum *Vini Alb.* libr. ij. coque per ½ horae, vaſe exactè clauſo. Colat. admiſce

Spir. Sal. Ammon. drach. ij.
Mell. Anthos. unc. iß.

D.

S. *Hujûs tepidi pauxillum ore detineat ac volutet, humorem prolectum jugiter exſcreans. Repetat pro neceſſitate urgente, quavis horâ aut citius.*

*

Infuſum ejusdem utilitatis, ex Fulleri Pharm. extemp. p. 149.

℞. *Sem. Sinapis contus.* drach. ij.
Aq. commun. unc. viij.

Con-

Contrita & ſubacta digerantur in cineribus calidis per ¼ horae. Colat. expreſſ. admiſce

Spirit. Lavand. drach. iij.
Cochlear. drach. j.
Sal. Ammon. gutt. xxx.
M. D.

S. Uſus idem, ut prioris.

*

Mixtura ſimilis, Odontalgiae Catarrhoſae apta

℞. *Aq. ſtillat. Lavandul.* unc. vj.
Spirit. Regin. Hungar. unc. ij.
Sal. Ammon. drach. j.
Tinct. Sal. Tart. Helmont. drach. ij.
Zingib. ſubtiliſſ. pulv. drach. ß.
M. D. vitro clauſo.

S. Ut ſupra.

*

Decoctum ejusdem virtutis. Fuller Pharmac. extemp. p. 150.

℞. *Rad. Pyreth.* dr. vj.
Galang. dr. j.
Sem. Hyoſcyam.
Papav. alb. ana dr. ij.
Caryophyll. arom. ſcrup. ij.
Vin. alb. unc. viij.
Acet. Vin. unc. iv.

Coq. per ¼ horae, vaſe clauſo, tum colaturae admiſce

Spir. Vin. Gall. unc. iß.
Tinct. Myrrh. unc. ß.
M. D.

S. Ut praeced.

*

Apophlegmatismus, formâ Succi preſſi.
℞. *Fol. recent. Becabung.* m. j.
Cochlear. m. ß.
Rad. recent. Ari.
Armorac.
Sem. Sinapis. ana unc. ß.
Conſciſſis, tuſis, exprime Succum, cui admiſce
Vin. alb. unc. i ß.
Sacchari alb. unc. j.
M.

S. *Hujus hauſtulum, omni manè, ore prius aqua eluto, contineat aliquamdiu Scorbuto frigido laborans, tum exſpuat una cum ſaliva ſic prolectâ.*

*

Pulvis Salivalis, mitior.
℞. *Sal. Prunell.* drach. iß.
Ammoniac.
Succin. ana gr. xv.
Sacch. criſtall. drach. ij.
M. F. Pulvis.

S. *Parum hujus Pulveris ore detineatur, ut liqueſcens ſalivam moveat.*

Pulvis

*

Pulvis Apophlegmatizans, acrior.

℞. *Rad. Pyrethri.*
Cort. Magellanic. ana drach. i ß.
Cubeb.
Cardamom.
Caryophyll. arom. ana drach. ß.
Sal. Ammoniac. drach. j.
Ol. ſtillat. Caryophyll. gutt. vj.

Contuſis F. Pulvis craſſiuſculus. D. in ſcatulâ.

S. *Capiat omni mane, jejunus, quantum apice cultri ſuſtinere poteſt, & commandat, exſpuatque humorem proritatum.*

*

Rotulae Sialogogae.

℞. *Species praecedentes ſubtiliſſimè tritas.*
Sacchar. albiſſ. Aq. Roſar. ſolut. & inſpisſat. ſextuplum.

Ut F. l. a. Rotulae.

S. *Una vel duae ſub lingua detineantur, ut ſenſim liqueſcant. Excernatur liquidum affluens.*

*

Nodulus ſimilis.

℞. *Pulver. praecedent.* drach. i ß.
Maſtiches. drach. iij.

Mixta illigentur panno lineo, ut F. Nodulus.

S. *Mandatur leniter mane per ½ horam, ut ſaliva proritetur exſpuenda.*

*

Electarium ex iisdem.

℞. *Species easdem tenuiſſime comminutas.*
Mellis Anthos triplum.
M. exacte F. Electarium. D. ad fictile.

S. *Hujus tantillum palato affricetur in morbis ſoporoſis, frigidis, aquoſis.*

*

Aliud ſimile ex Fulleri Pharmac. extemp. p. 63.

℞. *Herb. Thymi.* drach. vj.
Rad. Pyrethr. ſcrup. iv.
Sem. Sinapis. ſcrup. ij.
Ol. ſtill. Caryophyll. gutt. iv.
Mellis. q. ſ.
Ut F. ſ. a. Electarium.

S. *Cochlearculum hujus ore volutetur, ac leniter mandatur mane, jejuno ſtomacho, per ſemihoram, capite prono, ac ſaliva affluens exſpuatur.*

*

Trochiſci maſticatorii. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 188.

℞. *Maſtich.*
Cerae alb.
Zingib. ana unc. j.
F. ſ. a. parvi Paſtilli, ſinguli drach. ß. aut j.

S. ut ſupra.

*

Alii ex Fulleri Pharm. Extemp. p. 252.

℞. *Rad. Pyrethr.*

Sem-

Sem. Sinapis. ana dr. j.
Staph. agr. dr. ij.
Ol. Still. Caryophyll. gutt. iv.
Cum *Cerae alb. liquefactae.* q. ſ. concorporentur in Pilas vel Trochiſcos arbitrariae molis.
S. ut ante.

De
Gargariſmate.

508. GARGARISMA (495.) eſt medicamentum liquidum, cavi Oris, maximè verò Faucium, collutioni, varios in uſus, aptatum. *Diaclyſma* quoque, *Collutio*, vel *Collutorium* audit, praecipuè ſi gargariſatio, a qua nomen habet, ſub ejus uſu non accedit.

509. FORMA ejus, ſemper liquida, Infuſi (221.), Decocti (234.), Succi expreſſi (245.), Emulſi (256.), Julapii (271.), vel Mixturae Mediae (282.), ſpecies eſt, iisdemque, quibus haec, legibus paratur. Unde ex dictis (loc. cit.) facile artificium.

510. MATERIEM, hujusque DELECTUM limitat varia Medici indicatio, & Liquidi ſpecies conficienda (509.), collata iis, quae de hac, interno uſui dicatâ, ante (loc. cit.) monita ſunt. Videatur etiam hiſtoria Injectionis (305. ſeq.); quum haec loco Gargarismatis adhiberi ſoleat, ſicubi collutio aut gargariſatio ab ipſo aegro obtineri, ſatisve profunde intra fauces adigi, hinc ſcopum Medici ferire nequit. Quin &, quae de Apophlegmatis-

mis Liquidis dicta ſunt (500.), huc pertinent.

511. Ordo, Quantitas Generalis, Proportio, itidem ſequuntur leges ante (loc. cit.) datas. Dosis, pondere nunquam determinanda, eſt, quantum buccis non diſpanſis commodè capitur.

512. Subscriptio jubet: *F. Liquor pro Gargariſmate* aut *Collutorio.*

513. Signatura, praeter generalia, injungit utendi modum, qui non ſemper idem eſt. Alias enim liquidi ore excepti, ſupinato capite, facienda agitatio, quod *gargariſare* vocamus; ut concuſſae cum eo partes magis undequaque imbuantur, detergeantur, penetrentur. Alias lenis modo ejus volutatio, aut tranquilla detentio, requiritur; cum partes inflammatae, aliove modo laeſae, gargariſatum negant, aut liquidum motum a deſcenſu per fauces, delapſuve in tracheam, prohibere ſatis nequeunt. Alias & per ſiphonem injectio fit: quod in infantibus ſaepe, aut aegris debilioribus, ſuive non compotibus, neceſſum. Calidi ceterum uſus frequentior eſt, quam frigidi. Hoc tamen amant quidam, ubi adſtringendum vel repellendum.

514. Usus inſignis in quibusvis fere Oris interni, Faucium, partiumque his vicinarum, morbis, Inflammationibus, Tumoribus, Ulceribus, Aphthis, Siccitate, Colluvie aquoſa, mucoſa, Laxitate, Rigiditate nimia, &c. dum vis quaecunque expetita, emolliens, adſtringens, humectans, ſiccans

cans, refrigerans, caleſaciens, reſolvens, ſuppurans, detergens, ſtimulans, vulneraria, &c. directè locis affectis applicari ſic poteſt.

515. SPECIMINA ſunto.

*

Collutio Antiſeptica, ad Ulcera Oris, a Scorbuto putrido nata. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 206.

℞. *Spir. Salis marini.* drach. ij.
Aq. ſtillatit. Salviae. unc. viij.
M.

S. *Hoc liquore colluat Os & Fauces ſaepius de die.*

*

Collutorium ad Anginam Inflammatoriam, Antiphlogiſticum, Reſolvens, Refrigerans.

℞. *Aq. ſtillat. Flor. Sambuc.* unc. XVI.
Acet. Vin. deſtillat. unc. ij.
Sal. Prunell. drach. iß.
Rob. Sambuc. unc. ij.
M.

S. *Calido hoc liquore, ore detento, Fauces aſſiduò humectentur.*

*

Decoctum ad Anginas graviſſimas, valde Reſolvens ac celerrime levans, teſte Fr. Dekkers Exercit. Pract. p. 242.

℞. *Rad. Althaeae rec.* unc. j.
Fol. Malvae, man. j.

Flor.

Flor. Sambuc. pug. iij.
Coq. ſ. a. in ſ. q. *Cerevis. dulc.* Colat. pint. j. admiſce
Mell. Virgin. unc. iß.
Spirit. Vin. dr. iij.
Sal. Ammoniac. gutt. xxx.
M. D.

S. *Tepidi hujus liquoris tantillum ope ſiphonis injiciatur in Fauces omni horae quadrante, donec levetur aeger.*

*

Decoctum Emolliens, Demulcens, ad promovendum Ptyalismum Mercurialem. Vid. H. Boerh. Aphoriſm. 1475.

℞. *Herb. Althaeae.* m. ij.
Malvae.
Flor. Rhoead.
Verbaſc. ana m. j.
Rad. Glycyrrhiz. unc. j.
Cum *Seri Lact. rec.* q. ſ. decoct. ſpatio ¼ horae, tum colat. expreſſ. lib. ij. admiſce
Mellis puri. unc. ij.
D.

S. *Hoc tepido gargariſet & colluat jugiter totum Oris cavum.*

*

Gargarisma ad proritandum Salivae fluxum in Variolis Confluentibus.

℞. *Fol. Malvae.* man. ij.

Semin.

Semin. contuſ. Sinap. unc. j.
Piper. alb. unc. ij.

Coq. ex ſ. q. *Aq. pur.* per quadrantem horae. Colatur. unc. xx. admiſce

Oxymel. Scyllit. unc. ij.
Syr. Violar. unc. j.

M. D.

S. *Hoc calido colluat & gargariſet aeger fauces omni quadrante horae: quod ſi minus conveniat, etiam ope ſiphonis injectio fieri poteſt.*

*

Aliud Laxans & Detergens, ad cruſtae Aphthoſae lapſum promovendum. Vid. Ketelaar de Aphthis. p. 38.

℞. *Hordei. mundat.* unc. j.
Paſſul. exacinat. unc. ij.
Ficuum. n°. iij.
Glycyrrhiz. raſae. drach. iij.

Coque ex *Aquae pur.* q. ſ. tum cola & exprime. Colat. lib. ij. admiſce

Syr. Jujubin. unc. ij.

D.

S. *Tepidum ore ſemper contineatur, &, ſi pote, gargariſetur.*

*

Infuſum Balſamicum, Conſolidans, ad Ulcera Faucium mundata.

℞. *Herb. Agrimon.* m. j.
Veronic.

Sal.

Salviae.
Flor. Hyperic.
Betonic.
Rhoead. ana m. ß.

Infundantur cum *Aq. pur. fervidae.* unc. xx. ſtent per horam infuſa, vaſe clauſo, tum colat. expreſſ. admiſce
Mell. roſat. unc. ij.

S. ut ſupra.

De

Scuto.

Vid. (341. 352. 424. 441.)

De

Clyſmate Inteſtinali.

516. CLYSMA INTESTINALE, *Clyſter*, *Enema*, *Lavamentum*, vocatur liquor, qui Inteſtino Recto, evacuandi, alterandi vel nutriendi fine, injicitur. Pertinet ergo ad Injectiones, de quibus generatim ante (305. & ſeq.) actum; atque inde magna parte intelligitur. Meretur tamen ſeorſim exponi ob ſingularia, quae ſibi vendicat.

517. MATERIES in genere *Excipit* vel *Excipitur.*

α. *Excipiens* liquor eſt varius. Saepe (1.) Vulgaris: ut Aqua ſimplex, Fabrorum, Lac recens, ebutyratum, ejus Serum, Cereviſia, Vinum, Urina. &c. Alias (2.) Praeparatus, in officinis proſtans,

ſtans, aut pharmacopoeo ſat notus; ut praeſcriptione magiſtrali non egeat ejus praeparatio: v.g. Aquae ſtillatit. Lac Chalybeatum, Decocta Hordei, Avenae, Specier. Emollient. Carminant. Clysmat. ordin. aut materiei cujusdam ſingularis, Juſcula Carnium, Olea preſſa, infuſa, cocta, & ſimilia. Vel (3.) Decoctione demum, rarius Infuſione, parandus juxta praeſcriptum Medici.

β. *Excipienda* ſunt, quaecunque, ſcopo apta, excipiente (α.) ſolvi, aut huic miſceri ita poſſunt, ut requiſitam hic liquoris meabilitatem non deſtruant. Referuntur haec ad (1.) Solubilia in Aquoſis: ut ſunt Electaria, Confectiones, Pulpae, Succi, Extracta, Mella, Syrupi, Sapones, Vitell. Ovi, Salia, Fel, Saccharum. (2.) Pinguia: ut Olea infuſa, cocta, preſſa, ſtillatitia, Pinguedines, Medullae, Seva, Butyrum, Balſama, praeprimis Terebinthina, Unguenta, &c. (3.) Pulverulenta non ſolubilia, quorum tamen rarior hic uſus.

518. Delectum docet varius ſcopus, tum cognita materiae virtus, pretium, promta purabilitas, aliaeque tam hujus, quam aegri, conditiones, facilè in ſingulari caſu determinandae. Unde

α. Repetendum, quidquid de Injectione prius (309.) dictum.

β. Ubi, quod hic ſaepe obtinet, citiſſimo opus auxilio, abſint Infuſa vel Decocta, quin & alia liquida, ut Olea preſſa, longam poſcentia praeparatio-

tionem (46.). Neque enim deficiunt jam parata, cuivis apta indicationi.

γ. Nec utere pretioſioribus, maximè ſi ſaepius iterandum Clyſma; tum ne emungas aegrum; tum ne corrupta exhibendi anſam captet pharmacopoeus, ſat haec bona putans cavo putridis aſſueto, gnarusque hos liquores raro explorari. Suus etiam Inteſtinis ineſt ſenſus, & partibus vicinis, nec contemnenda ſane cum reliquo corpore conſpiratio: ut nequaquam inſuper haberi debeat, qualecunque liquidum injiciatur; quum male ſelecta, perperam praeparata, vappida, corrupta, haud minores hic, quam alibi, inferre turbas poſſint.

δ. Species Emollient. Carminant. & pleraque alia, quae ſolis Clysmatibus deſtinata proſtant jam compoſita in officinis, ſi potes, cave: ſaepiſſime enim exoleta ſunt, ſitu, vermibus, corrupta. Levi labore alia praeſcripſeris recens paranda.

ε. Oleoſa aqueis excipienda haud adeo exactam hic, ut in Internis (284. ζ.) poſtulant unionem: quamvis & Mel, Vitell. Ov. Saccharum, Sapo, Bilis, Salia, alio fine, dum ſcopus fert, addita hanc praeſtare queant. Terebinthina tamen Ovi Vitello ſubigenda curatius; ut diviſa & felicius agat, nec facile glutine ſuo fiſtulam obſtruat: nam Digeſtivi loco ferè adhibetur.

ζ. Cur vetant Acida miſcere Clysmatibus, qui vel acerrima etiam Emetica & Purgantia iis adhibere

non

non verentur? Sanè ubi corrigenda putrilago, refraenandus calor febrilis, Acidi dilutioris uſum ſuadent omnia.

η. Pulverulentis (517. β. 3.) facile carueris, cum alia praeſto ſint omni ſcopo idonea. Sin uti velis, nota cautelam (309. δ.)

ϑ. Sal & Oleum fruſtra ab Anthelmintico Clysmate arcentur. Quis ſolis dulcibus delectari vermes dixerit, cum & in acerrimis nidulentur? Enecti colliqueſcunt cito, facile dein expellendi.

ι. Nutrire dum ſcopus exigit, Juſculo Carnium nihil aptius. Viſum hoc, mox, ut ingeſtum fuerat, in ſanguinem vectum nocuiſſe nihil, hinc praeviam ventriculi & tenuium inteſtinorum coctionem vix repoſcit. Antiſeptico ſaltem condiendum, ſi calor corporis nimius ad putredinem diſponit.

κ. Denique, ut Medico nunquam, niſi ex ratione, agendum (11. 12. 16.), ita, Clysmate indicato, mox cogitet, eo quid effici debeat & poſſit, facillimè dein reperturus aptam huic componendo materiem. Videbit hinc, toties hic commendatis Specificis Cephalicis, Pectoralibus, Stomachicis, Hepaticis, Uterinis, &c. vix majora praeſtari, quam generali Diluentium, Humectantium, Emollientium, Calefacientium, Refrigerantium, Sopientium, Diſcutientium, Reſolventium, Stimulantium, materie. Sic ars tironi facilis fit, & ſerviiis aliorum exemplis perpetuo inhaerendi tollitur neceſſitas.

λ. Quin & farragine inconditâ hic opus non eſſe, ex dictis (κ.) patet. Saepe unicum ſufficit ingrediens, nullo ſtipatum excipiendo. Saepius duo: Aqua, Lac, hujus Serum, cum Melle, Saccharo, Nitro, Oleo, Butyro, &c. Nonne Urina ſola, Sal communis Aquae quintuplo ſolutus, Decoct. Fol. Nicotianae, inter certiſſima habentur, ſi valentiore opus ſtimulo?

519. Ordo idem hic obtinet, qui in Infuſis, Decoctis, aut Mixturis internis (224. 237. 385.): has enim ad formulas reducuntur omnes Enematum compoſitorum ſpecies.

520. Dosis & Quantitas Generalis aequales ſunt; cum vix niſi una ſimul praeſcribatur Doſis (68. α.). Haec autem varia eſt

α. Ratione aetatis. Ubi haec ferè regula obtinet.

Infanti	recens nato	conveniunt unc. ij.
——	provectiori —— ——	unc. iij. iv.
Puero	—— —— ——	unc. vj. vij.
Adulto	—— —— ——	unc. viij. x. xij.

β. Ratione conſtitutionis aegri. Proceri plus ferunt: parvuli minus. Difficili anhelitu affecti, inteſtina/flatu diſtenta, mole extrinſecus incumbente, foetu v. g. grandiore, aquis, &c. preſſi, vix admittunt copiam majorem, admiſſam cito excutiunt.

γ. Ratione effectûs praeſtandi. Si diluendum, humectandum, emolliendum, refrigerandum, nec alia repugnant, major quantitas conducit. Si valide

dè ſtimulandum, minor; ne moles ſtimulo juncta citius expellat. Si diutius retinendum, minor itidem expedit: quod maximè in iis, quae nutriendi fine injiciuntur, notandum.

δ. Ceterum & hic parcior ſimul injecti copia penſari poteſt iteratione, &, ſi quae obſtant, per intervalla immitti, quod ſimul debeat.

521. Proportio mutua ingredientium, vix certis in univerſum limitanda legibus, attento ad ſuam indicationem (518.), virtutem materiae, vires aegri, ſenſum hujus majorem minoremve, requiſitam Injectionis conſiſtentiam (309. δ.), &c. determinatu facilis eſt.

α. Si Purgantibus opus infuſis, decoctis aut intermiſtis, haec plerumque dupla recipiuntur doſi, qua darentur ori ingerenda, quandoque & tripla, imò majore, ubi ſtimulandum fortius.

β. Salium mediorum, quae magis hic uſitata, drach. j. ij. ad liquoris unc. x, pro ſtimulo mediocri ferè ſufficiunt. Alias tamen uncia j. imo ij. adhibentur in acerrimis (518. λ.)

γ. Eorum, quae Mellis aut Syrupi gaudent ſpiſſitudine, latiſſima iterum Proportio primariò ex virtute medicata, dein & conſiſtentia, limitatur; ut ideo ſumma ferè ſit, ſi horum & liquoris aequale pondus ſumſeris.

δ. Pinguium tamen, niſi cum ſola totum conſtituunt Clysma, parcior quantitas rarius quartam to-

tius partem exſuperat. Terebinthinae autem vix plus unc. ß. aut drach. vj. ad liquoris unc. viij. vel x. recipitur.

ε. Solida, ſicca, pulverulenta, quin majore quantitate admiſceantur, prohibet naſcitura ſpiſſitudo, aut facilis in grumos coalitus. Drach. j. ij. iij. pro adulto (520. α.) ſatis ſunt.

ζ. Opiatis, aliisque Draſticis, iis maximè, quorum vis ſubdola furtim ſe vaſis inſinuat, cautus utere! Eſt & in Craſſis Inteſtinis apparatus nerveus; adſunt abſorbentes venulae. Unde ab ejusmodi imprudenter injectis quandoque damna peſſima. Excutiendae Taeniae ergo datum Clyſma ex Mercurio ſublimato Spiritu Frumenti ſoluto mortem intulit. Ab Opii gran. iv. Clysmati additis aeternum dormiviſſe viſus eſt aeger (518. γ.).

η. Circumſpectus etiam Stimulantia determina, cogitans, an, quibus, quantis, opus ſit. Alias temerè addita, alias omiſſa timidè, ſpem tuam fruſtrabuntur. Si potentiſſimè excitare, expellere, revellere, volueris, ſtimulo languente agis nihil. Si diutius retinendum Clysma, ut emolliat, diluat, mulceat, foveat, ſopiat, nutriat, ab acribus abſtine!

522. Subscriptio, praeter ea, quae infuſionem, decoctionem, miſtionem, ſpectant, ſimilia ante dictis (228. 229. 241. 289.), niſi quod depuratione haud adeo exacta opus ſit, ponit: *F. Enema* vel *Clyſma.* Quum vero multis in locis injectio ipſi demandetur pharmacopoeo, aut inſtrumenta ſaltem huc neceſſaria ab eo petantur, adſcribi inſuper poteſt.

α. Qua

α. Qua Aetate ſit, cui injiciendum Clysma; an infans, puer, adultus? ut aptus ano tubulus eligatur: licet ex quantitate liquoris (520. α.) id conjici plerumque queat.

β. Cujus Sexûs, ſi adultus: ſequiori enim mulieres id officii praeſtant.

γ. Tempus, quo immittendum: an mox, an mane, veſpere, &c.? Nulla hora in univerſum huic remedio inepta eſt. Urgens neceſſitas quamcunque admittit. Alias tamen vacuo ventriculo magis probatur ejus uſus.

Reliqua, quae huc ſpectant, mox tradenda, ſupponuntur cognita injicienti.

523. Signatura vix opus, niſi cum Subſcriptio (522.) brevior uſum non memorat. Tum vero, dato titulo (113. γ. 516.), quod ad reliqua intelligitur ex modo dictis (522. α. β. γ.). Addenda tamen aliquando, aut & oretenus injungenda nonnulla, quae applicationis commodo ſerviunt, aut actionem remedii promovent. Quo pertinent

α. Agenda *ante Injectionem.* Haec ſua ex indicatione figit Medicus, varia in variis. Unum noto: Nutrienti Clysmati praemittendum aliud Inteſtina à fecibus repurgans; ut & diutius retineatur, & tanto promptior ejus abſorptio fiat.

β. Quae ſpectant *Injectionem ipſam.* Ubi

(1.) Liquoris juſta exigitur calefactio ad teporem ferè ſani hominis. Vas Clysma continens, admotum oculo, labiis, aut dorſo manus, his dum calo-

re non infeſtum eſt, debitum notat gradum. Exceſſus in utramque partem ſemper minus prodeſt, ſaepiſſime & nocet aegro, ingredientia, Vitellos, Pinguia, cogendo, quandoque tubum obſtruit. Nec ſatis certa eſt, ſi a calore naturali receſſeris, alius gradùs determinatio, ut non exceſſu defectuve facile peccetur.

(2.) Situs Aegri trajectui liquoris per tubum inteſtinalem commodiſſimus. Sunt quibus decubitus in ſiniſtrum latus aptior videtur; quod ſigmoideus Coli in Rectum abituri flexus, ſiniſtro latere ſitus, viam exhibeat declivem. Obſtat tamen Recti ab Ano adſcendentis declinatio dextrorſum *a*, hoc in ſitu magis reſiſtens impulſo liquori; preſſio dein & compreſſio tractus Coli in ſiniſtris ſiti, Recto proximi, ab incumbente reliquorum Inteſtinorum mole; tum ludentis naturae inconſtantia, flexum Coli ſigmoideum quandoque ad dextram Recti formans *b*. Unde cum plurimis decubitum in dextrum latus praefero. Eſt tamen, ubi nec electio datur. Et ſi forte injectio minus ex voto ſuccedit, iterato Clyſmate alias atque alias tentare poſitiones expedit, nec ſolummodo in alterutrum latus, ſed vel in dorſum quoque aut ventrem. Sunt certe Auctores, qui cubationem in dorſum, adductis ad ventrem cruribus, prae alio quocunque ſitu hic ſuadent. Et quid obſtat, quo minus pronus etiam cubitus convenire poſſit? Imo vero praetulerim ceteris poſitionibus, ſi ad majorem altitudinem propellenda Clyſmatis materies; modo & genubus innixo aegro venter a compreſſione liberari queat. (3.) Quies

a. Vid. Euſtach. Tab. Anat. X. Fig. II. IV. *b*. Idem ibid. Fig. V.

(3.) Quies aegri & pacata reſpiratio; ne valide contractis muſculis abdominalibus via arctetur nimis, aut ſubita fiat injecti repulſio.

(4.) Inſtrumenta, qnae variis locis varia in uſu ſunt, hic non enumeranda; quum non adeo ad Medicum pertineant. Vid. *R. de Farvacques Medic. Pharmac.* III. Boek. x. Capit. Merentur etiam legi, quae de machina clyſmatica ab Italis nuper inventa, habet Vir Clariſſ. *A. de Haen, Rat. Med.* pt. VIII. & IX.

(5.) Injectio denique haud impetuoſa, nec nimis properata, nec praemiſſo aëre inteſtina diſtendens, quod praeprimis notandum, ſicubi minor liquoris quantitas magnam vaſis clysmatici partem reliquerit vacuam.

γ. *Poſt Injectionem* agenda. Hic revolutio lenis in ſiniſtrum latus, aut in dorſum, quies, tranquillus anhelitus, alvi retentio, ſi Clysma diutius retinendum, commendantur.

524. Usus in genere expoſitus (516. 518.), laudatiſſimus, prolixior, quam qui hic ſigillatim deſcribi queat, omni, tenerrimae etiam, aetati aptus, ſolis nocet Haemorrhoidum fluxui obnoxiis, ſi acria adhibentur; tum & nimius, praeter neceſſitatem, Inteſtina reddit debiliora aut ſtimuli conſuetudine ſegnia, ut, niſi jugi monita incitamento, ab officio ceſſent. Vim Nutrientem qui Clysmatibus negant, neſcire videntur ante dicta (521. ζ.). Quin & Lactea in Colo hominis, chylo repleta, demonſtravit *Cl. Winslow a.* A Vino, Spiritu Vini, etiam parciore

a. Expoſit. Anatom. Traité du Bas-ventre. 218.

ciore copia, Clysmatis ſpecie injectis nata temulentia, &c. Itaque & *A. C. Celſum* audiant, ſuo jam tempore monentem, *ultimum auxilium* eſſe, *in alvum ptiſanae vel alicae cremorem ex inferioribus partibus indere, ſiquidem id quoque vires tueatur.* Lib. III. Cap. XIX.

525. Specimina ſunto.

*

Clysma Meconium induratum reſolvens, evacuans. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 243.

℞. *Seri lact. recent.* unc. ij.
Sapon. Venet. drach. iß.
Mell. drach. ij.
M. F. Clysma.

S. *Lavamentum pro Infante recens nato mox injiciendum.*

*

Aliud Vermes expellens. Ibid. 254.

℞. *Vitriol. Mart.* gr. XV.
Aq. ſtill. Cichor. unc. IV.
M. F. Lavamentum.

S. *Pro Puero trienni aut quadrienni, poſtquam alvum depoſuit.*

*

Clysma Refrigerans, Antiphlogiſticum, in Rabie Canina. Ibid. p. 196.

℞. *Nitri.* drach. ij.
Acet. Sambuc.
Mell. Roſar. ana unc. j.

Aq.

Aq. decoct. Hord. unc. x.

M. F. Clysma.

S. *Injiciatur bis vel ter de die.*

*

Clysma acerrimum, Excitans, Revellens in Affectibus Soporoſis.

℞. *Colocynth. in petia lig.*

Rad. Pyrethr. ana drach. ij.

Cum *Aq. pur.* q. ſ. coq. per ¼ hor. Colat. unc. ix. admiſce

Vin. Antimon. unc. ij.

M. F. Enema.

S. *Solito calidius injiciatur, ac mox iteretur, ſi ſtatim ab injectione redditur.*

*

Clysma Febrifugum, pro Infante.

℞. *Cort. Peruv. pulv.* drach. ij.

Aq. ſtill. Card. Bened. unc. iij.

Syr. Diacod. unc. ß.

M. F. Enema.

S. *Injiciatur ſtatim a finito paroxysmo, ac tempore ἀπυρεξίας, octava quaque hora, repetatur. Conducit autem praemittere Clysma feces expurgans, ſi alvus diu conſtipata fuerit.*

*

Clysma Nutriens. Ibid. p. 154.

℞. *Jur. Carnium* unc. x.

Sal. Nitri gr. x.

Sp. Salis. gutt. vj.

M.

S. *Injiciatur octava quâque horâ, poſtquam primò Clysmate purgante elota alvus fuit.*

*

Clysma Mulcens, Antiſpasmodicum, Carminans, Feces molliens, Urinam pellens.

℞. *Ol. Lini.* unc. viij.

ſtillat. Foenicul. drach. ij.

M. F. Enema.

S. *Injiciatur ac repetatur pro neceſſitate.*

*

Clyſter Emolliens, Anodynus, Aperiens, Calculum pellens. Ibid. p. 262.

℞. *Herb. Malvae.*

Parietar.

Heder. terreſtr. ana m. j.

Seri Lact. recent. q. ſ.

Coque ſpatio ½ horae. Colat. expreſſ. unc. ix. adde *Ol. Lini.* unc. j.

Nitri pur. drach. j.

M.

S. *Injiciatur mane & veſperi.*

*

Clysma Balſamicum, Anodynum, Antidyſentericum, pro Adulto.

℞. *Flor. Chamaemel.* m. ij.

Cum *Lact. dulc.* q. ſ. coque vaſe clauſo per ½ horae. Colat. unc. viij. adde

Te-

Terebinth. pur. Vitell. Ov. ſubact. dr. iij.
Mell. Roſar. unc. j.
M. F. Enema.
S. *Injiciatur ter, quater, quovis die.*

*

Aliud Narcoticum, Adſtringens, in Fluxibus alvinis ad ſopienda tormina & ſuſpendendas dejectiones utile.

℞. *Fol. Salviae.* pug. j.
Cort. Granator. drach. ij.
Lign. Santal. citr. drach. j.
Coq. ex ſ. q. *Lact. Chalybeat.* per ½ hor. Colat. unc. viij. admiſce
Theriac. Androm. dr. iij.
M. F. Enema.
S. *Injiciatur tepidum hora ante ſomnum.*

*

Clysma Revellens, Salivationis Mercurialis impetum minuens. Ibid. p. 251.

℞. *Fol. Sennae.* unc. j.
Agarici drach. iv.
Semin. Carthам. drach. ij.
Rad. Jalapp. drach. j.
Cum *Aqua* decoct. colat. unc. xij. injice pro Clysmate.

Nota. *De* Clyſtere ex Fumo Nicotianae *vid.* hiſtoria Suffitus, ad finem, pag. 327. Neque & hujus inſtituti eſt, inſtrumenta huic operi apta commemorare.

De

De

Suppoſitorio.

526. SUPPOSITORIUM, *Glans Subdititia*, Βάλανος, *Balanismus*, *Nodulus Inteſtinalis*, eſt medicamentum plus minus ſolidum, rotundum, aut ex tereti oblongum, globuli, conuli, vel glandis formâ, quod Ano varios ad uſus intruditur.

527. Saepiſſimè id, e ſimplice materie petitum, praeſcriptione haud eget. Alias tamen data etiam opera componitur. Unde vel Simplex eſt vel Compoſitum.

518. SIMPLICIS MATERIES & PRAEPARATIO, ſatis & in vulgus nota, ab aliis alia adhibetur, effectu tamen ferè eodem. Ut ſunt Saccharum coniforme, in globulum aut conulum redactum; inde confecti cum Moſcho globuli, Moſchati dicti, officinales; Saponis Veneti fruſtulum ſimiliter figuratum; Sebum Candelae; Cereoli particula Butyro oblita; Lardum lotum; Prunum & Ficus inverſa; Caſeus recens; Chartae bibulae ſegmentum conicè contortum, Butyro illitum; Mel ad duritiem coctum, cum vel ſine Sale; Amygdalum Saccharo obductum; globulus vel conulus ex Alumine factus, Oleo vel Butyro inunctus; Rapae caudula; Radix Althaeae, Malvae, Betae, Braſſicae, Sambuci, &c. decorticata, debitè formata, Oleo aut Butyro ſalito illita; Caulis Porri ſimiliter aptatus, & ſimilia. Haec ferè vulgaria, infantibus, quin & adultis quandoque ac-

accommodata, alvo lubricandae, magis minusve ſtimulandae, tum eliciendis ano vermibus, &c. inſerviunt.

529. Compositum eſt vel Stimulans, vel propriis inteſtini Recti vitiis dicatum.

530. Stimulantis Materies dividitur in *Excipientem* & *Excipiendam*.

α. *Excipiens* eſt Mel ad duritiem coctum, ut gutta marmori frigido inſtillata, frigefacta, ne adhaereſcat, ſed fragilis ſit. Sunt, qui huc Electarium quoddam Officinale, Purgans, aut Succum acriorem, ſimul incoquunt. Sapo Venetus etiam pro Excipiente eſſe poteſt, Vitellus Ovi, aut Mucilago Tragacanthae, aut Saccharum Tabulatum (196.). At haec rarius.

β. *Excipiuntur* eo (α) Acria quaecunque Stimulantia, ſicca pulverulenta, vel ſpiſſa, quorum infinita, gradu acrimoniae diverſa, in officinis proſtant. Ut ſunt Sapo, Sal commune, Gemmae, Nitrum, Ammoniacum, Alumen, Vitriolum Martis, Stercus murium, Aloë, Myrrha, Fol. Sennae, Agaric. Jalapp. Species hierae, Maſſae pilular. purgantium, Cochiar. Extract. Cathol. Succus Abſynth. inſpiſſatus, Fel Tauri ſpiſſatum, Caſtoreum, tum Purgantium & Emeticorum acerrima, Colocynthis, Trochiſci Alhand. Scammoneum, Elleborus albus, Euphorbium, Crocus metallorum, &c.

531. Quod Propriis Recti Vitiis inſervit,

vit, Materie gaudet pro horum affectuum varietate variâ, Stimulante, Detergente, Erodente, Balſamicâ, Conſolidante, Sopiente, Emolliente, Adſtringente, Anthelmintica, &c. Huic enumerandae nullus hic locus. Ejus autem adaptatio fere triplex eſt.

α. Vel enim in maſſam, priori (530.) ſimilem, duram vel emplaſticam, cum ſimili (530. α.), vel alio apto Excipiente, Unguento quandoque, Cerato, Emplaſtro, coacta, nuda ano intruditur. Emplaſtrum officinale, Oleo vel Unguento idoneo illitum, hic aliquando in uſu eſt.

β. Vel in Unguenti (431.) aut Balſami (442.) ſpiſſitudinem concorporata, linteis carptis, goſſypio, aut lanâ, excipitur, atque in globulum, glandem, aut turundam, formatur, cui filum alligandum, foras propendens, quo extrahi rurſus poſſit ano immiſſa.

γ. Vel paſta ſimilis (β.) ſindoni immiſſa colligatur in nodulum, ano intrudendum, filo itidem propendente, cum lubet, retrahendum.

532. In Delectu habenda ratio indicationis, variae virtutis, praeſertim draſticae, ingredientium, aetatis, &c. Vid. ante dicta (309. 518. & aliis locis.).

533. Ordo plerumque Excipiendis ſubjungit Excipiens, maximè ſi hujus quantitas haud pondere determinatur. Alii & praeponunt.

534

534. Magnitudo Doſin hic exprimit. Si forma rotunda deſideratur, alias Piſi, alias Nucis Avellanae, aut & Glandis moles menſuram dat. Si conica, craſſities minimi digiti ejus hominis, cui Suppoſitorium applicandum, baſin ferè determinat, longitudo ſumitur 2, 3 vel 4 digitorum transverſorum. Materiae hinc univerſae quantitas ferè a drach. j. ad vj. vel unc. j. pro varia magnitudine recipitur. Exactiori determinationi ſervit aetas varia; Inteſtini Recti anguſtia, major minorve, morboſa; actio Suppoſitorii lenior, fortior, aut ad variam Recti aegritudinem requiſita: unde ſi validius in morbis v. g. Soporoſis ſtimulandum, aut Recti ſede altiore vitium eſt, quandoque etiam ultra digiti longitudinem conus extenditur.

535 Quantitas Generalis ſaepiſſimè Doſi (534.) aequalis eſt. Ubi autem diutius continuata Glandis exigitur actio, quam cui una ſufficere queat, duae, tres, vel plures ſimul praeſcribuntur; ut alia poſt aliam intrudi poſſit. Ex multiplicata tum ſingularum Doſi facilis determinatio Quantitatis Generalis.

536. Proportio mutua ingredientium ſcitur ex conſiſtentia tum excipientis, tum excipiendorum, & ipſius paſtae efformandae (530. α. β. 531. α. β. γ.), ex ſingulorum virtute, & remedii deſiderata efficacia. Hinc

α. Si Mel induratum excipit (530. α.), ad hujus unc. j. recipiuntur excipiendorum ſcrup. iv. drach. iß.

β. Si mollius aliud pro excipiente ſervit (ibid. &

531.

531. *α*.) augeri pro rata excipiendorum quantitas poteſt; niſi & paſta mollior exigitur.

537. Subscriptio & Signatura peculiaris nihil continent, quod ex ante dictis haud intelligi queat facile. Quae duriora ſunt, plerumque leni Oleo, Butyro, Axungia, Sebo, aut Unguento, prius illinuntur, quam applicentur. Alias & Salivâ id fit, aut, ſi ſtimulandum fortius, acriore quodam Oleo. Ante immiſſionem & alvus exonerata requiritur, niſi hanc ſolvendi cauſa Glans adhibetur. Cavendum hic, ne materies coctione nimis ſpiſſata, duritie ſua noceat: tum & ne durior Glans juſto altius introrſum rapiatur. Hoc ſi metuitur, appenſo ad baſin filo foris alliganda eſt, quo, cum libuerit, retrahi poſſit. Vidit *Borrichius* Suppoſitorium, ex ſolo Melle nimium incocto paratum, vitro ſimile, poſt ſummos demum angores rurſus excuſſum. Vid. *Act. Hafniens.* Vol. v. Obſ. lviii.

538. Usus, jam ferè expoſitus (528. 529. 531.), ſat eximius, Clysmatum Purgantium ſaepe ſuccedaneus, cum haec aut ab aegris moroſis, nimium pudicis, aut ob alias cauſas, non admittuntur, quin & his injectis, Purgantibusve ore hauſtis, minus feliciter operantibus, opem ferens, alvum ſollicitando, vermes necando, expellendo, tum in affectibus Soporoſis, Paralyticis, Apoplecticis, &c. ſtimulando, revellendo, excitando, alias &, ubi requiritur, fluxum Haemorrhoidum proritando, conducit. Ne memorem Recti proprios morbos, Ulcera, Fiſtulas, Haemorrhoidum dolores, &c. quibus Glandes ap-

pro-

propriatae conferre poſſunt. Cavendum, ne ſtimulantibus frequentius adhibitis natura nimis adſueſcat, aut inteſtinum arrodatur: unde & haec iis, quibus Rectum fiſſuris, ulceribus, tumore, dolore, fluxu Haemorrhoidum, &c. laborat, minus adhibenda. Gravidis quoque ſtimulus acrior quandoque foetum excutit.

539. Specimina ſimpliciorum vide ſupra (528), & H. Boerh. Mat. Med. p. 241. Compoſitorum haec ſunto.

*

Suppoſitorium Antihelminticum, necans, expellens Vermes. Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 254.

℞. *Mell. cocti ad ſpiſſitudinem debitam.* unc. iv.
Aloës. unc. ß.
Vitrioli Martis. drach. ij.
M. f. a. F. parva Suppoſitoria, v. g. xij. aut xiv pro Puero. Serventur oleo demerſa, ne deliqueſcant.

S. *Applicentur poſt alvum exoneratam.*

*

Aliud Mercuriale, Aſcaridibus necandis aptum.

℞. *Mell. ad craſſitiem coct.* unc. j.
Spec. Hier. ſimpl. Galeni. dr. j.
M. f. a. F. Suppoſitorium, quod oblinatur *Ung. Enulat. cum Mercur.* aut *Mercurio cum Terebinth. extincto.* D.

S. ut ſupra.

*

Suppoſitorium Acre, fortiter Stimulans, in Affectibus Soporoſis, frigidis, utile.

℞. *Mellis coctu indurat.* unc. j.
Sal. Ammoniac. drach. ß.
Scammon. ſcrup. j.
Troch. Alband.
Rad. Ellebor. alb. pulver. ana ſcrup. ß.
Euphorbii. gran. ij.
M. F. ſ. a. Suppoſitoria n$_o$. ij. Oleo Caſtorei illinenda.

*

Glans ad Alvum ſollicitandam, pro Adulto.

℞. *Sal. commun.* drach. ß.
Sapon. Venet. drach. j.
Mell. coctu inſpiſſati. q. ſ.
M. F. Suppoſitorium, Oleo Abſinth. illinendum.

*

Suppoſitorium ad excitandum Haemorrhoidum fluxum.

℞. *Aloës pulveris.*
Sal. Gemm. ana ſcrup. j.
Pulp. Colocynth. gr. v.
Mellis. q. ſ.
Coctu redigantur in Suppoſitorium.

*

Nodulus Anodynus, ad Dolores ab Haemorrhoidibus.

℞. *Opii*

℞. *Opii crudi.* ſcrup. ß.
Croci pulveris. ſcrup. j.
Unguent. Popul. q. ſ.
Ut F. Paſta, quae incluſa ſindoni, aut cotone excepta, appenſo filo, ſit pro Peniculo Inteſtinali.

S. *Immittatur Ano, filo, foras propendente, & retrahatur poſt ½ horam.*

De

Peſſo & Nodulo Uterino.

540. PESSUS, *Peſſarium*, *Talus;* tum PENICILLUS, *Nodulus Uterinus*, *Naſcale* barbare, ſunt ſuppoſitoria vel medicamenta Uterina ſubditiтia, Inteſtinalibus (526.) ſimilia, quae ſinui pudoris muliebri, ſcopo vario, immittuntur. Quum vero & rari hodie uſus ſint, & maximam partem ex praecedenti capite intelligantur; non eſt, cur iis multum immoremur.

541. PESSARIUM quidem in conulum formari ſolet, ad baſin rotundatum, pollicis craſſitie, longitudine digiti indicis. Materies huic parando deſumitur ex ſimilibus (530. α. β. 531. α. β. γ.). Nimirum Mel ſimplex, aut medicatum, ſolum, aut cum ſuccis idoneis, incoctum, additis, ſi libet, ſiccis pulverulentis, redigitur in formam Suppoſitorii (530. α. β.). Vel Electarium adhibetur officinale, aut extempore ad praeſcriptum Medici parandum (148.), quod cotone, lana carminata, aut ſtupis,

in turundam compactis, exceptum, tenuique panno ſericeo aut ſindòne obvolutum, Peſſi loco ſit. Alias pro materie eſt Unguentum (431.), Balſamum (442.), Linimentum (453.), Succus (245.), Decoctum (234.), Emulſum Balſamicum (256. 258. 260.), Mixtura media (282.), contracta (293.), &c. quibus turunda rite aptata imbuatur.

542. Nodulus Uterinus, Peſſario (541.) minor, mollior, ovata ſpecie, ſacculus eſt ex detrito linteo, aut panno ſerico, confectus, materie medicata, ſcopo apta, v. g. Pulvere, Electario, Unguento, Balſamo, &c. aut ſolis, aut cotone vel lana exceptis, repletus, Quin & lanae flocculus, in ovatam formam convolutus, idoneis remediis imbutus, nudus, quandoque pro Naſcali eſt.

543. *Peſſi* lignei, eburnei, metallici, ad uteri prolapſum aut urinae incontinentiam uſitati, cum ad artem Chirurgicam pertineant, non adeo hujus ſunt loci.

544. Deligitur autem aut Peſſarii (541.) aut Noduli (542.) forma pro varia aegrotantis conditione. Virginibus, tenellis, & quarum loci ob inflammationem, excoriationem, ulcera, &c. ſenſiliores ſunt, Noduli magis conveniunt.

545. Materiae Delectus, Ordo, Dosis, Quantitas Generalis, Proportio, ex Suppoſitorii hiſtoria (532. ad 536.) facile eruuntur.

546. Subscriptio quoque & Signatura ex dictis

dictis (537.) intelligi poſſunt. Obſervetur monitum (113. 9.). Si rudior duriorve eſt Peſſus aut Nodulus, vel hunc vel ſinum muliebrem blando prius oleo inungere oportet, quam immittatur. Plerumque funiculus aut filum extremo ejus inferiori alligatur, quod foras propendeat, aut ad vicinam partem firmetur, ut retrahi pro lubitu poſſit.

547. Uſus olim frequens ad evocanda menſtrua, coërcenda profluvia uterina, corrigendam ſterilitatem, partum promovendum, abortum concitandum, ſedandos ſpasmos hyſtericos, &c. hodie fere exolevit. Doloris eadem, quae voluptatis, ſedes. Hinc partes exquiſitiſſimo ſenſu praeditae, acria, rodentia, ſtimulantia, vix impune ferunt. Vitia tamen vulvae, laxitas, anguſtia, excoriatio, ulcera, prorigo, prolapſus, mala Venerea, tum Hydrops uteri, Urinae incontinentia; &c. id remedii genus aliquando poſtulant.

548. Specimina ſunto.

*

Peſſus Acer, Stimulans, Aperiens, ad Colluviem de Utero excutiendam.

℞. *Rad. rec. Bryon. alb.*
Ari ana unc. ß.
Myrrh.
Sagapen. ana drach. ij.
Aloes. drach. ß.
Mell. Anth. q. ſ.

Ut redigantur in formam Electarii, ex

quo, lana pexa excepto, F. Peſſaria conica duo, panno ſericeo obvolvenda, quorum baſi filum alligetur.

S. *Unum eorum Oleo Laurino prius inunctum immittatur in partem affectam, ac per 4. horas relinquatur, aegra interim in dorſum jacente, capite humili, cruribus ad ventrem adductis, pedibus decuſſatis. Hoc demum extracto, poſt 4. horas indatur alterum eodem ſub regimine.*

*

Peſſus Mundans, Detergens, ad Ulcera Venerea Vulvae.

℞. *Unguent. Roſac.* unc. i ß.
Pulv. fol. Scordii. drach. j.
Myrrh.
Magiſter. Sulphur. ana drach. ij.
Mercur. praecipit. alb. ſcrup. ij.

Miſceantur exacte, ac *Oleo Tart. per deliq.* humectentur, ut F. Unguentum. D.

S. *Turunda conica ex filis carptis confecta, mollis, iſto Unguento oblita, locis indatur veſpere ante ſomnum, ac per totam noctem relinquatur.*

*

Peſſus Demulcens ad Proriginem.

℞. *Aq. Calc. Viv.* lib. ß.
Sacchar. Saturn. drach. j.
Troch. alb. Rhas. drach. ij.
Mucilag. ſem. Cydonior. cum Aq. Roſ. extract. unc. j.
M. D.

S. *Hac*

S. *Hoc liquore tepido inſuccatâ turunda locis recondatur, ac pro neceſſitate recentetur.*

*

Penicillus Adſtringens pro Urinae incontinentia nocturna.

℞. *Pulv. Terr. Sigill. Compoſ.* drach. iij.
Bol. armen. drach. j.
Succ. rec. Plantag. q. ſ.
Ut F. Electarium.

S. *Id cotone exceptum, ſacculoque ſericeo rubro incluſum, alligato filo, immittatur Vaginae, ante ſomnum, ac quavis veſpera iteretur.*

F I N I S.

INDICULUS

MEDICAMENTORUM.

A.

Adſpergo acrimoniam obtundens, ad Intertriginem. Pag. 249
—— Adſtringens ad ſiſtendam Haemorrhagiam Vulneris externi. 248
—— ad Eryſipelas. 247
—— Balſamica, Oſſibus, Tendinibus, Nervis, nudatis conveniens. 248
—— Columellam relaxatam adſtringens. ibid.
—— Cypria, odorata. 249
—— Mundans ad Bubonem Venereum apertum. 247
Anacollema Conſtipans ad narium Haemorrhagiam. 383
Antemeticum Riverii. 74
Apophlegmatiſans, forma Succi preſſi. 406
Aviculae Cypriae, fragrantes. 3-6

B.

Baculi Suaveolentes ad Fornacem. 325
Balneum ad Glutinoſa pro Infante. 302
—— Aromaticum, Antiparalyticum. 304
—— Emolliens, Antiſepticum, ad Gonorrhoeam. 303
—— Vaporoſum univerſale, Nervinum, Antiparalyticum. 312
Balſamum Antiſpasmodicum ad Convulſiones infantum. 367
—— Carminans, Stomachicum, Calfaciens. 368
—— Fragrans, Cardiacum. 366
—— Hyſtericum. 367

Bal-

Balſamum mollius, Excitans, Antapoplecticum. 366
——— *Suaveolens ad delicias.* 368
——— *Succini, Anticatarrhale.* 366
——— *Vitae Cardiacum, Nervinum, Antapoplecticum, &c.* 235
——— *Vulnerarium externum, contuſis, vulneratis, excoriatis, diſtortis, enervatis partibus utile.* 358
Bochetum in Spina Ventoſa. 172
Bolus. Adſtringentes. 87
—— *Antihyſtericus.* 86
—— *Balſamici.* ibid.
—— *Emeticus pro Adulto.* 85
—— *Febrifugi, iidemque & Gangraenae oppoſiti.* 86
—— *Purgans in Anxietate febrili.* 85
—— *Purgantes.* ibid.
—— *Sialogogi.* 86

C.

Caſſoletta, ſeu Vaſculum odorarium. 316
Cataplaſma Acre, Emolliens, Stupefaciens. 293
——— *Adſtringens ad Haemorrhagiam partis externae vulneratae.* 292
——— *Antiſepticum, ad Gangraenam.* 282
——— *Emolliens, Anodynum, Diſcutiens.* 293
——— *Emolliens, Leniens, ad Oculi dolorem inflammatorium.* 284
——— *Emolliens, Narcoticum.* 282
——— *Emolliens, reſolvens, ad Ambuſta.* 285
——— *Emolliens, Stimulans, in pus Maturans.* 284
——— *Reſolvens, Antiphlogiſticum, ad Anginam.* 283

Cataplaſma Suppurans ad Bubonem Venereum. 285
—— *Theriacale, Ventriculum atque Inteſtina confortans, Anodynum, Antiſpasmodicum, in Singultu, Nauſea, Vomitu, Alvi profluviis &c. utile, pro Adulto.* 291
Ceratum Attrahens, Emmenagogum. 345
—— *Exſiccans, Obtundens, Antiphlogiſticum ad Ulcera Tibiarum inveterata.* 344
—— *Molliens, Diſcutiens, ad Pleuritidem.* 345
—— *Pectorale ad Tuſſim.* 346
—— *Reſolvens ad Scirrhum Lienis.* ibid.
Cereviſia Antiſcorbutica. 155
Claretum Aquoſum, Cardiacum, ad ſitim in Febribus aeſtuoſis, putridis, reſtringuendam. 153
—— *Spirituoſum, Cardiacum, Calfaciens, Antiſepticum.* 154
—— *Vinoſum, Purgans & Roborans.* 153
Clyſma Acerrimum, Excitans, Revellens in affectibus Sporoſis. 425
—— *Balſamicum, Anodynum, Antidyſentericum pro Adulto.* 426
—— *Febrifugum, pro Infante.* 425
—— *Meconium induratum reſolvens, evacuans.* 424
—— *Molliens, Anodynum, Aperiens, Calculum pellens.* 426
—— *Mulcens, Antiſpasmodicum, Carminans, Feces molliens, Urinam pellens.* 426
—— *Narcoticum, Adſtringens, in Fluxibus Alvinis ad ſopienda tormina & ſuſpendendas dejectiones.* 427
—— *Nutriens.* 425
—— *Refrigerans, Antiphlogiſticum, in Rabie Canina.* 424
—— *Revellens, Salivationis Mercurialis impetum minuens.* 427

Clyſma Vermes expellens. 424
Collutorium ad Anginam Inflammatoriam, Antiphlogiſticum, reſolvens, refrigerans. 411
—— *Antiſepticum ad Ulcera Oris, a Scorbuto putrido nata.* ibid.
—— *Eclegmatis fere forma, refrigerans, Emolliens, in Dentitione difficili.* 398
—— *in Scorbuto a cauſa calida.* ibid.
Collyrium Cataplasmodes, Antiphlogiſticum, Emolliens, Demulcens. 386
—— *Liquidum, Antiphlogiſticum, Repellens, in Ophthalmiae initio.* ibid.
—— *Siccum, Detergens, leniter Erodens, ad delendas cicatrices opacas Corneae diaphanae.* 387
—— *Unguentiforme ad Trachoma.* 388
—— *aliud efficacius.* ibid.
—— *Vaporoſum, Stimulans, Roborans, ad Paralyſin Palpebrarum.* 387
Cucuſa Conſortans, Capiti debili, frigido, Catarrhis obnoxio, proficua. 267

D.

Decocto-Infuſum Adſtringens, Incraſſans, ad Haemoptyſin. 170
Decoctum ad Anginas graviſſimas, valde reſolvens ac celerrime levans. 411
—— *Apophlegmatiſans ingruente Apoplexia frigida utiliſſimum.* 404
—— *Emolliens, Demulcens, ad promovendum Ptyaliſmum Mercurialem.* 412
—— *Febrifugum, Antiſepticum, Pus movens, Roborans.* 172
—— *Mercuriale Antihelminticum.* 173

Decoctum Mundans ad Ozaenam, 390
—— *Refrigerans, Aperiens, in Febribus bilioſis, putridis, utile.* 169
Diapasma vide *Adſpergo.*
Dropax ad Membrum Paralyticum. 377

E.

Eclegma ad Sputa ſuppreſſa in Peripneumonia. 99
—— *ad partes Aphthis delapſis excoriatas.* ibid.
—— *Demulcens & Adſtringens.* ibid.
—— *Incraſſans.* 100
—— *Balſamicum, conſolidans, ad abſceſſum pulmonum ſaneſcentem.* ibid.
—— *Refrigerans, Humectans, ſitim Reſtinguens, Antiphlogiſticum.* 101
—— *Tuſſim leniens.* 100
Electarium Antihelminticum. 91
—— *Antifebrile.* 93
—— *Aperiens & Detergens in Peripneumonia Suppurata.* 94
—— *Aphrodiſiacum.* 93
—— *Balſamicum, Anodynum, Antidyſentericum.* 92
—— *Dentes detergens, firmans.* 399
—— *Errhinum ad Gravedinem.* 391
Electarium Excitans in Febrili languore. 93
—— *Purgans, Antiphlogiſticum.* 92
—— *Solidum* vide *Morſuli.*
—— *Stipticum, Incraſſans.* ibid.
Elixir Febrifugum, Aperiens. 234
—— *Stimulans, Reſolvens.* 233
—— *Stomachicum, Antiſpasmodicum, Anodynum, ad Cardialgiam ex cauſa non inflammatoria natam.* 236

mbrocatio molliens, diſcutiens, animans, ad Paralyſin, Tumores, Anchyloſes. 304
mplaſtrum Anodynum, motum ſedans, ad Scirrhum nec reſolutione, nec exſtirpatione medicabilem. 336
—— Anodynum pro Temporibus. 337
—— Defenſivum rubrum. 338
—— Diſcutiens, Calfaciens, ad inveteratos dolores & affectiones ex cauſa frigida & lentore oriundas. 341
—— Diſſipans, ad Bubonem Venereum. 337
—— Hyſtericum Sydenhami. ibid.
—— Mercuriale ad affectiones Venereas. 341
—— molle, Saponaceum, ad Tumores inveteratos. 346
—— Reſolvens ad Contuſa. 340
—— Roborans, Calfaciens, Carminans, Stomachicum. 338
—— Stomachicum Pharmac. Londinens. 339
—— Veſicatorium. 379
—— —— —— fortius. ibid.
mulſio Alcalinae putridae acrimoniae oppoſita. 198
—— Analeptica, Demulcens, Incraſſans, ſpiſſior. ibid.
—— Anodyna, Narcotica. 199
—— Anthelmintica. 200
—— Balſamica ad Ulcera interna, Phthiſin, Gonorrhoeam, Paralyſin. 200
—— Balſamica, Antiſpaſmodica, Demulcens, Laxans, ad Colicam Spasmodicam & Calculum Renum. 203
—— Hydragoga, non inflammans. 202
—— Hyſterica. 201
—— Leniens, Balſamica, Conſolidans, in Phthiſi imminente. 200

Emul-

Emulſio Lubricans, Diuretica. 199
——— *Purgans, fortis, Scammoneata, ad Hydropem.* 201
——— *Reſolvens, Diuretica, in Aſthmate humido utilis.* ibid.
Epicarpia Antifebrilia. 291
——— *& Suppedanea ad Epilepſiam Infantum.* 292
Epithema ad Dolores Colicos a cauſa frigida, flatulenta, ortos. 269
——— *ad Nauſeam ab inordinato liquidi nervoſi motu ortam.* 258
——— *Adſtringens, Repellens, ad Aneurisma.* 260
——— *Anodynum, Demulcens, leniter Aperiens.* 258
——— *Aromaticum, promovens ſaburrae inteſtinalis excretionem in infante recens nato.* 257
——— *Hyſtericum.* 294
——— *Lactantibus utile ad dolentes Papillarum fiſſuras.* 261
——— *Molle, Excitans, Cardiacum.* 293
——— *Putredini reſiſtens, Cardiacum, in Gangraena.* 261
——— *Reſolvens, Anodynum, adverſus Arthritidem.* 260
——— *Reſolvens, Molliens, ad Ambuſta.* 292
——— *ſiccum ad Hydrocelen, Serum diſſipans, educens.* 270
——— *Stomachicum, Roborans, pro Infante.* 291

F.

Fomentum Adſtringens, Inteſtino Recto prolapſo, reducto, conveniens. 272
——— *Antiphlogiſticum ad Nephritidem.* 270
——— *Antiſepticum, calorem vitalem reſuſcitans, Inteſtino per Vulnus Abdominis egreſſo conveniens.* 260
——— *Laxans, Mulcens, Spasmos reſolvens, Flatus diſcutiens, adverſus Colicam.* 259
——— ——— *Reſolvens, Paregoricum ad Pleuritidem.* 258
Fricium liquidum, Antiparalyticum. 380
Frontale Cataplasmodes, Hypnoticum. 383
——— *Linimenti forma, Anodynum, Diſcutiens, Calfaciens.* ibid.

G.

Gargarisma ad proritandum Salivae fluxum in Variolis Confluentibus. 412
——— *Balſamicum, Conſolidans, ad Ulcera Faucium mundata.* 413
——— *Laxans & detergens, ad cruſtae aphthoſae lapſum promovendum.* ibid.

H.

Hauſtus Antemeticus. 223
——— *Aquam Purgans, nec acriter tamen irritans.* 233

Hauſtus

Hauſtus Emeticus, Antimoniatus, fortis, pro Adulto. 225
——— ——— — *Ventriculo cibis nimium infarcto.* 168
——— *Purgans, in Febre intermittente utilis.* 226
——— *Purgans in morbis putridis, bilioſis, non calfaciens, pro Adulto.* 168
——— *Purgans, in Scorbuto utilis.* 233
——— *Purgans pro Adulto, non inflammans.* 149

I.

Infuſo-Decoctum Abſtergens, Antiſepticum, in Spina Ventoſa. 172
Infuſum Antihydropicum; fluorem lymphae concilians, pro Plebejo. 152
——— *Picis liquidae.* ibid.
——— *Apophlegmatiſans.* 406
Injectio ad Cruorem coagulatum, extravaſatum, diluendum. 242
——— *Auricularis, Auri ſordibus induratis Obſtructae Conveniens.* ibid.
——— ——— *ulceri intra Meatum Auditorium abſtergendo, mundando, aptum.* ibid.
——— *Balſamica, Conſolidans Fiſtulam puram.* 243
——— *Detergens ad Urethram Ulcere Venereo eroſam.* 244
——— *Digeſtiva ad Fiſtulas curandas.* 243
——— *Mundans, Abſtergens, Antiſeptica, ad Fiſtulas & Sinus.* ibid.
——— *Uterina, Foetus mortui, putrefacti reliquias excutiens & Matricem emundans.* 244
Julapium Antihyſtericum. 216
——— *Antiphlogiſticum, Antiſepticum, Sitim & Aeſtum temperans, in Febribus bilioſis, putridis, Variolis, &c.* 212

Jula-

Julapium Cretaceum, Acido oppoſitum, Demulcens, Aſtringens. 213
—— *Confortans in metu Abortus ab incommodis graviditatis.* 215
—— *ex Decocto magiſtrali, Cardiacum, ad dolores a Partu.* 214
—— *in frigore Febris intermittentis conveniens.* 213
—— *Moſchatum, Antiſpasmodicum, ad Singultum.* 216
—— *Roborans, Calfaciens, Carminans, Acidum temperans.* 213
—— *Specie Infuſi, Antiphlogiſticum, in Variolis utile.* 214
—— *Spiritus excitans in Gangraena a cauſa calida, temperie alcalina.* 215
Jus Cancrorum fluviatilium. 170

L.

Lectulus & Pulvinaria Roborantia, Antirachitica. 269
Linctus vide *Eclegma.*
Liquor Antipodagricus. 234
—— *Fragrans, Cardiacus, Cephalicus.* 395
—— *Stipticus ad Narium Haemorrhagiam.* 39[illegible]
Litus ad Tineam. 376
—— *Antiparalyticus.* 374
—— *Antipleuriticus, Mitificans, Reſolvens.* ibid.
—— —— —— *Emolliens, Sydenhami.* 375
—— *Balſamicus, Anodynus, ad Papillarum dolores a fiſſuris, &c.* 372
—— *Balſamicus, Demulcens, ad Intertriginem.* 375
—— *Emmenagogus.* 373

Litus Leniens, Emolliens, in Dentitione difficili. 373
—— *Nervinus, Attrahens, Diſſipans, Calfaciens.* 375
—— *Purgans, Anthelminticus, pro infante.* 373
—— *Refrigerans, Repellens, demulcens ad Ambuſta & Eryſipelas.* 376
—— *Stomachicus, Carminans, Calfaciens.* 372
Lotio ad Intertriginem. 301
—— *ad Tineam Capitis.* 302
—— *Mundans ad Pediculos planos pubis.* 300

M.

Mixtura Adſtringens, ad Haemoptyſin. 225
—— *Alcali oppoſita, Saponacea, Abſtergens.* 223
—— — *Apophlegmatiſans, Odontalgiae Catarrhoſae apta.* 405
—— — *Balſamica, in Gonorrhaea conveniens.* 226
—— — *Cardiaca, pretioſa, Calfaciens, Diaphoretica.* 224
—— — *Opiata, Acidum temperans, Roborans, ad dolores a partu.* ibid.
—— — *Reſolvens ad Aſthma humidum.* 226
—— —— —— *Saponacea, Stimulans, Emmenagoga.* 225
—— — *Stimulans, Roborans, Antihydropica.* 236
Morſuli adverſus Acidum. 127
—— *Antihelmintici, Vermium nidum deſtruentes.* ibid.
—— *Purgantes.* ibid.
—— *Stomachici Carminantes in caſu frigido.* 128

N.

Naſalia ad Muci Narium excretionem promovendam. 391
Nicotiana Suaveolens, Cephalica. 324
Nodulus Anodynus ad dolores ab Haemorrhoidibus. 434
—— *Diureticus, in Hydrope conveniens.* 150
—— *Manſilis, Apophlegmatiſans.* 407
—— *Purgans, Antiphlogiſticus.* 169
—— —— *Roborans, Antirachiticus.* 149

O.

Oleum Vitrioli dulce, extemporaneum. 235
Opiata vide *Electarium.*
Oxyrrhodinum Demulcens, Refrigerans, Sopiens. 382

P.

Paſta Rubefaciens, Antifebrilis. 377
Paſtilli vide *Trochiſci.*
Pediluvium Refrigerans, Paregoricum. 303
Penicillus Adſtringens pro Urinae incontinentia nocturna. 439
Peſſus Acer, Stimulans, Aperiens, ad colluviem de utero excutiendam. 437
—— *Demulcens ad Proriginem.* 438
—— *Mundans, Detergens ad Ulcera Venerea.* ibid.
Phoenigmus Emplaſtrodes. 378
Pilulae Adſtringentes in Fibra Laxa. 111
—— *Antihelminticae.* 114
—— *Balſamicae in Gonorrhoea Venerea.* 113
—— *Emeticae in Febre intermittente.* 111

Pilulae Menagogae ad menſes cauſa frigida reſtagnantes. 112
——— *Narcoticae.* 114
——— *Pectorales, Balſamicae, Reſolventes, Abſtergentes.* 112
——— *Purgantes in Febre intermittente.* 111
——— ——— *in Scorbuti principio.* ibid.
——— *Reſolventes, Stimulantes, in Morbis a Glutinoſo Spontaneo.* 113
——— *Sialagogae, Mercuriales.* 114
Pomum Odoratum. 396
Ptarmicum Mercuriale valentiſſimum. 393
Ptarmicus Liquor. 392
——— *Pulvis.* 393
Pulveres Febrifugi. 78
——— *Sialagogi, Mercuriales.* ibid.
Pulvis Acidum temperans. 78
——— *adverſus Rabiem Caninam Specificus.* 79
——— *ad Vomitum Sedandum, quem Antemeticum Riverii vocant.* 74
——— *Anthelminticus pro Infante.* 75
——— *Apophlegmatiſans, Acrior.* 407
——— *Salivalis Mitior.* 406
——— *Dentifricius.* 399
——— *Emeticus pro Adulto nimia cibi copia repleto.* 73
——— *Excitans, Cardiacus.* 76
——— *Purgans in Cancro nondum exulcerato.* 74
——— ——— *in Scorbuti initio.* 75
——— ——— *pro Adulto.* 74
——— *Narcoticus in Peripneumonia.* 77
——— *Reſolvens, Antipyreticus, in Peripneumonia.* 75
——— *Stimulans & Reſolvens.* ibid.
Pulvinaria vide *Lectulus.*

R.

Rotulae adverſus ſitim. 134
—— Cardiacae. 133
—— contra dolores a Partu. 132
—— Purgantes, Antihelminticae pro Infante. ibid.
—— Sialagogae. 407
—— Ventriculum debilem, frigidum, Roborantes. 133

S.

Sacculi ad Eryſipelas, Diſcutientes, Repellentes. 272
Sacculus Cordialis, excitans in languore ab inertia defectuve vigoris nervoſi orto. 271
—— Frontalis, Calefaciens, Diſcutiens, ad Cephalalgiam aut Vertiginem a cauſa frigida natam. 384
Sapo Fragrans. 396
Scutum Stomachicum ad Nauſeam a turbis nervei ſyſtematis ortam. 268
—— —— Ventriculum Roborans, Calfaciens, Digeſtionem promovens. ibid.
Semicupium Emolliens, Anodynum, Calculo Ureteribus impacto proficuum. 301
Serum Lactis Antiſcorbuticum. 151
Sinapiſmus Cataplaſmodes. 378
—— fortior Veterum, Veſicatorius. ibid.
Sparadrapum ad Fonticulos. 339
—— Pectorale, Emolliens, Reſolvens, ad Tuſſim a frigore ſuſcepto. 340

Spiritus Antiſcorbuticus, Antiſepticus, minus Calfaciens. 234
Styli Dentifricii. 399
Suppedanea vide *Epicarpia.*
Succus Acido oppoſitus, in frigida ſcorbuti ſpecie utilis. 184
—— *Antipyicus in Statu Phlogiſtico Variolarum.* 183
—— *Diluens, Reſolvens, Abſtergens, ad Aphthas.* 184
—— *Emeticus in Febribus ex ingluvie.* 183
—— —— *in Hydrope utilis.* ibid.
—— *Emolliens, Aperiens, Humectans, ſolidorum nimiam rigiditatem corrigens.* 182
—— *in Scorbuti ſpecie Alcalina.* 185
—— *Errhinus, Muci e Naribus excretionem promovens.* 391
Suffitus Antiloimicus. 323
—— *Balſamicus, Exſiccans, Roborans, Ulcus Pulmonale mundatum Conſolidans.* 324
—— *Roborans, Diſcutiens, ad Hydrocelen.* 323
—— —— *nimiam per nares deſtillationem minuens.* 391
Suppoſitorium Acre, Stimulans, in Affectibus ſoporoſis, frigidis, utile. 434
—— *ad excitandas Haemorrhoides.* ibid.
—— *ad Alvum ſollicitandum pro Adulto.* ibid.
—— *Antihelminticum, necans, expellens Vermes.* 433
—— *Mercuriale, Aſcaridibus necandis aptum.* ibid.

T.

T.

Tabellae Cardiacae. 128
—— *Taedae Odoratae.* 326
Thea Medicata, Antiphthiſica. 151
Tinctura Antihydropica. 171
—— *Antihyſterica, Sopiens.* 235
Tragea Menſes promovens ex ſanguinis lentore ſuppreſſos. 77
—— *Peptica, Ventriculo debili, frigido, apta.* 76
Trochiſci ad fallendam ſitim. 121
—— *ad Ptyalismum ab Aphtis delapſis.* 120
—— *adverſus Acidum Ventriculi.* 121
—— *Dentifricii.* 399
—— *Fumales, Antirachitici.* 325
—— *Maſticatorii.* 408
—— *Opiati in Pulmone ſuppurato, rupto.* 120
—— *Suaveolentes ad foetorem ſpiritus* ibid.
—— *Sublinguales ad Prophylaxin a Contagio.* 121

U.

Unguentum Anodynum, motum ſedans, Scirrho dolenti aptum. 354
—— *Digeſtivum ad Contuſa, Attenuans, Antiſepticum.* ibid.
—— *Emplaſtrodes, Roborans, Calfaciens, Stomachicum, ad Nauſeam vel Vomitum.* 357
—— *Laxans, Mitigans, Sopiens ad Pleuritidem.* 355
—— *Mercuriale ad ciendum Ptyalismum.* 356
—— *Ophthalmicum. H. Sloane.* ibid.
—— *Pectorale, ad Tuſſim ex perfrigeratione ortam, pro Infante.* 354
—— *Purgans, Anthelminticum pro Infante.* 355
—— *Simplex, Emolliens.* 353
—— *Veſicatorium.* 379

V.

Vapor ſtimulans Nares in Apoplexia imminente ex cauſa frigida. 395
Vaporatio Antiloimica. 315
—— Emolliens, Reſolvens, ad gravem Auditum a cauſa frigida. 314
—— Laxans, Aperiens, Diſcutiens, ad Mammarum tumores. 315
—— Particularis, Emolliens, Reſolvens, ad Anginam Inflammatoriam. 312
—— Suaveolens ad foetorem loci corrigendum. 314
—— Uteri Menagoga, Incidens, Stimulans, Aperiens. 313
Veſicatorium Cataplasmodes. 378
Vinum Emeticum, Antimoniatum, valde movens. 148
—— —— pro Infante Rachitico. 149
—— Roborans ad Fluorem Album. 171
—— —— Calfaciens, Nervinum, Febrifugum, Emmenagogum. 150

F I N I S.

HIE-

HIERONYMI DAVIDIS GAUBII

O R A T I O
I N A U G U R A L I S

Q U A O S T E N D I T U R

CHEMIAM ARTIBUS ACADEMICIS JURE ESSE INSERENDAM.

HABITA XXI. *MAJI* MDCCXXXI.

QUUM PUBLICUM CHEMIAM PRAELEGENDI MUNUS IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA AUSPICARETUR.

HIERONYMI DAVIDIS GAUBII

O R A T I O
I N A U G U R A L I S,
QUA OSTENDITUR,
CHEMIAM ARTIBUS ACADEMICIS JURE ESSE INSERENDAM.

Si quae unquam, in ſcenâ vitae meae, magna mihi & peregrina obvenit mearum rerum viciſſitudo, ea ſanè eſt, quam hic nunc ſubeo. Locus inſolitus; inuſitata hominum frequentia, horumque omnium converſa in me ora atque oculi; munus inconſuetum; nova prorſus ſunt omnia: omnia alienam ſubitò indepta faciem, pari & ſtupore & ſolicitudine percellunt animum.

Scilicet in Academicâ panegvri perorare jubeor Chemicus, & quidem, dum officii ita poſcit ratio, de Chemiâ. An verò majus uspiam, quàm quod Mercurium inter & Vulcanum eſt, datur diſcrimen? An Artium ulla ab Oratoriae elegantiis abeſt longiùs, quàm Chemia? Chemia, inquam! quae aſpera, laborioſa, ſtyli incuria politioris, E-

lo-

loquentiae lenociniis nec ſtudens, nec accommoda, tota in opere verſatur, & cultores ſuos non per verba, ſed per ignem ſapere, per experimenta Philoſophari docet.

Inviſite animo ſaltem, ſi libet, officinam Chemicam! Ecquid putatis ibi inventuros? An numeroſam librorum congeriem, & ſuis pulchrè ordinata forulis ſexcenta Autorum volumina? An priſcae monumenta Eloquentiae, Rhetoribus tam exoptata; aut ſuggeſtum Tullianâ voce reſonantem? Nihil profectò horum: alia omninò eſt, quae hîc occurrit, ſupellex; alius planè apparatus: variae nimirum furnorum aliâ atque aliâ ratione conſtructorum, ſeries, ſuſtentando cuilibet ignis gradui appropriatae; erecta tecto tenùs loculamenta, quamplurimis artis operibus, ad praeparanda nova mox rurſum inſervituris, adimpleta; innumerae vaſorum, materie & figurâ diſcrepantium, ſpecies; carbonum ceſpitumque acervus nunquam defecturus; praeſtò ad uſum cola, cribra, ſpathulae, folles, forcipes, & ſi quae alia vel alendo igni, vel regendo requiruntur. Haec inter artificem videbitis, non otioſe ad pulpita deſidentem; ſed atras carbone manus, taciturnâ attentione, admoventem operi: fumo, cineribus, fuligine obſitum, jam igne intenſiſſimo duriſſima liquare metalla; jam vivis urere flammis vegetabile; hinc cautiſſimè oppoſita committere corpora, flammivomos mox in conflictus ruitura; illinc, calore moderato, rerum virtutes, exacto ad numerum ſtillicidio, elicere; electas alibi, tepore naturali, unire arctiùs & dige-

re-

rere; verbo: totum inter furnos defixum, excitando, applicando, moderando igne occupatiſſimum, hujus in corpora efficaciam modis omnibus explorare. Hoc opus eſt, hic labor ejus unicus.

Vanus heic quaeſiverit quispiam limatas Auguſtaei Seculi locutiones: vanus amoena Rhetorices illectamenta. Non aures hìc demulcentur, ſed oculi: nec verbis conciliatur ad ſenſus; ſed rerum teſtimoniis extorquetur.

Quid ergo animi putatis eſſe Chemico? Ubi â ſordidâ Vulcani officinâ in ſpectatiſſimum protractus locum, â furnis evocatus in ſuggeſtum, ſolis ſacratum politiſſimis ſermonibus, Oratoris ſuſtinere cogitur provinciam? Quid materiei creditis ſuppetere? Dum coram Principibus in republicâ Viris, in conſeſſu ſapientiſſimorum Profeſſorum, in conſpectu denique hominum in omni ſcientiarum genere perfectiſſimorum, de Arte, plerisque horum ignotâ, differendi incumbit neceſſitas? Sanè ſi aqua haeſerit trepido, facilem merebitur veniam.

Haec verò me ſors, hoc meos hodiè humeros premit onus: nec, quibus fulciar, ulla domî praeſidia mihi naſcuntur. Quin probè nota virium mearum tenuitas, & naturalis mihi, utut agendis rebus publicis inepta prorſus, verecundia id etiam animi dejicit, quod audax omnia aggredi juventus fortè addidiſſet.

Undequaque igitur circumſpicienti, unica demùm ſupereſt, quae locum refugii praebet, ſingularis Veſtra, A. O. O. benevolentia, toties experta iis, quos hoc è ſuggeſtu dicendi arduum preſſit

ſit munus. Facit haec, Vos eâ eſſe judicii lenitate, ſuo ut quemque modulo metiri, majora viribus nequaquam exigatis: quod quidem aliis dum generoſe adeò exhibuiſtis, quidni â Vobis & mihi pollicear ego, pro quo tot intercedunt majoris etiam momenti rationes? Juſta certè petitio repulſam ab aequo tulit nemine.

Quo fretus ipſi me accingo operi, cui Thema erit ex eo, quod auſpicor, officio deſumptum, & Veſtrâ non indignum celebritate. Conabor nimirùm oſtendere, *Chemiam Artibus Academicis jure eſſe inſerendam.* Quod dum ago, faciles in audiendo pariter & judicando Vos praebeatis mihi, enixè obſecro: uterque enim ſeu felix fuerit, ſeu ſiniſter Orationis meae eventus, Veſtrum me ſemper ad favorem allegabit, huic ut vel referam gratias, vel veniam impetraturus, ſupplicem.

Academiae eâ, quâ hodiê conſtitutas lege videmus, loci ſunt publici, docendis diſcendisque ſcientiis & artibus nobilioribus dicati, iisque hinc conditionibus & mediis inſtructi, quibus propoſitus iſte finis poteſt obtineri. Non ergo arti aut ſcientiae cuilibet ſua in his ſchola conceditur; ſed ultrâ vulgi captum elevata, *Nobilitatis* quodam emineat ſplendore neceſſe eſt, in Academiis quae pedem figere voluerit diſciplina.

Quodſi igitur vera hujusce *Nobilitatis* inſignia, palàm expoſita, Arti Spagyricae competere certis adſtruxero documentis, nonne propoſiti hodiè mei conſtabit ratio & veritas?

Virtus ſola atque unica, ſi Poëtae habenda fides,

des, *Nobilitate* impertit hominem: nec unius haec diei dos eſt; nec vera, quoties praeterquam ex natalibus, aliunde probari nequit. Idem verò & eâdem ratione obtinet in diſciplinis, modò, quod ibi datum virtuti eſt, heîc detur uſui. Laureolam certè quaerunt in muſtaceo, qui artis oſtenſuri dignitatem, pulchrè hoc ſibi agere videntur, primis ubi â ſeculis deductam ejus originem, objective & operum miram jucunditatem, aut quot numeraverit, quantosque ſuî cultores exponunt, parùm interim de utilitate ſoliciti, quâ ſine tamen ſordent omnia, antiqua fuerint, dulcia, aut quibusvis clara ſectatorum nominibus: externa enim iſthaec ſunt, & veram potiùs ornant *Nobilitatem*, quàm conſtituunt. Utile menſura eſt, illam quâ metitur, verum qui rebus pretium ſtatuere ſolus novit, ſapiens.

Quaecunque hinc uſum adfert eximium vel homini in ſe ſeorſim ſpectato, vel humanae ſocietati, ea demùm diſciplina jure *Nobilis* habetur. Quùm verò pars hominis melior, mens ſit, hanc quae recti bonique facit ſtudioſam, aut veri auget perſpicientiâ, utique aliis omnibus antecellit. Neque tamen hac multò inferior, quae corporis curat ſanitatem: eâ namque magis optabile quidquam vix datur mortalibus; deficiens unà praegravat animum & deprimit. Hoc quae opus ſibi ſumſit excolendum, ars dicitur Medica: priori ſtudet cum caeteris Philoſophia; unâ ſui parte moderandis occupata affectibus, alteram extendendis humanae intelligentiae limitibus in cognitione rerum exi-

exiſtentium dedicans: utramque ergo *Nobiliſſimam* ſuo receperè gremio Academiae, & jure civitatis donârunt, ne ipſo quidem livore contradicente.

Habent autem ambae hae objectum patens quam latiſſimè, & varias hinc ſub ſe complectuntur diſciplinas, quae partesne dicendae an miniſtrae? operâ ſingulae inter ſe diverſiſſimâ, ad eundem tamen ultimum finem, cum principe, ſub quâ militant, ſcientiâ communem, omnes collineant. Quum itaque & has ſuus quamlibet commendet uſus, & ſumma ad priorum perfectionem neceſſitas, hinc *Nobiles* etiam ab Eruditis jure habitae, debitum in Academiis locum obtinuerê.

Nonne verò talis eſt Ars Chemica? Cur ergò duram adeò haec experta ſortem, nonniſi poſt plurimas agitatas lites, liberam ſuî culturam in ſcholis Sapientûm impetrare potuit? Sanè, rigoris hujus juſtò acrioris cauſam vix determinaverim: ſi tamen, quod vero eſt ſimillimum, dicam, videntur ipſius Artis in ſe ſpectatae ignari, Artificum duntaxàt habuiſſe rationem judices, quorum ex arbitrio tum pendebant Academiae.

Nata nimirùm inter Metallarios & Pyracmonas Chemia; ab illiterato hoc rudique hominum genere primùm exercita; deturpata dein & obſcurata ab impoſtoribus; in ſe horrida, laboribus plena, plena periculis; ab otioſis ſpeculationibus aliena; ignem, fumos, cineres, ſordes ſpirans, vix ullâ amoenitatis ſpecie cuiquam ſe commendare potuit, niſi, qui penitiùs eam introſpicere dignaretur: atqui externam ejus faciem monſtroſam

adeò

adeò deformemque reddiderat cultorum & ruditas & malitia, ab interioribus ut perluſtrandis deterrerentur Eruditi, eodem haec, ſi non pejori de luto eſſe conficta, rati. Fruſtrà ergò ſuam oravit cauſam Chemia talibus coram Arbitris, qui praejudicatâ obcaecati opinione, & uſus ejus eximios, & ſummam neceſſitatem praetervidentes; ſententiam prius tulerant, quam cognoviſſent. Factum hinc, â publico ut Sapientûm commercio excluſa, privatorum exerceret manus atque ingenia, varias ſub variis paſſa fatorum viciſſitudines, nec fortè unquam Academicos in ſuggeſtus emerſura, niſi, quem nacta tandem eſt, cauſae patronum; an rabulam potius? Eremitam fortuna major quàm prudentia ſecundâſſet: hic enim coeco gementis hujus diſciplinae amore captus, quod autoritate rationali & luculentis rerum teſtimoniis agendum fuiſſet, bullato id verborum nugaciſſimorum apparatu, mox verò, quâ erat morum inſolentiâ, igne etiam & armis tentarè non dubitavit, ſucceſſu certè adeò felici, ut auſu hocce temerario intruſa in Academias Chemia ſede potiretur, vel ipſis contradicentium cineribus inaedificatâ. Hanc autem quàmvis vi partam, infirmoque hinc nixam pede, repreſſâ paulò poſt fundatoris ejus tyrannide, rurſus peſſum dederit impatiens cogi, litteratorum gens liberrima; id tamen inde Chemiae boni acceſſerat, quod durante iſthâc ſtatione ſuâ, propior Eruditis poſita, nonnullos horum, vividiſſimis quibusdam radiis, per offuſas ſibi quisquiliarum tenebras evibratis, latentis intus foecun-

diſſimi luminis ſui potuerit commonefacere: quo equidem animadverſo illi mox excitati, ulterius ad ſcrutinium ſe accinxerê, demtâque ſenſim impoſturarum larvâ, perruptisque, quibus obvolvebatur, ignorantiae nebulis, nudam tandem ſalutantes, Erudito Orbi produxere intuendam. Tum ergo propriis jam refulgens radiis Chemia, tum demùm, quae perſonata diſplicuerat tantopere, nativae ſuae reddita faciei, adeò pellexit Sapientes, dignam ut reputaverint, ipſorum quae in ſcholas adoptata, ſtrenuè coleretur.

Nec ſanè, ſi fateri vera velimus, aliâ Chemiae opus eſt hederâ, niſi, ut libero à praejudiciis oculo nuda, prout in ſe eſt, adſpectetur: tam neceſſariis enim pollet uſibus, tot jucundiſſimis arridet oblectamentis, Naturae ut curioſum ſuî facillimè pertrahat in amorem, pertractumque ullo ſine taedio detineat. Utique, ſi ſola contemplemur bona, quibus quascunque ferè artes manuales, humanae vitae commodis inſervientes, perfundit Chemia, quot, quaeſo, & quanta ſunt! Dies deficeret enumerantem: minima tamen haec, & pro parergis tantùm aeſtimanda. Nobilior eſt, quam menti, utilior, quam corpori praeſtat, opera primaria: huic namque illibatam tuetur ſanitatem, amiſſamque reſtituit; illi verò breviſſimam monſtrat in adyta Naturae viam, latentisque in profundo veri mira felix aperit, Philoſophiae hinc & Medicinae conjunctiſſima, nec ſine detrimento inde ſeparanda.

Id verò ne precariò Vobis obtrudere velle videar,

dear, evidentes nunc rationes proferam, quibus aſſerti conſtet veritas: eſt enim palmarium hocce argumentum, quod ſi evicero, propoſito Orationis meae Themati ſatisfactum arbitrabor.

Qui corporum naturalium proprietates, vires & effectus per ſuas quaeque cauſas ſciunt aut rimantur, Phyſici dicuntur; & haec eorum ſcientia appellatur Phyſica, Philoſophiae generatim ſumtae pars non minima. Ejus hinc objectum eſt, quidquid conceptum corporis ingreditur, aut eò reduci poteſt, ſive illud commune ſit omnibus corporibus, ſive peculiare ſingulis: quùm enim Materia indefinita, ſolis gaudens proprietatibus corporeis generalibus, in rerum naturâ non detur, nec dari poſſit; ſed tantùm ſit idea intelligentiae, clarioris doctrinae gratiâ efficta; corpora autem, quae re exiſtunt, omnia individua ſint, id eſt, adeò limitata & determinata, ut, praeter univerſalem illum Materiae conceptum, involvant peculiares etiam alias affectiones, quibus ſingula â ſingulis diſtinguuntur, & quae faciunt, ut corpus ſit hoc praeciſe corpus, & non aliud: inde clariſſimè liquet, communes illas Materiae dotes non modò, ſed & imprimis cuilibet corpori ſingulari proprias Phyſicae eſſe conſiderationis, utpote, quae corpora naturalia, prout verè exiſtunt, vel exiſtere poſſunt, contemplatur.

Proprietates corporum, quatenus certis quibusdam actionibus producendis ſunt idoneae, dicuntur vires: ex his autem, tanquam ex cauſis, fluunt, quoscunque obſervamus, effectus corporei, qui

hinc determinatam ſuarum quilibet cauſarum naturam ſequentes, ſi ſingularibus â viribus emanârunt, & ipſi neceſſariò erunt ſingulares, & contrà generales, ſi à generalibus.

Quodſi igitur ea hîc daretur ſimplicitas, ut peculiarium quorumvis corporis attributorum ſufficiens ratio in communi ejus naturâ fundaretur; jam equidem, praeter ſolam Mathematicorum operam, nil opus eſſet Phyſico ad finem ſuum obtinendum: hi enim ideam corporis univerſalem dedere omnium veriſſimam, & methodum ſimul exactiſſimam, quaecunque in illâ continentur, eliciendi. At verò quàm procul abeſt, haec quin ita ſeſe habeant! Detegit attentior obſervatio innumera certè in corporibus adeò penitùs peculiaria, ut cum generali illorum indole vix quidquam commune videantur habere, niſi ſolum, cui inhaerent utraque, ſubjectum: talia autem incognita ſi quis ex univerſali illo Geometrarum conceptu, utut accuratiſſimo, â priori eruere, aut cognitorum etiam ex hoc rationem exſculpere poſtulet, nae is & operae ſimul & olei jacturam ſerò doleat!

Atqui maximopere tamen expedit eorundem ſcientia Phyſico; quùm in his potiſſimùm haereat id, quo corpora à ſe mutuò intrinſecùs diſtinguuntur. Ea itaque ut evolvantur, non illâ certè, quae â datâ cauſae ideâ ad intellectum effectûs progreditur, ſed prorſus aliâ incedendum viâ eſt. Nimirum quidquid de corporibus verè concipit mens, id omne vel Phoenomena ſunt ipſi per ſenſus communicata, vel formata inde judicia: proprietates au-

autem & vires corporeae in ſe primitùs imperceptibiles latent; effectus tamen producunt ſenſibus apparentes, qui determinatae ipſarum naturae proportionales, hujus hinc cognitionem ſimul exhibent, adeò, ut quò ditior fuerit obſervatorum cujusque rei effectorum ſupellex, eò de ejus indole plus certi reſciatur. Haecque adeò ſola ſupereſt indagandis corporum ſingularibus via retrograda; dum alteram illam, quae â priori haec inveſtigat, humano ingenio imperviam prorſùs Natura fecit & inacceſſam. Sedulus hinc rerum ſcrutator experimentis priùs quam ratiociniis inſudat, ſenſuum adminiculo ſua examinat objecta, horum peculiares animadvertit effectus, quos ſponte ſuâ vel praevio tentata conſilio ediderint; corpora corporibus adplicat, rurſùmque ab invicem removet, ut, qui ê ſolis, quique è conjunctis fluant motus, experiatur; tùm verò ex hiſce gnaviter collectis, ſibique mutuò collatis quaeſitam corporum naturam propriam & ſingulares dotes à poſteriori demùm determinare haud infelix praeſumit. Nec ſanè ullo unquam tempore patuerê clariùs Naturae interiora, quam quo huic inſtitum eſt tramiti: parùm in Phyſicis profecerê, hunc qui vel ignorârunt, vel neglexere ſcientes.

Sed ecce! dum Phyſicis totus inhaereo, leniſſimo ipſius materiae quaſi flexu, in intima Artis Spagyricae viſcera me devolutum ſentio: reducit me in Chemiam, quae inde diverterat Phyſica; hoc ipſo docens affatim, quàm ſit propinqua amharum cognatio, quàm indiſſolubilis nexus.

 Non-

Nonne enim totum hoc, quod modò diximus, unius propè eſt Chemiae opus? Nonne haec corpora ſingularia ferè omnia, quae Phyſicae ſunt conſiderationis, ſpeciatim evolvenda ſibi ſumit? Imò verò vix aliud eſt Chemiae propoſitum, quàm corporum particularium examen. Quidquid Foſſilium in imis terrae viſceribus excoquitur; quidquid protrudit Vegetabilium, divite de ſinu, foecunda tellus; quidquid denique Animantium ubivis fovet alitque alma parens Natura; id ferè omne, modò vel ſenſibus manifeſtari vel capi vaſis queat, ſuo Chemia ſiſtit examini, rimatur, penetrat: penetrat, inquam, usque eò, ut quaecunque in illis vulgaria, facillimè obvia, aut extùs adhaerentia deſpiciens, tanquam ſe indigna, aliis relinquat Artibus; ſibi verò magis ardua quaerens, ſublimiora, abſtruſiora, intimas rerum virtutes, ultima principia, prima elementa perſcrutetur, hoc tantùm, nec alio venditura pretio ſuos labores.

Toto ſané die hoc agunt ſtrenui Artis hujus cultores: corpora alia aliis adponunt, rurſùm ab invicem ſeparant, ſoluta coagulant, coagulata ſolvunt, motus inde obortos obſervant, mutant, novos excitant inſtrumentis efficaciſſimis, variatâ in omnes modos encheireſi. Igne utuntur, Elemento mobiliſſimo, validiſſimo: Menſtrua praeſtò ſunt efficaciſſima, juxtà ſolvendi naturam appropriata. Quid autem his arduum? Quid inacceſſum? Haereant particulae corporis Adamantino inter ſe vinculo; ſint ejus viſcera aere vel triplici praemunita; lateant in profundiſſimo vires; talium

pro-

profectò arietum impetu diſſilient, effringentur, patebunt.

Quidquid vel agunt corpora vel patiuntur, ſolo id omne motui venit tribuendum; per hunc & omnis eorum ſeſe exſerit efficacia, & viciſſitudines quaecunque producuntur; hiſce igitur diſquirendis ſi navat operam Philoſophus, quânam breviore poterit viâ, aut potentiore quonam adminiculo ſui ſe voti reddere compotem, quam captis per Ignem experimentis? Cujus equidem adeò mobilis eſt natura, ut praéter motum aliud eſſe nihil, Viri Sapientes crediderint. Eſt verò & Ignis, quo pollet ipſe, motum aliis communicare corporibus paratiſſimus; & vis ejus, per plures gradus intermedios, intendi arte vel minui pro lubitu poteſt: unde certè quàm optatiſſima naſcitur Phyſiologo opportunitas, ejus ope abditiſſimas quasque corporum affectiones enucleandi. Iſtis enim applicatus, ſimul ea in motum ciet, in agilitatem propriam ſolicitat, medullitùs concutit, vires eorum evocat, auget, mutat, partes conſtituentes â ſe mutuò ſeparat, ſeparatas ſigillatim combinat, proprias rursùs harum virtutes in actum lucemque deducit, adeóque nudis uſurpanda ſenſibus praebet, quae aliâ quâcunque arte adjuti attingere potuiſſent nunquam. Quid autem hoc jucundius Naturae ſcrutatori? Quid utilius? Quid magis neceſſarium?

Superſedeo horum in fidem rerum adducere teſtimonia, ne in immenſam mea excreſcat Oratio. Latent illa neminem, niſi qui miſerè adeò

deperierit vetuſtatem, recentiorum ut in ſcriptis hoſpes ſit. Omnium inſtar ſint bina illa fulgentiſſima Magnae Britanniae Lumina, *Boyleus* & *Newtonus*: quibus certe haud perſpicaciores Naturae Myſtas noſtra agnoſcunt ſecula; an verò viderê retroactâ? Hi tamen in detegendâ ſingularium corporum indole, in eruendis propriis viribus, vix aliò quàm ad Chemiam recurrunt. Quidquid ferè inventum eſt ſolidi & pulchri circa naturam ignis, caloris, lucis, frigoris; quidquid innotuit de verâ colorum, ſaporum, odorum indole; quidquid de motuum terrae, igniumque ſubterraneorum cauſis; quidquid de Magnetiſmo corporum, & vi attractili, id omne Chemicis debetur experimentis.

Eſt ergo Chemia extendendis Phyſicis praeſtantiſſima: eſt Philoſophiae experimentali tam arctè copulata, ut, qui praeceptis ejus mentem non formaverit, ineptus ſit videndis Naturae arcanis. Utrique litem movet de jure Academico, qui uni movet.

At videor mihi audire nonnullos Veſtrûm objicientes: Eho! Hanccine tu Artem tot laudabilia praeſtare ais opera, & tam felicem eſſe in detegendis corporum virtutibus? Hanccine abſconditarum veritatum cognitione ornare animum adſeris? Quae gerris anilibus, hiſtoriolis fabuloſis, confictis turbati cerebri ſomniis ad nauſeam usque offerta, ſuos his cultores impraegnat; nec aliud quid, praeter arcana crepat nunquam viſa, ſaepe impoſſibilia, & ſicubi vera, non tamen niſi denſo in-

involuta peplo exhibet; adeò, ut auram quamvis fide Chemicâ tutiorem eſſe, veriſſimè cecinerit Poëta.

Hiſce equidem haud repugno; nec inficior: pleni ſunt talibus libri, plenae Chemiſtarum voces, quorum pars magna ſervulo illi Terentiano ſimillima, quae vera audiverê, tacent & continent optimè; ſin falſum, aut vanum, eſt, continuò palàm faciunt. At enim verò ecquis imprudens adeò, aut tam corruptus ſederit ad hanc rem judex, Arti ut imputet errores, delira quos & fraudulenta horumce Pſeudochemicorum turba diſperſit? His quia turpe videtur erraſſe ſolos, fucatâ hinc verborum ſpecie allectos quoque alios iisdem implicant erroribus, &, dum propriâ primi perierê ignorantiâ, ſequentes in commune ſecum trahunt exitium; id ſaltem adſecuti, quod, ſub coacervatâ aliorum ſuprà alios ſtrage, primae tegatur ruinae cauſa & autor. Non ſanè hi, praeter nomen, quidquam de Chemiâ poſſident, ne hoc quidem digni: quùm ſuorum duntaxàt ſenſuum cupiditatibus, aut maleſano natis in cerebro, hypotheſium monſtris obſequioſi, veras Artis regulas nec ſciant, nec ad illas conformentur.

Longiſſimè profectò abeſt Chemia, inanibus quin credat ſpeculationibus: aurium ipſarum ſubleſta illi fides eſt; ſolo acquieſcit oculorum teſtimonio. Hinc quicunque caſtè eam colunt, in ſingularibus primò corporibus, juxtâ praeſcriptum Artis, ſummâ exactitudine, & accuratiſſimâ omnium phoenomenωn obſervatione, Naturam ducem ſe-

cuti, varia inſtituunt experimenta; horum dein ſingulos quosque eventus ſenſibiles, bonâ fide, notant, & ex his demùm liquidiſſimè perſpectis, & ſibi invicem collatis, ſeveritate Mathematicâ eliciunt, quae clarâ & individuâ ſequelâ inde deduci poſſunt: haecque tandem ſunt, non alia, quae pro vèritatibus & Theorematis agnoſcunt veri Chemiae cultores. Quid verò eſt, ſi non haec certitudo eſt?

Quae cum ita ſint, neminem jam Veſtrûm dari putem, qui perneget, rationali Chemiae exercitio mirè adaugeri humanae mentis intelligentiam. Reliquum eſt, ut paucis, quos corpori adfert, uſus exponamus, Arti dum Medicae, hujus quae curam gerit, arctiſſimè ſociata, utiliſſimam pariter ac maximè neceſſariam praeſtat operam, non aliunde, niſi è Chemiae penu derivandam.

Phyſicae Medicinam firmiſſimè conjungi, utriusque docet contemplatio: haec itaque, quo cum illâ cohaeret vinculo, eodem & Chemiae nectitur; nec hujus demonſtratio plura exigeret, niſi propior adhuc ambarum daretur affinitas.

Ars Medica objectum ſibi primarium habet corpus humanum, vivens, hinc individuum, ſingulariſſimum, cui definitas aliorum corporum ſingularium vires, determinatis ſub conditionibus applicando, requiſitas in fine ſuo mutationes imprimit: tota ergo verſatur in ſingularibus, & ſi ulla alia, certè haec virtutes corporum peculiares, & in ſe invicem actiones, quàm diſtinctiſſimè perſpectas poſtulat: quùm autem hiſce indagandis, prae re-

li-

liquis quibuscunque Artibus, Chemia potiſſimùm omnem ſuam & unicè & feliciſſimè impendat operam, hâc ſine mancam fore mutilamque quis non videt Medicinam? Hinc eſt, quod mox, ac plebi erepta, Litteratos inter coepit vigere, nativo ſuo tùm ſplendore fulgens, Chemia, adeò in ſuî amorem & culturam omnes pertraxerit Medicinae filios, horum ut praeprimis facta fuerit opus, horum deliciae. Quid? Quod in ipſam quoque dein Artem Salutarem introducta, communem ſibi cum hâc finem adoptaverit, novo tùm nomine Jatro-Chemices, pro parte ſuî longè maximâ, inſignita: quo quidem ſibi placuit tantopere, omni ut ilicò conatu totam ſe promovendis ſociae ſuae pomoeriis indefeſſam dederit. Nec profectô, niſi ignarus rerum, pauca ea dixerit, aut flocci aeſtimanda, quae inde in Medicinam redundârunt, bona: quamcunque enim hujus partem, ſeu ſpeculatione quae abſolvitur, ſeu ipsâ quae in operis verſatur exercitatione, percurras; utraque innumeros clamat Chemiae uſus; utraque conſortium ejus ad ſuî perfectionem ſummè neceſſarium exemplis docet infinitis.

Phyſiologiam primò Medicam, ſi libet, contemplemur. Undenam, quaeſo, conſtitit, firmarum corporis humani partium Elementum ultimum & baſin eſſe Terram Virginem, ſimpliciſſimam, conſtantiſſimam, medio glutine oleoſo, pariter fixiſſimo, adunatam? Eò certè non progreditur ſubtilitas Anatomica: ſola id liquidò docet Chemia. Undenam verò fluidorum ejus ſingularis indo-

doles & propriae innoteſcunt vires? Exceptâ enim generaliori liquidorum ideâ, aliud illis ſimile fruſtrà quaeſiveris extrà regni Animalis terminos: imò ſunt ipſi etiam inter ſe quàm diverſiſſima. Deficit heic Hygroſtatica: Chemia ſola opitulatur; haec eſt, cui, quantum ferê in his ſapimus, debemus: Sanguinis naturam mediam nec Acidam nec Alcalinam; Seri ejus, ad calorem naturali majorem, facile coagulum; Bilis indolem ſaponaçeam; Salivae, ſucci Pancreatici, Lymphae temperiem, facultates, & innumera alia neſciremus, abſuiſſet Chemia. Quid nunc functiones memorem, hujus adminiculo pulcherrimè evolutas? Intimam alimentorum in primis viis ſolutionem; ſucci inde Chyloſi & Lactei proventum; cibi potûsque neceſſitatem, appetentiam; originem ſalium & partium ſulphurearum ex ingeſtis fere inſipidis; inſignem humorum per vires circuitûs mutationem (ut alia praeteream) parùm appoſite expiicuerê, quibus clarior Chemiae lux nondum adfulſerat.

Quodſi nunc pedem promoveamus ad partem Medicinae Pathologicam; innumeri, iique impeditiſſimi occurrunt, circà morborum cauſas, naturam & ſymptomata, nodi, quibus ſolvendis unica par eſt Chemia. Quis miros ſalium morboſorum in Scorbuto, Arthritide, Lue Venereâ ortus, variam indolem, alia ex aliis effecta unquam pervidiſſet? Quis fontem Acidi aut putridi oleoſi, in primis viis, Hypochondriacis tam moleſti? Quis Calculorum in Cyſti Felleâ, Renibus, & Veſicâ Urinariâ proventum? Quis cariei oſſium, adjun-

unctique foetoris cauſam? Quis tetras ſtagnantium humorum degenerationes in tenacitatem corneam, aut ſummam putredinem, acrimoniamve corroſivam? Quis denique caloris & frigoris, circulationis auctae vel diminutae varias in permutandis humoribus vires tam pulchrè in lucem ponere potuiſſet, niſi Chemia praetuliſſet facem?

Ex binis prioribus Medicinae partibus doctrina de Signis maximam partem derivatur: redundant ergò in hanc etiam, quos in illas confert Chemia, uſus. Exempla in promptu ſunt uberrima: Sanguis de venâ miſſus nonne luculentum internae diſpoſitionis praebet indicium? At veram ejus indolem, niſi examine Chemico, perſpicere nemo diſtinctè poteſt. Latet vera Lactis nutricum natura, quem Chemia latet. At quanti eſt, exactum de hoc judicium ferre poſſe! Dum toties miſeris illud infantibus, veneni inſtar, infinitorum cruciatuum, mortisque fit cauſa, dulcem quod vitae fomitem, ſanitatem & incrementum debebat addere. Si ſolis Medicis Medicus nunc loquerer, plurima hîc de Sputis, de Sudore, de Urinis, & Alvi excrementis dicenda ſupereſſent, quae ſatius tamen eſt involvere ſilentio; ne his audiendis minùs adſuetos prehendat nauſea.

Offerunt ſe denique poſteriores duae Medicinae partes, Hygieine & Therapeutice; quae uti inter alias nobiliſſimae, propiùs jam fini accedunt Medico; ita in has prae reliquis benefica Chemia, quidquid fere utilis, quidquid habet boni, ſincero adeò affectu, congeſſit, ut ne ſic quidem ſa-

tis-

tisfeciſſe ſibi viſa, majora viribus tentaverit, ipſos Naturae, ne dicam Artis limites vanis transgreſſa pollicitationibus. Ortus hic error ab artificum duxit ignorantiâ, qui miram videntes complurium ſuorum inventorum energiam, incitabantur eousque, finitae ut arti ineſſe crederent infinita. Hi igitur, quae commiſerê, ſua ipſi delicta luant; nec debita ideò Chemiae laus denegetur, collatâ quam ad ſanitatis tutelam, morborumque propulſionem operâ meruit. Quid enim? Nonne ejus artificio eſculentorum & potulentorum, aquarum, Vinorum, Cereviſiarum natura, virtutes & vitia cognoſcuntur optimè? Nonne Thermarum illa, Acidularum, aliorumque fontium, vi Medicatâ inſignium, elementa, compoſitionem & facultates tam liquidò manifeſtat, ut vel imitetur, & naturalium defectum arte factis ſuppleat, haud minoris ferè efficaciae? Medicamentorum principia, vires, agendi modus, & quidnam in unoquoque id ſit, cui maxima inſidet potentia, perſpicaciſſimum quemque, ſine analyſi Chemicâ, fugiunt. Quid nunc commemorem plurimas illas Mortalium aegritudines, quarum legitimam medendi methodum ſola ſuggerit Chemia? Quid ſexcenta enumerem ſelectiſſimae virtutis medicamina, quorum inventionis gloriam illa ſibi vendicat? Taceo benigniſſimam ejus operam, quâ lethalem nonnullorum corporum ferociam, laudabili adeò eventu, cicuravit, è venenis ut remedia evaſerint tutiſſima aequè ac efficaciſſima. Praetereo ſingularem ejus, in Medicamentorum viribus acuendis, extrahendis, in

com-

compendium reducendis, & ſub aliâ & aliâ gratiori formâ exhibendis, dexteritatem: ſi enim ſingula, pro dignitate, nunc proſequi ſuſciperem, dies dicentem deficeret. Videte, quae illuſtris Boylaeus, quae Bellinus, Bohnius, Stahlius, Hoffmannus, aliique laboribus ſuis Chemicis in Medicinâ praeſtiterê: verùm quid ad exteros provocare opus? Immortalia Veſtrûm omnium in manibus verſantur ſcripta, nunquam periturae credidiſtis memoriae acta praeſtantiſſima Viri verè Magni, quem fortunatò coràm hìc contuemur vivum O diu! ſoſpitemque: volvite haec atque revolvite, dictorum teſtimonia inventuri omni exceptione majora.

Ex hiſce igitur conſtat affatim, quanti ſint uſus, quot probatiſſima inventa, quam innumera beneficia, quibus Chemia quaſcunque Medicinae partes cumulat largiſſimè: patuit, quàm amplam, quàm neceſſariam ab hâc mutuetur Philoſophia experimentorum ſupellectilem. Nec quis jam porrò inficiatur minimè ſegregandam illam eſſe â numero Artium Academicarum, quae binis harum tam arcto vinculo cohaeret.

Ne tamen ullus relinquatur dubitationi locus, addendum aliud adhuc eſt argumentum, illos convicturum, qui fortè oggeſſerint, alias complures dari artes miniſtras, quarum licet egeant adminiculo diſciplinae nobiliores, ea tamen non eſt dignitas, harum ut albo inferantur.

Id equidem ſi in Chemiam quis contorſerit, ſciat is, non ſervile eſſe ejus miniſterium, ſed tale,

le, ut quam Academicis ſcientiis praeſtat operam; eandem ab his exigat viciſſim, & mutuetur reciprocam. Quemadmodum enim, ut perfectum quis in Phyſicum evadat, bonus ſit Chemicus oportet; ita non minùs bonum decet eſſe Phyſicum, ad plenam qui Chemiae notitiam adſpirat: ultrà vulgus ſapiat, emunctis accedat naribus, & imbutam artibus ingenuis habeat mentem neceſſe eſt, qui in Chemiâ laudabile praeſtare quidquam, & verus ejus cultor audire geſtit.

Quid enim? Nonne ſaltum facit maximè abſonum ſcientiae cujusdam addiſcendae cupidus Tyro, ſi generalibus illius regulis nondum cognitis, ad ſingularia mox pedem promovet? Nonne â ſimplicioribus ad magis compoſita, â facillimè obviis ad abſtruſa, Naturae ipſius ordo commonſtrat viam? Cuinam igitur tam parùm nota ſunt bonae praecepta methodi? ad corporum ut ſingularium deſcendere examen, horum inveſtigare occultas vires, affectiones proprias, effecta peculiaria attentet, antequam univerſalem objecti ſui ideam ſibi comparaverit. Addiſcat prius, quid ſit corpus? Quaenam ejus natura generalis? Quantum â mente differat? Virium praemittat & proprietatum communium indaginem; & ſuperficiem ante contempletur, quàm in viſcera penetrat: Artem calleat eâ, quâ decet, accuratione inſtituendi experimenta: denique nec legum ſit ignarus, quae ex datis, juſto ratiocinio, legitimas docent elicere concluſiones & Theoremata: hocque demùm apparatu inſtructus, operi ſeſe accingat

Che-

Chemico, fructus inde non poenittendos adſecuturus.

Qui verò aliter ſe hâc in re gerunt, nae illi oleum perdant & operam! Andabatarum enim more procedentes, impingunt undique; & emendato intelligentiae deſtituti lumine, quò in Chemiae adyta irrumpunt profundius, eò hallucinantur magis; nubemque tandem pro Junone amplexi, finem laborum omnium, erroribus, ignorantiâ, paupertate coronatum vident ſerò & dolent. Hi ſunt, quorum illotis olim manibus dum tractabatur Chemia, ſoediſſimis deturpata errorum & fabularum maculis, adeò ſorduit, inviſa ut Sapientibus & ſuſpecta eſſet. Hi ſunt, â quibus dein Eruditus Orbis, unà cum Arte nobiliſſimâ, deteſtandas illas accepit falſiſſimarum opinionum peſtes, inde in omne ferè Scientiarum genus propagatas, contagio vix non indelebili. Verificatum hìc tritum illud: Optimarum rerum abuſus peſſimi.

Non tamen iſthaec Artis ſunt ſed artificum: hos enim quamprimum contigit tales eſſe, quales ſibi poſtulat Artis ſublimitas, viros Mathematicè doctos, qui ſpretâ magiſtrorum auctoritate, Naturam ducem ſecuti, res ipſas, uti in ſe ſunt, contemplari, & de iis judicare, quàm praepoſterè credere maluerunt, mox ſordibus deterſis, aliam adepta faciem Chemia, & quibus ſcatebat ipſa, & qui inde in alias irrepſ rant ſcientias, errores non expunxit ſolùm; ſed horum etiam locum ampliſſimis ſupplevit inventis, ſolidiſſimis veritatibus.

Verùm deſino exhibendis veri Chemici requi-

ſitis immorari diutiùs; ne, horum plurima mihimet ipſi deeſſe nimis perſpiciens, tantillum etiam, quod mihi reſtat, animi, quo aliqualem adhuc in munere hocce meo ſperaveram ſucceſſum, prorſus abjiciam, &, nedum facto virium tentamine, palaeſtrâ fugiam imbellis.

Ex dictis autem abundè innoteſcit, Chemiam captu vulgi ſuperiorem, cultores exigere, praeliminari ſcientiarum Academicarum ſupellectile inſtructos: nec jam ulterius urgent, quae modò poſſe objici videbantur.

Quare, niſi vana me eventus ſpes fefellit, eſt, cur propoſito paratam fidem ſuſpicer: conſtitit enim, Artem Chemicam praeclariſſimis, quos animi pariter & corporis culturae praeſtat, uſibus inſignem, Philoſophiae & Medicinae maximè proficuam, ſummè neceſſariam, indiſſolubili haerere vinculo, utrinque firmiſſimo, hae ut illius operâ utantur, & vice verſâ. Quid demùm impedit, quò minus concludam, *Chemiam, Artem Nobilem, Artibus Academicis jure eſſe inſerendam?*

Veſtra igitur, ILLUSTRISSIMI ACADEMIAE BATAVAE CURATORES, unà cum NOBILISSIMIS VESTRIS COLLEGIS, AMPLISSIMIS HUJUS URBIS CONSULIBUS, Veſtra, inquam, ſapientiſſima eſt cura, quod in celeberrimâ hâc, cui tantâ cum gravitate, & inuſitatâ adeò vigilantiâ praeeſtis, Academiâ, huic quoque diſciplinae, largo firmatam pretio, ſedém ſtatueritis, & officinam, ejus exercitio aptiſſimam; nec hanc volueritis diu fri-

frigere, poſtquàm impetratâ, quam petiverat, miſſione honorificentiſſimâ, inde exivit Vir, ob ſociatam ſtupendae eruditioni plusquàm Herculeam laborum tolerantiam, eò certè provectus in Arte, verus ut Chemiae Reſtaurator meritò laudetur omnibus.

Quod autem Viro huic incomparabili, nec ambientem me, nec promeritum ſubadjungere Vobis viſum fuerit, Atlanti Pigmaeum; id equidem quoties attentâ mente perpendo, toties immenſum, quo Veſtra meritis meis praeponderat clementia, momentum attonitus miror, veneror humillimus. Juvenem namque, alienigenam, nullo dum ingenii dato ſpecimine notum, tanto quod condecorare honore, gratioſiſſimè ſitis dignati, cuinam magis rei adſcribam, quam immenſae Veſtrae benevolentiae & favori inaudito?

Temerarius equidem videri poſſem, quod nullâ tenuitatis meae ratione habitâ, hanc amplexus ſim provinciam, in quâ exequendâ, poſt tantum Praedeceſſorem, ne mediocris quidem applauſûs ſpes mihi affulget. At enim inglorius planè ſit oportet, animoque nimis abjecto, qui hinc dignitate, illinc liberaliſſimo excitatus honorario, torpeat, naſcentis fortunae ſuae incurius. Me ſanè, ut ut exiguas probè agnoverim vires, hi tamen ſtimuli haud pupugere inſenſilem: novum inſuper admovit calcar favoris pleniſſima Veſtra, de me meisque ſtudiis concepta, opinio: animum denique addidit conſueta Vobis & propria generoſae mentis indoles, quâ ultrâ, quâm juveniles pertingunt vires,

res, â juvene nil exigitis. His adductus conditionibus accepi munus: his fretus illud nunc auſpicor.

Faciet inſculpta animo meo ſempiterna hujus Veſtrae in me munificentiae memoria, omnem ut moveam lapidem, eâ ne planè indignus videar. Induſtriâ penſabo vires, ingenium aſſiduitate, labore indefeſſo aetatem, animo denique fulciam corpus, & quidquid in utroque eſt vigoris, totum id promovendis Academiae commodis unicè ſacrabo.

Sic, ſpero, fiet, ut beneficii, â Vobis apud me collocati, Vos non poeniteat, nec me pudeat accepti. Quod agentem juvet bonorum omnium ſcaturigo inexhauſta, Deus! A quo & Vobis, ILLUSTRISSIMI ACADEMIAE PROCERES, perpetuam ſalutis omnigenae & felicitatis intaminatae abundantiam, toto ex animo, apprecor.

Ad Vos me converto, CELEBERRIMI PROFESSORES! Vos alloquor, Clariſſima hujus Academiae Lumina! Miramini enim, dubio procul, juvenem, plurimis Veſtrûm incognitum, nonnullis autem, ſexennio vix elapſo, inter diſcipulos numeratum, eò procedere temeritatis, haec ut conſcendat ſubſellia, Veſtris ſacra doctiſſimis vocibus, Veſtris oraculis. At temeritatem ne putate, quae juſta tantùm aemulatio eſt, ſtudiorum commodis inſervitura. Quid quisque poſſit, niſi tentando, non didicit. Probabitis itaque auſum huncce meum, meimet ipſius notitiam mihi exhibiturum, nec ſanè â faſtu, â quo meritò

ſum

ſum alieniſſimus, ſed â latente in praecordiis honeſtae gloriae igniculo profectum. Juvat magnorum Virorum ad exempla componi. Vos igitur praeeuntes, à tergo conſpicabor, &, dum nunquam dabitur aſſequi, ſaltem ex intervallo ſequar. Quo ipſe Veſtram non praepediens viam, certa tamen repperero veſtigia, quae greſſus dirigent meos, nec aberrare ſinent. Hujus interim beneficii ea erit apud me vis, ut omni vos honoris & obſervantiae cultu, pro eâ, quâ eſtis, dignitate, venerabundus ſuſpiciam.

Vobis praeſertim, qui Philoſophiae & Medicinae ſacra, tanto cum omnium applauſu, panditis, VIRI FAMIGERATISSIMI! Vobis, dum & publicâ me & privatâ voce formaviſtis, omnibus & ſingulis, jubente ita pietate Praeceptoribus debitâ, ſingulari ut reverentiâ totum me in aeternum devoveam, pertinax faciet acceptorum memoria.

Eſt hinc, cur Tibi, VIR ACUTISSIME, PERSPICACISSIME 'sGRAVESANDE! publicas hîc nunc perſolvam grates, quod & privato me labore inconcuſſis Mathematicae Tuae Philoſophiae praeceptis imbuere non ſis dedignatus.

Tu quoque, ANATOMICORUM DEXTERRIME, SUBTILISSIME ALBINE! Qui, pari operâ, neceſſariam adeò fabricae humani corporis cognitionem per aures mihi & oculos infudiſti ſolertiſſimè, animum Tibi meum longè obſtrictiſſimum nunquam non comperies.

Te verò, CELEBERRIME BOERHAVI! Te

cum primis ni ſigillatim hîc compellem, mortalium ingratiſſimus jure habebor, ſi quid enim eſt in me ingenii, ſi qua artis Medicae peritia, ſi qua in Chemicis exercitatio, Tibi ego id omne ſoli debeo. Tres alias frequentaveram Tyro Academias, antequam proſperâ huc advectus fortunâ, Tuo ab ore penderim. Solam Te penes addiſcere praxin animus erat, ſtudiisque meis Academicis imponere coronidem: ſed vixdum primis guſtaveram labiis defoecatiſſimae Tuae doctrinae nectar, cum ſumma ejus dulcedo me mox tantopere rapuit, ut quidquid vel publicis vel privatis in lectionibus, ad quamcunque pertinens Medicinae partem, mellifluo ab ore Tuo prodiit, haurire ſategerim avidiſſimus. Dolens nimirùm vidi, fore per temporis mihi relicti anguſtiam, ut ablactarer citiùs, quàm ſatiatus à Te recederem. Sive itaque vernam diei ſpeçiem, amabilisſimis horti divitiis mirâ ſuavitate exponendis, dicares, jucundo Botanices ſtudio diſcipulorum animos tantò redditurus alacriores ad laborum magis arduorum tolerantiam; ſeu inter furnos deſudans, ad ſecretiſſimos Chemiae receſſus viam monſtrares, certo caſtigatiſſimae methodi filo tutiſſimam pariter ac facillimam; ſeu exacta ad normam Mathematicam ſtabilires Theoriae Medicae fundamenta, qùibus mox inaedificares immota Praxeos dogmata, medendi methodum feliciſſimam; Te ego ſecutus undique, illam potiſſimùm diei partem optimè à me collocatam credidi, quam Tibi conſecraveram. Totum ergo Tuum eſt, ſi quid

quid iſthâc meâ induſtriâ profeci: Tu ejus omnem fructum, jure Tuo, â me repetis: quod dum gratus agnoſco, poterat id ſolum Tibi me mille modis in aeternum devincire.

Tu vero, VIR MAXIME! cujus immenſâ eruditione non minor eſt ſingularis humanitas, hocce beneficium majore alio cumulaſti: dum eo quoque tempore, quo poſt exactum vitae Academicae curriculum vel exteras viſurus regiones, peregré profectus eram; vel praxeos exercendae gratià, in aliis hujus Belgii urbibus morabar; quoties aut literis, aut praeſenti Te colloquio ſolicitavi audax, miro ſemper favore mihi vacare, & ſaluberrima ſuppeditare conſilia non es dedignatus.

Imò ne hìc quidem ſubſtitit ſumma Tua in me benevolentia: nam Tibi etiam debeo, quo nunc impertior, laboris mei praemium. Tu, quod benignum adeò apud Proceres de me judicium tuleris, effeciſti, ut huic admotus muneri, hoc ſim honore ornatus. Dum igitur pluribus Tibi obſtringor nominibus, quàm quibus unquam diſſolvendis ulla me aetas parem faciet, accipe gratiſſimam horumce agnitionem, & ſempiternam, quam publicè hìc nunc tanquam in tabellâ ſuſpendo, memoriam in qualiscunque locum Chariſterii; & certus crede, omnibus me nervis eò adniſurum, Tibi ut monſtrem, quam procul abſim ab ingrati animi crimine! Plura adjicere Tua vetat modeſtia, meusque pudor.

Antequam tamen Te dimittam, jubet nota mihi mearum tenuitas virium, & operis, quod ſuſcipio, difficultas, Te ut enixê obteſter, velis eo-

dem, quo me huic admoviſti, favore, id aggreſſurum ſublevare, & Tuis, quoties imploravero, ſapientiſſimis mihi conſiliis adeſſe. Tibi, at quanto Viro! ſuccedo: Tu viae, quam toties triviſti, peritiſſimus, niſi praeiveris, omnem deſpondeo animum: manu igitur me prehende juvenem, haud aequis paſſibus Te ſecuturum; dumque, quò Tua Te divino ingenio ſociata decumana induſtria provexit in arte, eò eniti inſanientis eſt, id ſaltem fac ut laudis conſequar, Tuis quod veſtigiis reptabundus quidem, at non indecorus tamen, inhaeream.

Vos denique, PRÆSTANTISSIMI JUVENES! Vos, ſacrata Philoſophiae & Medicinae Pectora, alloquor! Veſtris enim uſibus totam ſe dedicat Chemia; veſtris arctiſſimè copulata ſtudiis haeret. Si quo igitur ejus amore capti, doluiſtis, aliquo illam tempore ſiluiſſe, erigite nunc animos! Patet rursùm officina: ardebunt furni: accedite, & mecum ad hos deſudate! Suprahumano labore, ſedulitate indefeſſâ, ſexcentis periculis, viam ante difficillimam expedivit Chemicorum Summus BOERHAVIUS, &, quo ipſe uſus eſt filo probatiſſimo, idem bonâ nobis fide porrigit: hujus ergo tenaces, Illum ſequamur ducem, tuti & felices in artis adyta penetraturi. Vobis ego me offero comitem, &, ſi placet, adhortatorem. Si quid in me eſt virium, officii, aut conſilii, utamini eo pro lubitu; Vobis id omne dico: Veſtris enim prodeſſe ſtudiis, ea demùm eſt votorum mihi ſumma, is laborum finis erit unicus.

D I X I.

HIERONYMI DAVIDIS GAUBII

O R A T I O

D E

VANA VITAE LONGAE, A CHEMICIS PROMISSAE, EXSPECTATIONE

PUPLICE HABITA

Ad D. XVIII. *Octobris* CIↃ IↃ CCXXXIV.

Q U U M

ORDINARIAM MEDICINAE ET CHEMIAE PROFESSIONEM IN ILLUSTRI BATAVORUM ACADEMIA, QUAE LEIDAE EST, AUSPICARETUR.

HIERONYMI DAVIDIS GAUBII

O R A T I O

DE VANA VITAE LONGAE, A CHEMICIS PROMISSAE EXSPECTATIONE.

Inter omnes, quotquot circa Corpora verſantur, Diſciplinas reperiri nullam, quae ardentiſſimo Naturam rerum perficiendi deſiderio ſuperat, ne dicam aequat, Chemiam, vel Oſor ejus vix negaverit.

Sive enim ea conſideres, quae, ſuis illa laboribus felix, hucusque praeſtitit, eventu palam cognita certiſſimo: Seu momenta ponderes eorum, quae repertis audaces, Artis Filii, conatu adgrediuntur pertinaci, atque efficienda tandem promittunt: nonne ad unam fere omnia ſummamque collineant Corporis perfectionem?

Nobilem Metalli maſſam, tot tantisque accommodatam uſibus, ut generet Natura, ſinceram raro offert: Chemicus puriſſimam de matrice excoquit; in qua latuiſſet ſemper inhabilis. Quod per ſexcenta lignoſi corticis volumina, latiſſimam in ſuperficiem, diductum haeret, Cinnamomi Aroma

ma incomparabile, proh! quantis dives viribus; id paucas coactum in guttulas petenti tradit Chemia integerrimum, at vi unita tanto magis actuoſum. Quid memorem, quas peſſimis e Venenis ſalutiferas, ex inertiſſimis corporibus mire efficaces parat Medicinas? Quid alia plurima? Quae uti ab Arte hac quotidie exhibentur, ita docent affatim, quantopere Ipſi cordi ſit objecti ſui ultima perfectitudo.

At quantùm iſtis omnibus nobiliora exſurgent! Si quando, datis Illa ſtans promiſſis, ea tandem pepererit, quae dudum jam parturiit. Tum vero demum Metallorum viliora, Chemici ſub manibus, conſummatiſſimam Auri Argentive indolem cernetis induere; abjecto e lapide Gemmas fingi, dote nulla inferiores nativis: Stirpes mirabimini & germine laetiſſimo, & inuſitata fertilitate, omnem ſuperare exſpectationem, Animantia quaevis, ſuo in genere, reddi perfectiſſima, vitaeque vigore ad ſummum evecto vivaciſſima: quin & ſtupebitis tandem, vitam ab Homine duci in ſecula conſtantiſſimam, omni dolore vacuam, abſolutiſſima felicem ſanitate, ſimplici duntaxat reſolutione, absque lucta, placide delicturam.

Numquid percipitis, A. O. O H. Saturnia heic deſcribi Regna, ultimumque, quo pervenire terrena poſſunt, praeſtantiae faſtigium? Numquid amabilis horum imago tanta ſe animis Veſtris dulcedine commendat, haec ut molienti atque promittenti Chemiae Deos Deasque omnes in auxilium comprecemini?

Sed

Sed praecocem tantiſper coërcete impetum! Memores, quantum promiſſis diſtent praeſtita. Ut enim, quo praeclariſſimis quibusvis peragendis inſudant Chemici, vehemens ſtudium non ſit illaudabile; ut, inventorum animati prodigiis, adeo nihil arduum putent, ſua quod ſuperari Arte nequeat; haud tamen eſt, cur nullo hanc credamus limite circumſcriptam: cum ne Natura quidem eo careat.

Poterat equidem immanis Gigantum acies, congeſta montium ſtrue, ad ſidera eſcendere: at Jovi extorquere fulmen; id vero uti Terrigenûm viribus majus, ita conari inſanum erat. Idem in Chemicos jure tranſtulero: quos, dum portentoſis experimentorum eventibus tumidos fallax Phantaſiae vis altiora juſto petere hortabatur, Humanae tamen tenuitatis conſcientia moliminis irriti mox commonefacere debuiſſet.

Ne autem durius haec dixiſſe videar, e plurimis Chemicorum pollicitationibus unicam hodie excutiam, & quidem illam, quae, dum ſuaviſſimae offert Vitae prorogationem, Homini ſane mirum in modum ſubblanditur. Conabor nimirum evincere, VANAM ESSE, QUAM DEDERUNT CHEMICI, VITAE LONGAE PROMISSIONEM, PROMISSAMQUE FRUSTRA EXSPECTARI.

Credimus illa proniſſimi, quae vera eſſe optamus, fucosque in his nobis factos aegre aliquando, nec ſine renixu, abſtergimus. Quam vero dulcis eſt vitae protrahendae ſpes? Quam difficile hanc animo inſidentem oppugnare? Haud igitur, prae-

praeterquam illi, qua Chemici lactarunt, me opponam, non quidem evellere conaturus omnem, ſed in aliud ſaltem fundamentum transferre. Ita videlicet tam perſuadendi vi pollebit majore Oratio mea, quam utrique, cujus, O felix! eſt auſpicium, Medicinae & Chemiae Profeſſioni magis accommodabitur.

Vos igitur A. O. O. H. dum argumenti, quod cuique Veſtrûm curae cordique eſſe debet, dignitas id poſtulat, aure benevola, & aequo animo, ut ſublevetis dicentem, etiam atque etiam rogo; cauturus interim, ne, differens de vita longa, incomptae dictionis longitudine, moleſtus evadam.

Quidquid in Homine actuoſi diſtincta detegit obſervatio, a duobus ſaltem pendere principiis, adeo omnes admittunt ſanioris Philoſophiae Filii, ut vel in axioma propemodum abierit. Neque minus tritum eſt ubique, horum alterum vocari Mentem, Corpus alterum; haecque bina, mirabili colligata nexu, unum integrumque conſtituere Hominem.

Atqui ambo tamen indolis ſunt inter ſe quam diverſiſſimae; nec interim, ut arctiſſimo ſibi haereant vinculo, naturas temere commiſcent, ſed ſuam quodvis tuetur intaminatam.

Actiones igitur cum principii, matris ſuae, referant ingenium, & ab his ipſis Hominem dicamus vivere: quid demum eſt manifeſtius, quam Vitam ejus ſimplici haud poſſe notione comprehendi?

Errorum genitrix, perturbatio primum heic obgeſſiſſe

geſſiſſe ſcopulum videtur, ad quem nonnulli Chemicorum, de longaevitate ſolliciti, impegerunt.

Scilicet uti duplex in Homine principium vivens; ita Vitae triplicis, nequaquam confundendae, reperio documenta: quae dum vel indicavero, mox mecum Ipſi agnoſcetis.

Enimvero ſua primum Vita eſt Animo, quae, quidquid in corpore concipimus, excludens, vi ſola vario modo cogitandi ſe manifeſtat. Divinâ haec nobilis proſapiâ, hinc mortis fato ſuperior, nec Chemica indigens, nec Medica ope, durat nunquam deſitura.

Aliter vero comparatum Corpus eſt. Id, dum e partibus coiit, quarum vi adunatâ vivit, lethali hinc, uti compoſita quaeque, obnoxium diſſolutioni, fluxam agit Vitam, &, heu! nimium volubilem. Haec igitur quum corporeis ſuſtentetur pabulis, illorum ſane, haec qui tractant, regi conſilio & arte poteſt.

Tertia autem Vitae in nobis ſpecies illa demum eſt, quam uno omnes ore Vitam vocamus, quae, ſola integro propria Homini, utrique ejus ex aequo communis principio, mutuam amborum unionem pro baſi habet, duplicemque, quam dixi, Mentis & Corporis Vitam, media veluti copula, conjungit. Haec eſt, cujus uti effecta noſtrum quilibet vel manibus etiam palpat, ita naturam tamen omnium intelligimus minime. Nec enim ad unguem excuſſa ſigillatim Animi, Corporisve, Vita propria quidpiam promit, ſufficientem quod involvat, doceatve, hujus connubii rationem. Quid ni

igi-

igitur à priorum utraque diſtinctam hancce concipiamus Vitam, ſingulari quoque Vitae Humanae nomine donandam? Mortalitate ea quidem Vitae Corporeae eſt adfinis: an vero ſimiliter, uti haec, directae Phyſicorum operae obſecundet, paucis ut disquiram, nihil non hortatur.

Eo nimirum Paracelsi proceſſit Philoſophia, Mentem ut finxerit Humanam continuo quodam conatu fugam à Corpore moliri; at, vel invitam, ibi alligari atque retineri vitae tertiae, Balſamicae, adminiculo; cui labaſcenti novum ſi adjungatur a Chemico Balſamum, poſſe ſic vitam prorogari. Id ſane, ſi quid intelligo, videtur innuere alicubi ſcribens, quod Corpus ſupracoeleſte Corpori Phyſico, ſemper in vitam brevem tendenti, inhaerens, ab hoc aſſidue fugiat, ſed cohibeatur a Mumia Balſamita; qua deficiente ſtatim avolet, niſi Balſamo novo, extus ingeſto, detineatur. Ignoſcant Ejus Sectatores, ſi in tyrociniis adhuc conſtitutus mentem Magiſtri non attigi. Et Vos date veniam, quorum caſtas aures barbara offendit loquacitas.

Quodſi haec ita ſe habent, patet ilico, ejus, qui Vitae prorogandae ſtudet, id eſſe primarium opus, ut mutuam illam Animi cum Corpore copulam ſuis praeſidiis ſuſtentet. At vero tantum abeſt, hoc ut ſentiam, ut potius, id nec fieri poſſe, nec requiri, exiſtimem. An recte? Vos judicabitis ex argumentorum, quae produco, pondere.

Duo cognoſcimus ſumma rerum creatarum genera; Mentem videlicet atque Corpus: & ſi quod in-

inter haec medium, aut a ſingulis diverſum, datur, id, ignotum quippe vel incertum, ſpeculanti quidem dare materiem poterit, at operantem Phyſicum juvabit nihil. Ex utrorumque uno compoſitus Homo, ut ſuo ſe loculo ab aliis, extra ſe, omnibus ſecludit, ita cum his tamen reciprocum actionis paſſionisque commercium determinatis gerit ſub conditionibus; quae, quoad novimus, ita habent. Corporeum ejus principium, directe quidem, cum aliis extra ſe Corporibus, at cum nulla, praeterquam ſibi juncta, Mente communicat. Mens vero caſtior cum ſolo ſaltem, cui inhabitat, Corpore quam proxime converſatur, omnem, niſi quae hujus interventu fit, reſpuens cum extraneis utriusque generis familiaritatem. Corpus igitur ſolus ille veluti Proxeneta eſt, quo intercedente, cum aliis circumſtantibus agit Homo: omnisque hinc actio mere corporea eſt, quae vel ab eo in externa, vel ab his in illum, dimanat. En! Limites mutui inter Hominem & univerſum commercii. En! Quidquid virium datur Homini in Hominem.

Nunc Te compello, Arcanorum Monarcha, Theophraste! Ecquid acturus es tandem, ut Mentem vel propriam, vel alienam, fugae ſtudioſam, ſuo in corpore detineas? Quonam ferrumine illud Tu firmabis, ſi forte laxius eſt, vinculum, quo infinita Potentia Tuam cum Tuo tantum, ſingularem cum ſingulari, Corpore Mentem, excluſis aliis, unire voluit? An Mente id, an Corpore, molieris? Aliud enim, quod proferas, nihil

hil ſuppetit. Age ergo! Mentem applica; & Tuam quidem, utpote cui ſoli imperas! Et quid fiet, ſi omnem hujus fortiter intendis efficaciam? Cogitabis: nec quicquam ſic in altero, extra Te, mutare valebis. At cave ſis, hoc remedio Tibimet longaevitatem quaerites! Nam contra, Tuo ipſius judicio, de vita periclitaberis; quia rei ſimplicis non niſi unica eſt virtus. An vero Corporeis mavis uti viribus? At tum, quidquid ages, ad motum reduci poterit: quo tamen, ut validiſſimo, promovebis nihil; quum is nec cadat, nec efficax ſit in Mentem. Atqui ultra non datur progredi. Inanis igitur heic eſt omnis labor Tuus: imo incaſſum omnia cadunt induſtriae Humanae molimina. Et, ſi haec ſola eſt, qua longam ad vitam pervenitur, via, fruſtra erit, quisquis in ea obtinenda elaborat Homo; quippe nihilo plus acturus, quam qui colloquio, ut ajunt, morientem in vivis retinere conaretur.

Benignius tamen nobiſcum egit Natura, quae, poſtquam Mentis cum Corpore ſtabiliverat unionem, noſtris ex ſe ſuperiorem viribus, tam firmiter eam Vitae innexuit Corporeae, prius ut, quam haec penitus fuerit deſtructa, diſſolvi nequeat. Non enim Menti conceſſa libertas eſt, quam incolit, domunculam pro lubitu deſerendi. Imo tantum abeſt, ut inde aufugere illa conetur, eam ut potius inſito quodam amore videatur diligere, nec, niſi invita, & cum renixu quodam, derelinquere. Omnium certe, quas Animo terra ſubminiſtrat, voluptatum dulcedinem tempus per-

ver-

vertit; vitae vero ſuavitatem etiam auget.

Quocirca nec illorum probabilis eſt Opinio, qui ſtatuunt, Mentem, commercii cum Corpore pertaeſam, aut ob enata in eo obſtacula ſuis in actionibus nimis impeditam, inde poſſe egredi; primamque & praecipuam mortis noſtrae cauſam in illius e corpore diſceſſu eſſe collocatam.

Vos tamen Senes adſpicite exhauſtiſſimos, quibus nec pes, nec manus, nec ſenſuum quandoque ullus, officium facit: vix reperietis, quem aurae vitalis coeperit taedium. Fata quidem deteſtantur, quos anguſta domi res, aut adverſae fortunae caſus, minusve proſpera valetudo, ſexcentis opprimit calamitatibus: at vivere tamen dulce habent. Quin &, quod maxime huc facit, hi ipſi, quos eousque agitarunt Furiae, Homine ut exuto vitae exitum illatis ſibi manibus parent; hi ipſi, inquam, necare Corpus coguntur prius, quam Animum queant excutere. Quid ni hic exſilit potius vivo è Corpore, ſenſum agonis horridiſſimum effugiens? Si, quod immane hic datur, taedii pleno fores patent.

Quae quidem hactenus dicta, una cum aliis, ob temporis brevitatem nunc reticendis, manifeſte ſatis indicant, Vitae Humanae diſſolutionem pro ſequela potius, quam cauſa, mortis Corporeae eſſe habendam; nec poſſe Mentem e Corpore, niſi vita functo, egredi; nec Hominem prius mori, quam Corpus Humanum.

Erigite ergo Animos, A. O. O. H.! quos durior modo dictio proſtraverat. Patet alia ad lon-

gaevitatem via, obliqua quidem, at noſtris tamen non inaceſſa viribus, Humano calcanda pede. Non ſeparantur enim bina Hominis principia, quamdiu mortale vivit. In hoc autem agendi facultate non deſtituimur. Quid opus pluribus? Praeſto eſt anſa corporea, qua retinere Divinum illud datur. Corpus curantes cohibemus Mentem. Redit ergo totum Vitae Humanae prorogandae negotium ad ſolam Vitae Corporeae ſuſtentationem: quae quanam ſit ratione obtinenda, jam diſpiciamus.

Ne tamen, in Veſtram peccaturus lenitatem, ab ovo, ut ajunt, ordiar, id nunc mihi detis velim, alibi quod demonſtratum eſt. Vitam nimirum Corporis Humani in determinato quodam humorum per canales motu conſiſtere; qui, undecunque demum primo productus, a ſola tamen partium indole atque fabrica, Mechanicis legibus ſubjecta, tanquam ab interno principio, fovetur atque continuatur. Is igitur abſolute ſufflaminatus Mortis heic ideam praebet: quae quidem ſi ex actionibus, cum vita neceſſario conjunctis, fluxerit, Mors audit Naturalis; ipſius quippe vitae naturam pro cauſa agnoſcens. Haec vero ſola eſt, qua de arcenda nos nunc agimus, longam cum ſana Vita, monitu VERULAMII, minime confundentes.

Ut ergo ordine procedamus, inquirendum eſt in illas conditiones Phyſicas, quae, cum a Vita Corporea ſeparari nequeant, hanc tamen, ſequela inevitabili, labefactant, atque tandem penitus

ex-

exſtinguunt. Suppeditat eas motûs, in quo vita conſiſtit, partiumque, quae moventur, natura: prout e mox dicendis patebit.

Attento quisquis animo actiones perpendit, quas ab Humano Corpore, quamdiu vivum id vocamus, exerceri neceſſe eſt, adparet huic ex facili, certum quendam in firmis ejus partibus flexilitatis gradum inter dotes eſſe eò vel maxime requiſitas. Sapientiſſimus hinc Naturae Author e particulis illas primum fabricatus omni dimenſione minimis, ferrumine non inſuperabili unitis, cunctas in minutos deîn performavit tubulos, quorum per cava fluens continenter humor mutuam impediret laterum concretionem, rigiditate nocituram.

Nec alia ſane fabrica aptiore is obtineri melius potuiſſet finis. Interim haec ipſa tamen, ut prohibeat, ne variis, quibus Vita alitur, motibus disrumpantur ſolida, aliud producit alio reſpectu malum, inde ſequens neceſſario, quod primam quidem inconſtantiae Vitae hujus cauſam dixero naturalem.

Ut enim Adamantinam firmarum partium duritiem excludit Vitae neceſſitas; ſic lege non minus ſtabili requirit eadem tantam vitalis motus efficaciam, quae certo quodam caloris gradu totam foveat compagem. Sed hunc, in machinis ita conſtitutis, ſine attritu fieri haud poſſe, quis non videt? Attritus ergo partium inter ſe motarum mutuus Vitae inſeparabilis haeret comes, nec tolli, niſi ablata, ipſius Vitae natura, poteſt. At quantum inde noxae! Abradit ille minima de vaſculis

tenerioribus ſtamina, fluidorum attenuat elementa; hinc utraque, inter ſe commiſta, eo diſponit, motus ut vi, qua data porta, e Corpore projiciantur.

Sic propriam ruit in perniciem Vita, eo celerius etiam, quo vegetior eſt, ſemet deſtructura, niſi aliunde fiat detrimenti reſtitutio. Hoc cogita Homo! Et Vitae longitudinem mirabere magis, quam dolebis brevitatem.

Adeſte jam, qui tot ac tanta promiſiſtis, Chemici! Obſtate hoſti, intra octiduum Vitam exſtincturo! Experiamini veſtrae vires induſtriae, num quid heic valeant! An attritum tolletis? Motum ergo ſiſtite, a quo ſeparari is nequit! At haec ipſa mors eſt. An partes detritas conabimini reſarcire? Id vero collatis omnium Chemiae arcanorum virtutibus efficietis minime. Lapidem potius, aut Solvens Univerſale, a Vobis exſpectavero, quam arte paratam Veſtra vel unicam veri ſanguinis guttulam, ſolidaeve partis ſtamen exiliſſimum. Tentaſtis nunquam, ſi obloquimini.

Quare & hinc agnoſcite, quanto Natura ſit arte ſuperior. Sola haec ab inteſtini manibus carnificis vendicat Corpus: ſola haec vitam compeſcit, ex neceſſitate, propria quaſi in viſcera ſaevientem. Mechaniſmo etenim inimitabili effecit, ut detrimenti author, motus, eadem, qua praedatur, vi, ablata denuo reſarciat. Scilicet ut mutua humorum vaſorumque actio attritum, adeo hic inimicum, creat; ita haec ipſa materiem ex ingeſtis parat, deperditae ſimillimam, paratamque partibus,

bus, jacturam paſſis, ſuam cuivis retribuit tantam talemque, quantam & qualem ſingulis abripuerat. Sic renaſcitur indies, quod perpetuo moritur, Corpus; &, quas ſibimet Vita infligit plagas, ipſa mox medicatur.

Evaneſcit ergo, quidquid ab attritu naturali naſcitur incommodi; & tota Vitae continuatio ſolâ nititur vi aſſimilandi. Haec vero quum unius ſit Naturae facultas; &, quibus Vita, iisdem abſolvatur cauſis; non eſt, cur ſingularem ab Arte petat, admittatve, operam: utpote communibus cum ipſa Vita legibus obediens, hac pereunte demum peritura. Nec caeterum, praeter unicam alimenti coctilis ingeſtionem, datur aliquid, hoc quod in opere Hominis relictum eſt arbitrio. Hanc ſi curamus, reliquum ſponte, inſciis nobis, Natura perficit. Atqui vel ipſa haec indito etiam ſtimulo nos eò compellit.

Quodſi igitur haec ſola foret, Vitam quae labefactat, cauſa neceſſaria, Naturali ſane Morti nullus daretur locus, pulchramque exhiberet Corpus Perpetui Mobilis ideam, in quo attritus rapinam machina ipſa refundit.

At vero alium juxtim ſovemus hoſtem, priore quidem lentius, ſed aeque certo obrepentem; qui ex inſidiis veluti agens, ſpecioſo primum roboris praetextu ſeſe inſinuans, adauctis ſenſim viribus ita invaleſcit, ipſam ut fallat, tandemque nece opprimat inevitabili Naturam. Eſt haec, quam adeo adulto in corpore laudamus, partium firmarum fortitudo, quae, dum ex cauſis, vitali a motu non

randis, indies augetur, in immedicabilem poſtremo deſinit rigiditatem, neceſſario mortiferam.

Vultisne rei dem documenta? Praeſto ſum. Tenellum modo Infantis recens nati corpuſculum cum grandaevi corpore Senis conſerte, ſanum cum ſano! Palpabitis etiam ſummum quoad firmas partes diſcrimen. Infanti mollia, ſuccoſa, cerea ſunt omnia; ſuperficies tota vaſis ubique hiantibus perſpirabilis, turgidula, liquidis veluti tranſparentibus ſufferta; oſſa ſequaciſſima, maximam partem cartilaginoſa; ipſae cartilagines minus compactae, magis membranoſae; caro, membranae, viſcera quaecunque teneriora, pulpoſa, facile diſſolvenda. At decrepitum contrectate Silicernium! Quam immanis differentia! Totum huic corpus aridum exſuccumque riget; cutis innumeris contracta rugis, frequenti callo impervia, intropreſſis quaſi humoribus vacans, palleſcit, ſicciſſima oſſa, admodum fragilia, omnem fere perdiderunt in articulis cartilaginem, utpote in os mutatam; membranae, vaſa, ligamina, duriorem cartilaginis, quandoque veri oſſis, referunt naturam; caro tenaciſſima, copioſo tendine plena. Verbo: denſa, coacta, tactui reſiſtentia, rigida omnia. Et, ſi Humani Corporis non adeo placet propior inſpectio, Gallinula cum Gallo vetere, Vitulina cum annoſi Bovis comparata carne, idem vel inter epulas Vos docebit.

Eſt igitur firmarum rigor partium conſtantiſſimus Senii, etiam aliunde non morboſi, comes: eſt naturalis illa mutatio, ob quam ſenectus ipſa morbus vocatur.

Nec

Nec ſane difficile foret demonſtrare, ex ſola vitae, fabricaeque corporis, natura illum ſequi neceſſario, eſſe hinc inevitabilem, & ſerius, ocyus, certo tamen, demum obvenire. Sed video, tot mihi alia ſupereſſe, ut, niſi properem, Chemica Vos lactaſſe promiſſione dicar.

Quicunque legum Hygraulicarum non ignarus, ſolidorum Corporis ex vaſis, vaſorumque ex vaſculis, novit conſtructionem; tum indolem addit nonnullorum ejus fluidorum, preſſu denſabilem; a ſolo is humorum per canales motu, quae ipſa vita eſt, minores tubulos comprimi, lateribus intus, vel inter ſe, vel contento cum liquore, concretis reddi impervios, inque fibras vere ſolidas mutari tandem poſſe & debere, nullo negotio intelligit. Haec vero princeps eſt rigiditatis cauſa.

Sed num quid demum noxae, an dira mortis inde neceſſitas fluit? interrogatis. Imo nihil certius. Enimvero ſolida, ratione fluidorum, & quantitate, & renitendi vi, ultra modum invaleſcunt; pereunt cum vaſis minimis liquores ſubtiliſſimi; actiones igitur ex his pendentes abolentur: vitalis circuli, contractis indies radiis, decreſcit ambitus; donec inſuperabili tandem Cor renixu oppreſſum ferietur.

Si dubitatis haec ita fieri, Hominem, quaeſo, ſaniſſimum, media conſtitutum in aetate, per omnes ſenectutis gradus ad metam usque proſequamini, ſingulis intenti, quas ſola ſenii vi ſenſim ſubit, mutationibus! En! Motus primo muſculorum vegetior torpeſcit; Senſuum hebetantur externorum

organa; contrahitur corpus; nativus ab extremis recedit calor; imminuitur perſpiratio; maraſmus naſcitur ex deficiente reparationis actu immedicàbilis; langueſcunt ſenſus deinde interni; & Senex tandem repueraſcens, methodica, ut ajunt, id eſt, a peripheria ad centrum prorepente morte exſtinctus, placidiſſime obdormiſcit.

Numquid haec docent liquido? Senile fatum illis primum obrepere actionibus, quae per tenuisſima tam vaſa, quam fluida, Nervos nimirum, atque ſpiritus vocatos, exercentur; lenteque dein, & quaſi per partes deſtruendo, quidquid ſeparari quodammodo a motu vitali poteſt, hunc ad minimum usque gradum, & tandem in nihilum redigere.

Quum vero hactenus recenſitae, omnes, & ſi quae, praeter has, aliae ſunt, vere ſeniles mutationes a ſolo partium rigore, ſemper hic praeſente, produci, & inde commode explicari queant; isque ex vitae pariter ac fabricae indole neceſſario profluat; in eo igitur primariam Mortis Naturalis cauſam eſſe ſitam jure concludimus.

Neque hinc opus ſane eſt, ad calidi innati defectum, penuriam Balſami vitae, corruptiones omnifarias, ſpirituum jacturam, Luminis vitalis, ſeorſim creati, exſtinctionem, Planetas contrarios, deſtruentes, & alia hujus farinae recurrere: ſunt enim haec vel ſomniantis Cerebri commenta; vel effecta ſaltem a Rigiditate oriunda, vel ab aliis pendentia cauſis non neceſſariis, ſed morboſis, quae hujus non ſunt loci.

Agi-

Agite jam Chemici! Reducta res eſt ultimam ad ſimplicitatem. Solum ſi expugnatis Rigorem, immortalibus eſſe per Naturam licebit. Quis autem opus tam levidenſe aliunde potius, quam a Vobis, exſpectet efficiundum, qui, tanto quae majora adparent, molimini? Ferte ergo ſuppetias Vitae, hoc ſub hoſte langueſcenti, cum ab attritu ſemet pulchre adeo vendicaverit!

Sed oh! Quam toto aberrant caelo, quaecunque nobis hunc in finem obtuliſtis hactenus! Videmini ludere in re tam ſeria, dum operam perditis atque oleum in iis, quae a propoſito ſunt quam alieniſſima.

Quid enim PARACELSE! An Daura tua Vitam reddet durabilem? An mortem arcebunt Melampodii folia? Utrum Helleboro indiget, diu qui vivere cupit? Quaſi per vices ſtimulata alvus ſenii excuteret torporem; aut eadem foret inſaniam curandi, vitamque prorogandi, methodus. Ni forte ipſum longaevitatis deſiderium inter Melancholiae ſpecies numerandum putes: quod in iis equidem conceſſero, qui per Purgantium fortiſſima ſe voti reddere compotes conantur.

Sed aliud praeterea venditas Arcanum, priore uti magis compoſitum, ita ad vitam longam multo efficacius. Id vero demum eſt, quod ipſo ingredientium numero quaſi perfectum quidpiam praefigurat: id eſt, quod, quidquid proprium ſibi habet Homo, parva ſub mole continens, Proprietatis ideo Elixir vocitas: id eſt, quo annos Methuſalemi te jactitas adſecuturum, hisque exactis libe-

liberum Tibi fore, ad quodcunque tempus vitae ulterius producere terminum. O! vires portentoſiſſimas! Quis crediddiſſet unquam, Naturae has vegetabili ineſſe? At quis Te laudet pro dignitate? Qui ut hanc felix Medicinam inveniſti, ita nobiſcum communicaſti liberaliſſime. Utinam non ſubticuiſſes Alcaheſt! Quod cum eò requiratur, a nobis fruſtra hactenus quaeſitum eſſe merito dolemus.

Sed riſum ſatis. Mortuus hic Promiſſor in vitae vigore, anno aetatis ſeptimo ſupra quadrageſimum, ſuo ſemet exemplo abunde redarguit; praematura illos conſolatus morte, qui creduli nimis tantam inviderant vivo felicitatem.

Nec ideo tamen falſa oſtentaſſe PARACELSUM arbitremini: imo vero invenietis quam veriſſima, ſi, quid per Vitam Ille denotet, intellexeritis. Audio certe cum emphaſi dictitantem alicubi: Nihil mehercle aliud eſt Vita, niſi Mumia quaedam Balſamita, conſervans mortale corpus a mortalibus vermibus. Mors igitur ipſi eſt Corporis corroſio a vermibus; & tota talis Vitae prorogandae ratio in conditura conſiſtit. Doceant autem medicata Aegyptiorum funera, quamdiu Balſamis conſervari a verminatione cadaver poſſit. Atqui & noſtra, quae ſine Alcaheſt paramus, Elixiria id ipſum praeſtant eleganter. Quin ſola Myrrha ſufficit. At ſi hoc vivere eſt, Arenis Libycis ad evitandam mortem nihil antecellit. Quam ducit in avia ſemel commiſſus error! Quam infelix labor, quem falſa dirigit opinio!

Ad-

Ad Te convertor, Mortalium μακροβιότατε! Ad Te, qui primum compellandus eras, Artephi! Cui Ars arcana eo produxit usque vitam, ut plusquam millenarium Tu praedices. Ecquid, amabo, tam propitias Tibi effecit Parcas? Aut quidnam potius harum Te demum fato ſubjecit? Qui, torpeſcentes ſpiritus cum vegetioribus aliis, de robuſtorum corpore Juvenum adtractis, commutare valens, aeternum vivere potueras. An copia Adoleſcentum; An Artis Te memoria, aut facultas, defecit? An vero potentior alius Te quoque minus cautum ſuctu exanimavit? Sed forſan aetate factus mitior tot per mortes ultra protrahere vitam abhorruiſti. Utcunque contigerit: felices Nos, Tecum quod Tua interierit ſcientia; felix Tu, noſtra qui non in tempora incidiſti, Tuo ſolius teſtimonio perſuaſurus minime, niſi productis aliunde documentis Te tam probaveris longaevum. Credat Judaeo Judaeus Apella.

Magnum potius conſulamus Helmontium, Virum, ut acutiſſimi ingenii, ſic animi ad minutiſſima quaevis obſervanda intentiſſimi. Is igitur quum & de vita longa philoſophatus ſit, ad eam ſi quid certi datur in Chemia praeſidii, id quin detexerit vix dubitandum.

Et ſane, ſi ab ullo alio, ab Eo quidem hac in re vel exſpectandum erat nihil, vel praeclara quaelibet: utpote, qui nec addictus ſordide anteceſſorum opinionibus, nec vi judicandi deſtitutus acerrima, totum ſe proprio Marte capiundis dederat experimentis; qui hinc ipſius primo Vitae ſubtiliter

ter exponens indolem, dein & Paracelſica, &, quae protulerant alii, quacunque e corporum claſſe, ad longaevitatem remedia curate examinans, tam falſe demum ſingula perſtringit, omnem ut vitae longioris ſpem fere eripiat Chemicis; faſſus candide, Adeptorum neminem longa potitum vita, ſed brevem contrà multos manſiſſe.

Is tamen ipſe, doleo referens! Is ipſe, Caſtigator aliorum rigidiſſimus, propriam dicturus ſententiam, heu! quantum delirat. Deductus ſcilicet ad montem Libanum, hujusque in apice vigentes contemplatus Cedros, a mundi initio in hunc usque diem, numero easdem perſtitiſſe, nec vi diluvii, nec carie, nec putredine, corruptas, inde concludit, hânc demum eſſe Vitae Arborem nobis conceſſam, hujus in ligno id dari incorruptibile, quod ope Alcaheſt ad primum usque ſui ens reſolutum vitam Homini longam promittat. Narravi ſomnium, A. O. O. H. Et quid non ſomniat quandoque mortalium ſapientiſſimus? At Tu Helmonti! Utinam non ſomniaſſes idem vigil! Nullum ſic veniae locum relinquens.

Qua enim veri ſpecie nobis perſuaſeris, omnem, quae hodie datur, a mundo condito ſtetiſſe Cedrum; nec inde ab illo tempore ullam, vel novo germine, vel ſemine deciduo, ſuccreviſſe novam? Cum noſtris etiam in hortis e ſato ſemine & ſuſcitari juvenculas, & adoleſcere, & fructum ferre gaudeamus. Sed demus Tibi, quod vidiſti ſomnians. Quid vero incorrupta arboris compages cum Vita Hominis commune habet? An Caries eſt?

eſt? An putredo? qua ſenex vi Naturae moritur. Imo ſola eſt Rigiditas; cui Tuum Cedri Ens, quam PARACELSI Elixir, haud medebitur felicius. Putredinem, mortis ſequelam potius, quam cauſam, ipſa, dum viget, vita arcet: hanc vero condimentis fruſtra ſuſtinueris.

Nec ſane eſt, cur de triviali altero, quo Vitae vulgi conſulis, meliora, quam de Daura THEOPHRASTI, ſperemus. Ut enim ſanguinis natura a Vini indole; ita corruptio hujus a morte ſenili immenſum diſcrepat. Tantum hinc abeſt, ut acidum accenſi ſulphuris ſtagma quidquam heic boni praeſtet; ut potius, qua pollet, vi ſolida corporis contrahendi, horum accelerans rigiditatem, impenſe videatur obfuturum.

En! Quidquid fere Principes Chemicorum, Vitae qui longae promiſſis inclaruere, nobis reliquerunt. Verborum utique plus ſatis: farinae prorſus nihil. Neque enim Eorum quiſquam hactenus ullum, aut in ſe ipſo, aut in aliis, produxit experimentum, quo ſuis utcunque fidem fecerit oſtentaminibus. HELMONTIUS, ſenilem minime ſortitus aetatem, hoc quoquo ſe nomine Adeptum demonſtravit.

Quid opus igitur, aliorum ut commentis Vos detineam? Qui vel eadem oberrarunt chorda, vel deſipuerunt etiam ineptius.

Sunt hinc, quorum oculos Gemmarum radians adeo perſtrinxit jubar, his ut ineſſe ſpiritus crederent, nutriendo Vitae lumini idoneos; alterius inſtar Deucalionis e lapide Hominem formaturi.

Nec

Nec hos, niſi vile pretium, videtur abſterruiſſe, quo e ſilicibus vitales elicere igniculos non tentaverint.

Perſuaſit aliis Auri natura immutabilis, ab hoc demum, venis hauſto, optatam vitae conſtantiam fore exſpectandam. Quanta hinc molimina! Quot profuſi cum ſumptibus ſudores! Ut nobili de Metallo liquor extorqueretur noſtris facile humoribus miſcendus. At parum hi cogitarunt, quantum a corpore ſimpliciſſimo machina diſtet maxime compoſita, ab inſeparabili elementorum contextu motûs Hygraulici continuatio.

Quid alios memorem? Quorum in extrahendis, de quovis fere corpore, Eſſentiis, ut vocant, Balſamis, primis Entibus, ſe torquet longaevitatis amor: tanquam ſi Vita in univerſali quodam principio conſiſteret, quod, unum in omnibus, e ſingulari ſuo corpore in aliud transferri queat. Hinc per longaeva quidam, alii per ea, quibus veteranas ſaepius renovare partes datum eſt, Animantia aetatem extendere ſategerunt; ſtolide obliti; horum ſub uſu Vitam evaneſcere, & ſemet ipſos indies vernare.

Taceo non defuiſſe, Terram qui Coelo miſcentes, ad Planetarum ſigilla, variosque Siderum adſpectus, confugerunt; ſenio interim confecti prius, quam copias e remotis adeo locis obtinuerint auxiliares.

Usque adeo intentatum reliquit nihil indefeſſa Chemicorum turba, ut eam demum Vitae conciliarent longitudinem, Artis quae amplitudini reſpon-

ſponderet. Solis tamen divites promiſſis, vacui virium, omni hucusque conatu tantum haud potuere, quantum vel rudior olim Braſiliae incola, nullo Chemiae fretus adminiculo, ſimpliciſſima duntaxat vivendi ratione, effecit.

Scilicet, ut paucis, quae ſuperant dicenda, complectar, male quaeritur Vita extra corporis viventis pomoeria; neque, ut haec a ſua ſit ſeparabilis machina, ſeparata ſeorſim exiſtere unquam poteſt. Fruſtra hinc Chemicus eſt, ſolam qui vaſculo capere, & ex alio in aliud transplantare corpus adlaborat: ſiquidem in motu ea conſiſtat, quem certae vivi corporis partium conditiones & determinant & continuant. Has igitur eodem in ſtatu conſervando, nequaquam novae Vitae additamento, Vita prorogatur. Unde in caſſum cadit, quidquid de Vitali principio ex traduce veluti perennando ſomniarunt Chemici. Quin colliqueſcit ſimul omnis, quam dedere imprudentiores, ſpes immortalitatis. Quandoquidem enim, ſtante, quam Natura fixit, motus lege, requiſitae ad Vitam partium conditiones nequeant perpetuo eaedem permanere; ipſam ideo ſequitur non posſe Vitam perdurare. Quocirca Homo ulterius agere hîc poteſt nihil, niſi, ut partium corporis ſtatum vitalem tamdiu ſoſpitet, ac per Naturam licet.

An vero Tuae id Arti ſolummodo datum exiſtimas Chemice? An Tuis duntaxat hanc ineſſe putas facultatem praeparatis? Miſera ergo, quae his carent, bruta, noſtrae tamen, quoad corpus,

ſimilem agentia Vitam! Quin miſer Homo, quod iners natus eſt! Et quid Te Chemicum eo ſervavit usque, dum Chemicus evaſiſti? Nonne Natura ſola, per res, quas Medici vocamus, non naturales? Atqui & hae & illa etiamnum praeſto ſunt. Cur igitur diffidens, e quo felix hactenus hauſiſti Vitae pabulum, fontem deſeris, incertum ab arte & arte factis petiturus ſuſtentaculum?

Age tamen! Quidnam hiſce efficies? Alterutrum ſane, ſi quidquam: aut enim eodem in ſtatu conſervabis, aut mutabis partes Vitae neceſſarias. Si prius: operam perdidiſti; quia per ea, quae ante pedes ſunt, Ruricola quilibet, Chemiae ignariſſimus, idem quotidie efficit, quousque lex Naturae, quam nec Tibi transgredi licet, permittit. Mutabis ergo, vel in pejus, vel in melius. At emendatione opus non eſt; ſiquidem de morbo ſanando hic non agamus. Nocebunt igitur, aut ſupervacanea erunt, Artis Tuae molimina.

Sed morbum, ais, ſenilem arcebo. Id vero Tu praeſtabis nunquam; niſi alio feceris, quam quo vivit, modo corpus vivere: quum ipſa Vitae partiumque corporis indoles, a Conditore ſtabilita, ſenectutis mater ſit. Vanus hinc polliceris, quod finitam Artis Tuae poteſtatem ſuperat; nec intelligis, quidnam ad ſolutionem problematis, de Vita prolonganda propoſiti, requiratur. Id enim totum profecto in eo conſiſtit, ut Vita ad illum usque producatur terminum, quem poſſet attingere, ſi corporis partes, ut decet, conſtitutae alia nulla

vi

vi mutarentur, quam quae ex moderatiſſimo humorum per vaſa motu abſolute ſequitur. Minime igitur quaeſtio hic eſt, de naturali illa vi interna, ejusve effectu, tollendo; ſed potius de auferendis illis cauſis Phyſicis, eam quae adeo queunt intendere, ut citius, quam neceſſe eſt, effectum ſuum producat.

Quum vero cauſae illae non ſint neceſſariae, & hinc ad res vel nonnaturales, vel praeternaturales, a Medicis vocatas, pertineant; quid, quaeſo, evidentius eſt? Quam totum obtinendae longaevitatis negotium magis abſtinendo a nocivis, quam remedia adplicando, perfici: niſi morborum curationem cum vitae prorogatione perperam confundere ſit animus.

Quae cum ita ſint, deſinant deinceps Chemici alienam in meſſem falcem immittere! Deſinant promiſſis Hyperbolicis ſalivam movere incautioribus! Non largitur Ars illorum Vitae longitudinem; imo mortem properat laboribus, periculis, fumis noxiis, quae ſubire jubet operantem. Chemicus teſtis ſit, Helmontius, plurimis Adeptorum, ob pericula laborando perpeſſa, brevem obtigiſſe Vitam, ſeque ipſum propterea minus diu ſuperſtitem aſſerens futurum.

Ad Diaetam vero, quae Medicorum, aut, ſi vultis, quae cujusvis eſt, ad Diaetam potius confugiat, quem dulcis Vitae trahit amor! Non Arti credidit, non Artifici, Natura; ſed parens ſollicitiſſima, ut Vitam dedit, ſic & Vitae ſubminiſtrat ipſa pabulum. Hoc utere! Non abutere!

 Per-

Pertinges eo, quo Chemicorum nullae te Panaceae unquam deduxerint. His ſolis neminem, ſolo Naturae lacte innumeros ad Vitam longam perveniſſe certi novimus. Quid enim Patres antediluvianos? Quid Brachmannos Indorum Philoſophos? Quid antiquos Braſiliae habitatores? Quid valetudinarium Nobilis CORNARI corpus, tot per annos ſuſtentavit? An Elixiria? An prima Éntia? Aut quodvis aliud Artis opus? Imo vero vivendi ratio ſimpliciſſima; ſobrius eorum, quae ſuggerit Natura, uſus; Diaeta. Audite ſenem Centenario majorem VERULAMII, qui interrogatus, quidnam agens vixiſſet tam diu? non arcana jactitavit, non multo labore parata remedia; ſed, Comedi, reſpondit, antequam eſurirem, potavi antequam ſitirem.

Hygieine erga Vitae longae promus eſt, cui qui ſuppromum jungit Prophylaxin ad coercendas morborum cauſas, vel genitali contractas labe, vel propter Vitae genus minus evitabiles, omnem is hoc in opere videtur exhaurire humanae induſtriae poteſtatem.

Verum ſentio Veſtram A. O. O. H. languere patientiam, & me, promiſſis Chemicorum explodendis occupatum, promiſſae brevitatis fere exceſſiſſe limites. Vela hinc contrahens ad Vos me converto ILLUSTRISSIMI ACADEMIAE CURATORES, AMPLISSIMIQUE URBIS CONSULES! Ad Vos, inquam, Quorum favori ſingulari, & eximiae benevolentiae, debeo, quam nunc auſpicor, Profeſſionem. Uno hoc nomine ſolius

Ve-

Veſtri eſt beneficii, quidquid in illa honoris, quidquid emolumenti, quidquid dulcedinis mihi offertur. Haec autem tanto ſane ſunt grandiora, quo minus eorum quidpiam olim polliceri mihi obſcurus potueram Homo. An ergo Veſtram potius praedicem in dando munificentiam, meis longe meritis majorem? An vero leniſſimam in exigendo facilitatem? Utraque immenſa eſt. Ut enim, quadriennio nedum abhinc elapſo, explorandum huc gratioſe evocaſtis; ita de qualicunque, quem interea navavi, labore benignum adeo ferre judicium Vobis placuit, ejus ut praemium mihi tanto nobilius nunc decernatis. Deficiunt verba, quibus vel Veſtri in me beneficii deſcribam magnitudinem, vel gratiſſimae erga Vos mentis meae explicem adfectum. Laudes illa meas, hic vires ſuperat. Bina ſaltem habeo, Proceres Generosissimi, quae contra offeram, tenuia quidem; at quae ſufficere Vobis didici expertus. Propoſitum nempe animi firmiſſimum, promovendis Academiae commodis tanto me cum fervore totum devovendi, Vos ne ingrato videamini, nec indigno faviſſe. Votum deinde ardentiſſimum, omni ut felicitatis genere beata Vobis quam diutiſſime Vita conſtet, in certiſſimam Reipublicae, Academiae, & meam denique ſalutem. Utrique Deus adnuat!

Vos vero, Clarissimi Professores! Viri omnigenae eruditionis & ſapientiae gloria florentiſſimi! Vos uti hactenus honeſtae aemulationi meae exempla habui luculentiſſima; ita, dum Proce-

rum eo me Favor evexit, Veſtro ut hodie adſcribar Ordini, aequo ſuſcipere animo Novitium, & pectore amico fovere ne, quaeſo, dedignemini! Annis ego, rerumque peritia, minor in id incumbam ſemper, quovis ut obſequii, venerationis, amoris, officio Veſtrum demeream favorem, Veſtram amicitiam; neque videar unquam indigne numerum auxiſſe moleſtus collega. Illud a Vobis peto omnibus; hoc ſingulis promitto candidus.

Te tamen, Medicae Caput Facultatis! Te, inquam, MAGNE BOERHAAVI! ut ſeorſim adloquar, jubet animus multiplici beneficiorum genere Tibi devotiſſimus. Tui ſane muneris eſt, quod aliunde ignoto Praelegendi provincia hac in Academia primum demandata ſit. Tui eſt conſilii, Tuae opis, eam quod adminiſtraverim haud plane indecorus. Tuae denique commendationis eſt fructus: quod Profeſſoris hodie ornatum Toga me gaudeam. Quanto igitur Tibi plus debeo, quam reddere ullo tempore valebo! Imo totus Tuus ſum, meae qui fortunae Auctor es. Utere ergo me Tuo, ut, & quandocunque, volueris! Parebo libens, commiſſurus nunquam, animo ut excidat Tui in me juris memoria. Vale diu Virtute beatus Tua! Nec niſi vitae ſatur nobis excede!

Tandem & Vobis, COMMILITONES dulciſſimi! ſtudiorum cognatione conjunctiſſima mihi Pectora! Vobis ego animum publice heic teſtor gratiſſimum, qui, ſuaves laborum Socii, Veſtra efficiſtis lenitate, frequentia, ut, quidquid operoſo

roſo in munere mihi curae, quidquid taedii & periculi, ſeſe objecit, mea fortior opinione, felix, hucusque ſuperaverim. O! Quoties pene ſuccumbenti novum inſpiravit vigorem Veſtra, meis major meritis, approbatio! Haec ipſa eſt, cujus agnoſco fructum, quod nunc capio, praemium. Ejus ergo in Vos ut redundet uſus, & aequum eſt, & ſedulus inpoſterum curabo. Vos modo, quod feciſtis hactenus, favete!

D I X I.

VIRO CLARISSIMO

HIERONYMO DAVIDI GAUBIO,

ORDINARIAM MEDICINAE ET CHEMIAE PROFESSIONEM IN BATAVA, QUAE LEIDAE EST, ACADEMIA AUSPICANTI.

Vix ego, qui nullis decreram vivere Muſis,
Raucaque ſuſpenſae frangere plectra lyrae,
Diverſas animo meditabar ſedulus artes,
Quaeque virum poſſent, quaeque decere ſenem:
Quin Tua Te pulcro produxit Fama theatro,
Inſignem titulis; conſpicuumque Toga;
Meque novo vatem proludere juſſit honori,
Et meritis dignas increpuiſſe fides.
Nec mora: torpentis pulſo de corde veterno,
Pectora fatidico percaluere Deo;

Lae-

Laetaque votivas ſuſpendens Muſa corollas
Sepoſitae repetit fila remiſſa lyrae:
Nec prius a ſacro deſiſtet carmine, quamvis
Munera det lauris inferiora Tuis,
Quam Tu, Dulce Caput, docti novus Ordinis haeres,
Ingenio referas digna tropaea Tuo.
Hoc nivei mores, & amicum pectus honeſti,
Nudaque Simplicitas, purpureusque Pudor,
Hoc meruit Virtus, totoque Modeſtia vultu
Quae nitet, & nullo teſte probata Fides.
Hoc vigor ingenii, vis ignea mentis, & omni
Mane ſalutatae Palladis acer amor.
Hoc nativa Tibi facundae gratia linguae,
Hoc jubet eloquii multa docentis honos;
Maximaque in minimis ſemper Prudentia rebus,
Perpetua Hermeti quae ſolet ire comes.
Teſtis, mellifluo quae pendet, ab ore, Juventus,
Et docili doctos combibit aure ſonos.
Teſtis Apollineae dudum Tibi debita dextrae
Laurea, vox Populi publica, Cura Patrum.

Nam, licet inſignes vera pietate Parentes
  Patria, honoratos & veneretur Avos:
Non Tua Majorum titulis ſpectanda refulget
  Gloria, ſed propria ſumit ab Arte decus.
Nec Te commendat vano Sapientia faſtu
  Turgida, quae mentes perdit inepta bonas.
Tota ſed ingenuas exacta Juventa per artes,
  Quae monſtrant verae nobile laudis iter:
Sed Virtus, mercede ſui contenta, Batavae
  Palladis & Procerum digna favore fuit.
Audiat hoc, ſaevo qui deterit omnia dente,
  Livor edax, vires conficiatque ſuas.
Te ſuper igniferum plaudentibus aethera pennis
  Invidiae victrix lucida Fama vehet.
Dumque calet flammis Hermetis Apollinis ara,
  Et ſocias jungit Chloris utrique manus;
Ingenii vivent, vivent monumenta laboris,
  Nec rapiet nomen nigra favilla Tuum.
Haec ego fatidico non fallax omine vates
  Auguror: eventus comprobat acta bonus.

Exſe-

Exſerit, en, felix Academia, Principis altd
Filia, Palladia fronde revincta, caput.
Quaeque, tot egregias animas, tot culta Virorum
Pectora, foecundo format alitque ſinu,
Non dubitat generoſa Tibi deferre merenti
Nobile, quod gemina creſcet ab Arte, decus.

A. VAN ROYEN.